Abonnement de la Part-Dieu arrêté

Bollandists

ZDA
Analecta

ANALECTA

BOLLANDIANA

ANALECTA
BOLLANDIANA

TOMUS I.

EDIDERUNT

CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF

ET

JOSEPHUS DE BACKER

PRESBYTERI SOCIETATIS JESU

SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE

PARIS	BRUXELLES
VICTOR PALMÉ, Directeur général	**J. ALBANEL**, Dr de la succursale
76, rue des Saints-Pères, 76	12, rue des Paroissiens, 12

GENÈVE, H. TREMBLEY, rue Corraterie, 4

1882


ASTOR LIBRARY
AUG
7
1893
NEW YORK

AD LECTOREM BENEVOLUM

DE

ANALECTORUM BOLLANDIANORUM

RATIONE AC FINE.

In confesso erat apud prædecessores nostros pleraque Actorum *columina novorum documentorum suppetiis indigere. Multorum sanctorum acta aut nulla invenerant, aut non satis sibi probata ediderant pro tempore, spe meliora consequendi nequaquam abjecta. Colligebant interim labore indefesso per varias Europæ bibliothecas, tum per se ipsi, tum amicorum faventium opera usi, quidquid e re sua esse judicabant. Collecta sedulo conservabant, in supplementum vel novam aliquam editionem suo tempore inserenda.*

Idem fecerunt successores, quibus contigit, itineribus litterariis institutis, quamplurimos inspicere manuscriptos codices, in iisque reperire non pauca sanctorum acta, quæ in prædecessorum notitiam pervenire haud potuerant. Jam itaque in deliberationem venit, qua ratione ad operis sui utilitatem ea documenta commodius ac securius adhibere possent. Re

mature considerata, visum non est thesauros repertos conservare in scriniis, blattis olim et vermibus comedendos, aut in ventum fortasse spargendos, quæ fortuna fuit multorum documentorum, quæ prædecessorum studio conquisita deinceps Societatis Jesu atque Operis Bollandiani clades magnam partem dissipavit. Quapropter statuerunt inventa quamprimum typis tradere, ut sic ab interitu vindicata, ac futuros in usus conservata, certam ac necessariam materiem præberent iis qui aliquando Acta Sanctorum *sunt retractaturi, atque interim sanctorum studiosis officium non contemnendum præstarent.*

Hæc sunt Analecta Bollandiana, *quæ non unius generis instrumenta continent. Primo loco veniunt scripta quælibet sanctorum cultum ac vitam spectantia : qualia sunt martyrologia antiqua nondum edita, quorum tantum est momentum ac pretium, ut nullius rei majus in his quidem studiis inveniri possit. Deinde acta sanctorum, sive martyrum, sive confessorum, sive virginum, quæ prædecessorum diligentiam fugerant, quorum est numerus sane non exiguus. Tandem ejusmodi acta sanctorum, quorum exemplaria iidem prædecessores nacti erant non satis bona, aut non satis integra, aut interpolata, aut quorum versiones solummodo latinas dederunt, græco textu relicto, vel frustra quæsito.*

Hæc quæ diximus, primaria sunt Analectorum *materies. Sequuntur variæ lectiones actorum jam editorum ex bonæ notæ codicibus erutæ, quarum si tantus est numerus ac præstantia, ut Vitæ alicujus sancti textum firmiter statuere valeant, absoluta textus forma earumdem ope constituitur. Postremo loco veniunt documenta omnigena ad sanctorum quorum acta in præcedentibus voluminibus tractata fuere, vitam, mortem, miracula, cultum,*

reliquiarum inventionem aut translationem spectantia, quæ aut olim exstabant, sed suo tempore non innotuerant, aut recens in lucem prodierunt.

Poterunt identidem, ut res et tempora ferent, minoris molis dissertationes ac disputationes inseri, quæ congruentia sanctorum actis argumenta pertractent.

Insuper in animo est, codices manuscriptos, qui quidem sanctorum acta vitasque continent, describere, quodque iisdem continetur, sedulo indicare.

Codicum manuscriptorum textus ita typis tradentur ut primigenia auctorum phrasis scrupulose conservetur, correctis nihilominis iis quæ manifestum librarii mendum ac sphalma indicant, mendo tamen ac sphalmate in margine exposito. Paulo aliter agemus circa illos textus quos primum e manuscripto codice erutos luci publicæ primum quoque tradimus, servata spe inveniendi in aliis bibliothecis ejusdem instrumenti meliora exemplaria. Tunc enim editur textus talis qualis est, cum omnibus mendis ac sphalmatis, donec postea adhibitis in subsidium variantibus lectionibus, genuina scripti facies dignosci possit. Haud tamen propositum est putidam diligentiam eo usque prosequi, ut minuta quæque observentur: sed generali regula quadam ac norma ducemur, ita ut variantibus quibusdam litteris minus moveamur, audeamusque scribere constanter sive e *sive* æ *sive* œ, *sive* t *sive* c *etiamsi librarius dissentiat. Litterarum majuscularum usum, et sententiarum interpunctionem temporibus nostris accommodabimus.*

Textui græco latina versio subjicitur, hunc in finem, ut sanctorum studiosi amatores, si qui græce minus docti sint, hac nostra opera adjuti græca legere valeant. Ea causa est, cur

nullo elegantiæ studio adhibito, versionem demus simplicem ac litteræ fere serviliter inhærentem, eumdem propemodum verborum ordinem, quantum lingua patitur, secuti.

Documentis hic editis, monita aut notitiæ præmittuntur, breves plerumque et parcæ, nec fere quidquam præter originem ac necessariam rei notionem continentes; quidquid autem subtilioris disputationis aut examinis aut disquisitionis acriorem curam postulat, ad ipsa Actorum *volumina rejicitur, quibus, uti diximus, aliquando retractandis hæc* Analecta *materiem coacervant.*

Hæc est, amice lector, Analectorum Bollandianorum *ratio, via ac finis, quæ statim a limine tecum ingenue communicarimus : nec præterea quidquam* Analecta *nostra præstabunt. Si itaque* Acta Sanctorum *amas, et studium probas, tenuibus hisce cœptis fave.*

PROTESTATIO EDITORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in suo de Actis Sanctorum *Opere, se servatas velle Urbani VIII Constitutiones ; neque suis aliorumve huc relatis commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc Primum Tomum* Analectorum Bollandianorum *denuo protestamur.*

MARTYROLOGIUM

FULDENSE

E CODICE LEIDENSI

NUNC PRIMUM EDITUM.

Martyrologium, quod nunc primum vulgamus, ad eorum Hieronymianorum genus pertinet quæ breviora seu contracta vocari solent. Illud in Fuldensi cœnobio olim in usu fuisse manifestant tum necrologium ipsius margini adscriptum, ubi non pauca occurrunt Fuldensium monachorum nomina, tum series abbatum Fuldensium eidem, ut mox notabimus, in eodem codice subjuncta. Est nunc iste codex bibliothecæ Academiæ Lugduno-Batavæ, inter MSS. Josephi Scaligeri, formæ, ut aiunt, in quarto, sub numero 49 collocatus. Folia habet membranea 80, altitudine millimetrorum 230, latitudine 175, lineis stylo ferreo ductis, nec solum plenis, sed et quas librarius singulas per unumquodque folium versum et proximum rectum continuo tractu scribendo prosecutus est.

Codicis partes non omnes eadem manu nec eodem seculo exaratæ sunt. Antiquissima ea est qua martyrologium nostrum continetur, a folio 1 ad 49, seculi, ut videtur, decimi. Post martyrologium adjecta sunt quædam ad computum ecclesiasticum, ad rationem inveniendi diem lunæ et cetera ejusmodi spectantia; præterea Epistola Paschasini episcopi ad Leonem Papam, Annales, ac denique series Romanorum Pontificum usque ad Hildebrandum seu Gregorium VII, et abbatum Fuldensium usque ad Ruothardum *felicis memoriæ*.

Necrologium in margine martyrologii descriptum edidit ante paucos annos v. cl. Ernestus Dümmler (1). Martyrologium autem ipsum Bedæ esse judicavit (2), errore quidem prima specie manifesto, sed facile condonando

(1) In *Forschungen zur deutschen Geschichte*, vol. XVI (Göttingen 1876), p. 171-177. — (2) Ibid., p. 168.

homini doctissimo, magis in profanæ historiæ monumentis versandis quam hagiologicis exercitato.

Denique advertendum primum codicis folium periisse, secundum esse lacerum, totumque codicem quondam incendio fuisse ereptum; cujus rei indicium præbent folia, præsertim priora, extrema parte fœde retorrida : unde et nonnullæ voces omnino deletæ sunt aut jam nequeunt legi. Has lacunas tot interpositis punctis quot litteræ exciderunt aut vacuo relicto spatio in editione nostra indicavimus. Ubi vero litteræ deletæ facili conjectura restitui potuerunt, eas fere ubique inclusas uncinis adjecimus. Voces *mart.*, *conf.* et *virg.* imperfectæ relictæ sunt ubicumque eas compendio scriptas exhibet codex, ne periculum incurreretur temere singularem numerum efferendi pro plurali aut vice versa.

Superest ut gratias quam maximas agamus doctissimo Academiæ Lugdunensis bibliothecario, W. N. du Rieu, qui codicis collatione diligentissime instituta de nostra editione optime est meritus. Monuit nos idem eximius vir codicem prius fuisse Marquardi Freheri, a quo videtur donatus esse Scaligero.

Christi secundum carnem.
Eugeniæ virg.
martyr. et diaconi. Rome Dionisii conf. Heli
Neandri. Zosimi papæ; hic cons
palliis; [et] præcepit ut nullus clericu
ret, nisi tantum cellis fidelium et clericor
ti natalis sancti Johannis apostoli et evan
Jacobi fratris Domini. Rome Dion
rochias diocesis
Infantium in
me apostoli. Satur
si episcopi. Rome Felicis et Bonifatii episcopi
David regis. Eodem die Crescentis
Pauli [?]
beatorum Sabiniani et Potenti ni

[JAN.]

Jhesu Christi secundum carnem. In O pha
Rome marty Almachii
sancti Concordii mart. m via Apia
Fulgentii Ecclesiæ Ruspensi episcopi et conf. Alexan-

ustunensi monas- [JAN.]
terio in re........acis.

IIII Non. Antiochia Isidori episcopi, Macharii abbatis. Hierosolymis sancti Stephani. Rome sancti Thelesphori papæ VIII. Et Eugenii papæ. In Ponto...Thomis trium fratrum Argei, Narcisci et Marcellini pueri.

III Non. In Elesponto Cirici, Primi. Parisius Genovefæ virginis. R[ome] natalis sancti Anteros papæ et martyris et sancti Florentii Viennis episcopi et martyris.

II Non. In Africa Aquilini, Gemini. In Oriente Bononia civitate Hermetis, et Gagi, sancti Titi apostolorum discipuli. Africa sanctorum Eugenti.......Quinti, Theodoti, Triphonis mart. Rome Prisci presbyteri.....ani clerici atque Benedi... [reli]giosissime feminæ....[R]omam beatæ Dafroxe uxoris Fabiani martyris.

Non. Jan. In Africa Felicis, Hierosolyma depositio Simeonis propheta et in Antiochia Simeonis monachi.

VIII Id. Epiphania Domini nostri Jhesu Christi. In Africa Telesphori. In Antiochia passio Juliani. Eodem die passio sanctæ Matræ virginis et sancti Melani episcopi.

VII Id. Relatio pueri Jhesu ex Ægypto. In Nicomedia Luciani presbyteri, Liceri diaconi, Polioti, Felicis, Januarii. Apud Antiochiam beati Cleri diaconi, Isidori episcopi, sancti Fausti, sancti Evilasii mart.

[VI I]d. In Grecia Cipisei, Secundi, Timothei. Augustiduno depositio Agemoni, Luciani, Maximiani. Neapolim Campaniæ sancti Severini.... Belvaciis sanctorum Luciani et Messiani.

V Id. In Africa Epictiti, Jocundi, Saturnini. In Smirna Refoc......In Mauritania.................virg. et mart. Antiochia sancti Juliani martyris et Basilisse [con]jugis ejus. Celsi et Marcionille.

IIII Id. Rome depositio Melciadis episcopi. In Firmis Revocati. Africa Firmi, Saturi. Rome Agathonis papæ. LXXXVIIII Sanctorum. In Thebaide s...... li primi heremite. Sancti Igini papæ. Hic constituit clerum et[c?]............et gradus. Sancti Nicanoris qui unus fuit de VII primis diaconis.

[JAN.] **III Id.** In Alexandria Petri Filoromi. In Africa Felicis et sancti Gregor[ii] Nazanzeni et sancti Salvii. In Alexandria sanctorum confessorum Petri, Severi, Leucii.

II Id. In Ach..a Cyriaci. In Africa Zotici, Castoli, Quinti, Rogati, Petri, Qui........oscenti, Saturi. In Achaia sancti Archadii martyris.

Id. Jan. In Neapoli Vincentiæ. Africa Ingenii. Pictavis depositio sancti Hilarii episcopi. Treveris Remigii, Agritii confessor. Vienna sancti Veri episcopi. Rome via Lavicana corona militum XL.

XVIIII Kl. Febr. In Antiochia Glicerii diaconi. In Campania Felicis. In Capua Agapiti. Africa Pauli. Vienna Caoldi episcopi.Sancti Pontiani mart.

XVIII Kl. In Ægypto Crisconii, Genonis. In Oriente Cornelii, Calisti, Abbacuc et Micheæ prophetarum. Sancti Macharii abbatis. Sancti Isidori. Bituricas translatio Sulpicii episcopi et confessoris. In Antiochia Liceri diaconi.

XVII Kl. Rome Marcelli papæ. Passio Marthæ. Africa Fausti. Arelato Honorati episcopi et sancti Fursei abbatis et aliorum sanctorum XXX.

XVI Kl. In Africa Mutii, Victoris. In Ægypto Antonii monachi. Bituricas Sulpitii episcopi. Linguonas sanctorum geminorum Speusippi, Eleusippi et Meleosipp......ionillæ, Neonis, Turbonis. Sancti Marcelli Deensis episcopi et confessoris.

XV Kl. Rome Cathedra sancti Petri apostoli et Ponto Mariæ. Rome sanctæ Priscæ virginis et martyris. In Ponto sanctorum martyrum Mosei et Ammonii.

XIIII Kl. In Affrica Pauli, Quinti. Hierosolyma Marthæ et M[ariæ]. Rome passio Sebastiani. In Smirna sancti Germanici martyris. Spo...

XIII Kl. Rome sanctorum Sebastiani et Fabiani episcopi. Nicomedia Leontici, Felicis. Eodem die Marii et Marthæ cum filiis suis Audifax et Abbacuc nobilium de Persida.

XII Kl. Rome passio sanctæ Agnetis virginis et martyris et in Spaniis Fructuosi episcopi et in Spolitis Vitalis. In Athena sancti Publii episcopi. In Ispaniis sanctorum Fructuosi episcopi, Augurii et Eulogii diaconorum. Trecas Patrocli martyris.

XI Kl. In Africa Januarii. In Spaniis passio sancti Valerii episcopi et Vincentii diaconi. Ipso die Ebreduno civitate sanctorum martyrum Vincentii, Orontii et Victoris. Ad Quassalvias sancti Anastasii monachi et martyris cum aliis LXX. [JAN.]

X Kl. Cesarea Severiani et Aquillæ. Rome Belli, Flori et Emerentiane mart. et in Mauritana civitate sancti Severiani et Aquilæ uxoris ejus.

Apud Philippis Parmene diaconi.

VIIII Kl. Antiochia passio Babilli episcopi cum tribus parvulis. Rome Felicissimi, Saturi. Ephesum sancti Timothei apostoli. Neocesaria civitate sanctorum martyrum Mardoni, Mausonii, Eugenii, Metelli.

VIII Kl. Nicomedia Biti. Rome translatio sancti Pauli apostoli. Cartagine Donati. Eodem die sancti Ananiæ apud Damascum. Apud Gabalens civitatem sancti Severiani episcopi. Item sancti Projecti Arvenensis episcopi.

VII Kl. In Oriente Policarpi episcopi. In Laodicia Rodonis. Ravenna Artemasi, Theogeni cum aliis XXXVI. Bituricas civitate sancti Sulp*

VI Kl. In Africa Datiæ, Juliani, Cilianæ, Saturi, Vincentiæ, Vi.......Secundi papæ. Sancti Johannis Crisostomi. Beati Marii* abbatis...nensis. In Bethleem dormitio beate Paule matris Eustochiæ.

V Kl. Rome Agnetis virginis de nativitate. In Africa Victoris. In Nicomedia Leaci. In civitate Apollonia Leucii, Tirsi, Calenici mart. Eodem die apud Alexandriam Cirilli episcopi et sancti Johannis presbyteri.

IIII Kl. In Tuscia Constantii et in Africa Victoris et Honorati. Treveris Valerii episcopi. Rome Papiæ et Mauri mart.

III Kl. In Affrica Feliciani et in Antiochia Ypoliti, Peliani, Cleri, Filippiani*. Sanctæ Aldegundis virginis. In Hierusolymis Mathie episcopi. Sancti Alexandri.

II Kl. In Alexandria Tarsucii, Zotici et Ammonii, Gemini. Africa Victoris. In Alexandria sancti Metrani martyris. Sanctorum Saturnini, Tirsi...[?]

Triantinam urbem Vigilii episcopi.

* *foramen i[n] membrana*

* *forsan Ma[...]*

* *inter i et punctis dele[ta] syllaba ni.*

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII LUNAS XXVIII.

In isto mense nox habet horas XIIII dies X.

Kl. Febr. In Scotia depositio Brigide virginis. Africa Publii. Ravenna Severi episcopi. In Antiochia sancti Ignatii episcopi et martyris. In Smyrna Pionii martyris cum aliis xv. Sancti Effrem Ædissene Æclesiæ diaconi. Sancti Pauli episcopi civitatis Tricastinæ.

IIII Non. Purificatio sanctæ Mariæ Virginis. Africa Marini, Perpetuæ. In Cesarea beati Cornelii centurionis. Rome sancti Proniani martyris. In Africa sancti Victoris.

III Non. In Africa Felicis, Laurentii et Ypoliti. Lugduno depositio Lupicini episcopi. In Africa Celerini diaconi et confessoris et sanctorum martyrum Celerinæ aviæ ejus et Laurentii et Ignatii. Vienna sancti Eventii episcopi. Eodem die sancti Blasii.

II Non. In Foro Simphronii natalis Gemini, Gelasii, Mannii, Aquilini et Donate. In civitate Ægypti quæ appellatur Thynuis passio beati Phileæ ejusdem urbis episcopi, et Filoromi tribuni militum romanorum. Passio sanctæ Eulaliæ virginis et sancti Gelasii.

Non. Feb. Sicilia in Cathena civitate passio sanctæ Agathæ virginis. Africa Felicis et Saturnini. Viennæ sancti Aviti episcopi.

VIII Id. Rome Sotheris virginis. In Achaia Saturnini. Siracusa passio sanctæ Luciæ virginis et sanctæ Dorotheæ virginis. Arvernensis sancti Antholiani martyris. Sancti Vedasti episcopi et confessoris. In Elnone sancti Amandi episcopi et confessoris.

VII Id. In Britania Auguli episcopi, Anatholi, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Luci. Sancti Moysetis episcopi. Anatholius, Sarna et Andreas viri illustres. Sanctæ Helenæ reginæ.

VI Id. In Armenia minore sanctorum Dionisii, Emiliani et Sebastiani. Rome depositio sancti Pauli episcopi. Alibi Lucii, Julii, Pape. Alexandriæ sanctæ Cointe martyris.

V Id. Apud Cyprum Alexandri. In Alexandria Pauli, [FEB.] Dionisii, sanctæ Appolloniæ virginis et sancti Ammonis.

IIII Id. Rome Soteris, Zotici. Et in Alexandria passio Apollonis. Sanctona civitate depositio Trogiani episcopi. Rome Plausi, Yacinthi, Amanti, Herenei, Aporii. Via Lavicana sanctorum........Scolasticæ virginis.

III Id. In Armenia Basilii. In Africa Felicis, Victoris, Zotici. Rome Sorotetis. In Vienna Simplidis episcopi et confessoris. Alexandria sanctæ Eufrasiæ virginis. Lugduni Desiderii episcopi. Alexandriæ sanctæ Baldegunde abbatissæ. In Apamia sanctorum Pœnis et Eufraxis. Rome sanctorum Coloceri, Parthemii et Castrensis mart. Sancti Gregorii papæ. LXXXVIII.

II Id. In Alexandria sancti Damiani et Ammonis. Cartagine Posinne. Alexandria Juliani, Victoris, Felicis, Vincentii, Modesti et Ammonii infantum, et sanctarum Susannæ et Urbanæ. In Hispania sanctæ Eulaliæ virginis.

Id. Feb. In Alexandria Cyriaci, Ammonii et Albani. Juliani, Tulliani. Lugduno depositio sancti Stephani episcopi. In Militina civitate Poliopti martyris. Agabi prophetæ.

XVI Kl. Rome sancti Valentini presbyteri et in via Ardiatina Feliculæ, et in Egea civitate Juliani. Terramnensis sancti Valentini episcopi. Alexandria sanctorum martyrum Bassi, Antonii, Protoloci, Cyrionis presbyteri, Basiani lectoris, Agathonis exorcistæ. Dionisii, Hammonii mart. Vitalis, Zenonis. Africa sanctorum Valentini, Seneri. Spolisio sanctorum militum LXXXIIII.

XV Kl. In Antiochia Josippi diaconi. Interannis sanctæ Agapæ virginis et in Brixia Faustini et Jovittæ. Rome Cratonis martyris. Sebastem civitate sancti Blavii episcopi et martyris. Civitate Uvagionense sancti Quinidii episcopi. Sanctorum Castule, Magni, Zenonis, Apollonii, Zosimi, Baralæ, Zocii, Rufini.

XIIII Kl. In Hispania Barcelona Cocofatis, Pauli, Honorati, Mari, Maximi, Marcialis, Marci, Perfidi, Theophili, Julianæ, Thetradii episcopi. In Africa Maximi. Item Secunde, Sauli, Secundi, Honesimi apostoli. In Cumis Julianæ virginis. In Ægypto.......cum v milibus.

XIII Kl. In Effeso Crisanti et in Aquilegia Donati, Secun-

[FEB.] diani et Justi. Alibi Romuli, Crescentiani, Cotici, Concordiæ, Justæ, Salvani, Victuris, Marci mart. In Perside Polocronii Babyloniæ episcopi.

XII KL. In Italia Rutuli, Silvani, Classici, Secundini, Maximi, Damasi, Marcelli, Fructuli, Pauli, Marcialis, Gemini, Cassici. In Hierosolymis Symeonis episcopi et martyris. Sanctorum Claudii, Præpedignæ, Maximi.

XI KL. In Africa Publii, Marcelli, Juliani, Baracei. Item Juliani, Tullii, Lampasi, Nublii, Majuli. Rome sancti Gabinii presbyteri.

X KL. Rome depositio Gagi episcopi et alibi Victoris, Coronæ et Cypro Putamii, Pelegii atque Lini episcopi. Tenobii presbyteri, sancti Galli discipuli sancti Columbani, Potamiani, Memesei, Didimi.

VIIII KL. In Africa Verili, Jucundi, Servuli, Sirici, Felicis, Saturnini, Fortunati, Victurini, Nappalici, Cripini, Petri. Alibi Justi, Amatoris. Sicilia sanctorum martyrum LXXVIII. Sancti Eucharii confessoris.

VIII KL. In Antiochia Cathedra sancti Petri apostoli. Rome Concordiæ. In Nicomedia sanctæ Teclæ virginis. In Alexandria Abilii episcopi. Hierapolim sancti Papiæ episcopi. Sancti Aristionis. Africa Victurini, Neuceri, Palatini, Seneri. Vienna sancti Paschatii confessoris.

VII KL. In Sirmio Sineri monachi et martyris et in Asia Herotis. In Africa Cresconii, Zenonis, Sinori, Heruli. Sancti Policarpi episcopi et confessoris. In Pannonia Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii cum aliis LX duobus.

VI KL. Mathiæ apostoli. Rome Pauli et Primitivi. In Nicomedia Luciani. In Cæsarea Heroli. In Ægypto Victurini. Inventio capitis sancti Johannis Baptistæ. Serigi martyris. In Cesarea sanctorum Heroli, Lucii, Absalonis. Rome Primitivæ. In Ægypto Victurini, Victoris, Serapionis.

V KL. In Affrica Justi, Herenei, Piscimonis, Aurili, Rutuli. Pamphilia natalis Nistoris. In Ægypto sanctorum Victorini, Victoris, Nicophori, Claudiani, Dioscori, Serapionis et Papie. In Africa Donati, Justi, Herenei, Pisimonis, Aurili, Primusi cum aliis XLV.

IIII KL. In Alexandria Alexandri, Justi, Theoli, Nesto-

ris, Epion, Donativi, Ampliati, Theoni. In Africa Felicis. [MART.]

III Kl. In Tessalonica Alexandri et in Africa Anteginis. In civitate Smirna Serviliani. In Hispania Leandri episcopi. In Alexandria Juliani martyris. In Lugduno Baldemeris, Antioguni, Habundanti, Ticiani. In Thesalonica Smirne Serviliani, Taciani, Leandri.

II Kl. In Alexandria Celeris, Pupilli, Serapionis, Justi et Claudii. Theophili, Victurini, Saturnini, Epoli, Eutheciæ et Papie. In territorio Lugdunensi Romani abbatis.

MARTIUS HABET DIES XXXI LUNAS XXX.

In isto mense nox habet horas XII dies XII.

Kl. Mar. In Africa Leonis, Donaticæ. Massilia Ermetis. Andegavis Albini episcopi. Simplicii papæ. Rome sanctorum martyrum CCLX. Habundantii, Adrasti, Donati. In Marsilia sanctorum Hermetis et Githei.

VI Non. In Cesarea Lucii episcopi. Rome Primitivi, Herolii, Georgii, Absolomi, Januarii, Jovini, Basilei, Pauli, Secundoli. Depositio sancti Ceddæ episcopi.

V Non. In Africa Floriani, Felicis, Casti, Furtunati, Lucioli, Justi, Marciæ, Hierotis, Emitherii, Celidonii. In Palestina sanctorum martyrum Astyrii, Marini, Gorgonii.

IIII Non. Rome Julii episcopi et alibi Roti, Archelai, Palatini, Asteri, Orani, Sisinnii, Philippi, Herifeli, Baseli. Nicomedia Adriani. Rome Lucii papæ. Hic constituit ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium æclesiasticum. DCCC Mart.

III Non. In Africa Coboli, Petri, Foce, Victoris, Eusebii. Alibi Saturnini, Marci, Rustici, Balatini, Barbalabii et aliorum VIIII mart.

II Non. In Nicomedia Victurini, et in Pamphilia Victoris. Africa Saturi, Revocate, Cassi, Necepoli, Papie, Diodori, Philaphariæ.

Non. Mar. In Mauritania Secundi, Saturi. In Africa Jucundi. Antiochia Leoci, Equine. In Mauritania sanctarum

[MART.] Perpetuæ et Felicitatis, Dande, Lenuce, Silvani, Rogati, Manili, Beati, Secunduli, Saturnini.

VIII Id. In Nicomedia Quirilli episcopi et Capitulini. In Africa Rogate, Felicis, et Orbani, Beroniæ, Ereme, Cyrilli episcopi, Sylvani et Manili. Cartagine Pontiani martyris, Cypriani episcopi.

VII Id. In Armenia minore natalis militum XL. In Africa Juliani et Sici, Cirilli, Philippi, Felicis, Cedecesi, Cendei, Mariani. Gregorii Nisenæ civitatis episcopi. Barcinnona Patiani episcopi.

VI Id. In Alexandria Candidi, Valerii. In Nizea Gorgoni. In Antiochia Agapæ virginis, Alexandri et Gagii atque Deumeniæ. Sanctorum XL martyrum. Palatini, Firmi.

V Id. In Nicea Firmi. Cartagine Zosimi. Alexandria Gagi, Philomi, Candidi. In Sebastem XL militum. In Cartagine Valeri, Quirilli. In Nicomedia Eunusci. Gorgonii.

IIII Id. In Nicomedia Mariani. In Africa Neonis, Andi. Rome depositio sancti Gregorii papæ. In Nicomedia Petri martyris. Innocenti papæ, Egduni presbyteri, cum aliis VII. Maximilliani, Egiloni * mart. Aliorum VII. Migdonii presbyteri, Domnæ virginis, Rugini, Marii. In Africa Andi, Silviani, Petuni episcopi, Modesti presbyteri, Domiciani, Metrodi presbyteri cum aliis CLIIII. Rome Rasi.

* *forsan* Egdoni

III Id. In Nicomedia Macedonii presbyteri. Cioni presbyteri, Saturni. Nicea civitate Teusitæ. Horris Theodore. Nindophare Marci, Arabiæ. In Nicomedia Januarii, Salvii, Petruni, Baselisse, Eufrasiæ, Domiciani, Luce, Duonii, Dioni. In Nicea Juli episcopi. Alexandri, Mariæ, Pioni. Tesalonica Alexandri.

II Id. In Thesalonica Dionisii, Palatiani. Rome Innocentii papæ, Leonis episcopi et martyris cum aliis XLVII. Nicomedia Felicissimi et Dativi, Petri, Naboris, Eufrosi, Frunimi. Zachariæ papæ.

Id. Mar. In Nicomedia Pauli, Silvii. Cartagine Solutoris, Hierosolyma Jacobi apostoli. Cartagine Octavi. In Thessalonica sanctæ Matronæ virginis. In Capadocia Longini. In Nicomedia Lucii episcopi, Fausti, Silvii mart. Hierosolyma Lucæ evangelista.

XVII Kl. Aquilegia Helarii et Taciani, et in Grecia Casto-

ris, Tyriaci, Pampini. In Nicomedia Pamphiliani, Castorii, [MART.] Dionisii, Nonni, Juliani. Rome Cyriaci, Sisinnii, Smaragdi, Largi cum aliis xx. In Vienna Isici episcopi.

XVI Kl. Nicomedia Dionisii, et Hibernia Scotiæ depositio Patricii episcopi. Rome Alexandri episcopi, Theodoli diaconi, Gerdrudis virginis.

XV Kl. In Alexandria Colecticii, Collegi, Coloti, Rogati, Samphorini, Victoris, Samphori cum aliis VII. In Nicomedia Servoli. In Mauritania Timothei, Rogati, Currenti, Salde, Alexandri episcopi. Rome Pimenii, Rogati.

XIIII Kl. In Cappadociæ Theodori. In Bethleem sancti Joseph, nutritoris Domini. In Affrica Bassi, Lucelli, Theodori episcopi, Catulini, Leonti, Florenti, Vonetæ, Johannis confessoris. Apud Surrentum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis VII.

XIII Kl. In Antiochia Joseph. In Syria Pauli et Cyrilli, Eugenii, Serapionis, Claudii, Tigrini, Valentini, Vulframmi confessoris. In Brittannia sancti Guthberti archiepiscopi.

XII Kl. In Alexandria Serapionis monachi, Josippi, Volusii, Philocali, Contini, Onis, Ammoni, Amatoris. Et in Cassino sancti Benedicti abbatis. In Lugduna Serapionis anachorite et sancti Lupicini abbatis.

XI Kl. In Narbona Secundi et Pauli confessor. In Sebasti Arionis, Decroni, Philocarpi, Luci. In Africa Saturnini cum aliis VIIII.

X Kl. In Africa Fidelis. Antiochiæ Theodori, Cesarea, Juliani. In Cesarea civitate Agatii, et Dionisii, Pigmenii conf. In Africa Victoriani, Frumentii et alterius Frumentii duorum germanorum.

VIIII Kl. In Syria Seleuci. Africa Agapiti, Romuli. Rome Cyrini martyris. Passio sancti Georgii martyris.

VIII Kl. Annuntiatio sanctæ Mariæ matris Domini. Hierosolyma Dominus Jhesus Christus crucifixus est. Passio sancti Jacobi fratris Domini. Eodem die immolatio Isaac et transitus filiorum Israel per mare Rubrum et victoria Michahelis archangeli. In Nicomedia Dulæ ancillæ. Rome Cyrini. In Sirmia Hyrenei episcopi.

VII Kl. Rome Castuli et Acatii. Lyutgeri conf. In Sirmio

[APR.] Montani presbyteri. In Sebasti Petri episcopi. In Antiochia Timothei, Pentapuli, Theodori episcopi, Herenei, Serapionis et Ammonii. Depositio sancti Kiliani episcopi.

VI Kl. Hierosolyma Resurrectio Domini nostri Jhesu Christi. Passio Alexandri martyris. In Affrica Mauroli, Acuti, Romuli. In Ægypto sancti Johannis heremitæ.

V Kl. In Affrica Rogatæ et in Cæsarea Mariæ, Rogati et Dorothei. In Tarso Liciæ Castorii. Cavillono Guntramni regis. In Cæsarea Prisci, Malchi, Alexandri mart.

IIII Kl. Nicomedia Pastoris, Victurini. Antiochia Theodori, Pentalis et Juliani, Gregorii Nazanzeni et Eustasii confessoris. Africa sanctorum confessorum Armogastis, Archinimi, Satiri.

III Kl. Thessalonica Domnini et Palatini. Alibi Victoris. Aurelianus depositio Pastoris. Rome Quirini martyris, Eulaliæ virginis.

II Kl. Africa Anesi, Felicis, Diodoli, Porti, Abde, Corniliæ, Valeriæ, Felicis et Balbinæ virg. Sancti Reguli episcopi et confessoris.

APRILIS HABET DIES XXX LUNAS XXVIIII.

In isto mense nox habet horas X dies XIIII.

Kl. Apr. In Armenia Partini, Quintiani, Victoris, Secundi. Et in Thessalonica Agapis, Herenei, Victoris, Ingenuæ. In Ægypto Stephani, Theodoræ, Venantii episcopi. In pago Viumnoense Walarici, Anastasii.

IIII Non. In Africa Amphiani. Thessalonica Theodoli. Lugduno Galliæ depositio Nicetii episcopi, Theodosiæ virginis. In Nicea Thomæ, Evacri, Benigne. Christi, Pancratii, Sixti mart. Agathæ, Amphiniani.

III Non. In Thomis Evagrii et Benigni. In Misia Agathæ. In Cesarea Theudisiæ virginis. Nicomedia Donati. Thessalonica sanctarum virginum Agapes et Thioniæ. Sicilia Pancratii martyris.

II Non. Thessalonica Theodoli. Et alibi Pauli, Orbani. Me-

diolanio sancti Ambrosii episcopi et confessoris, Agathonis diaconi. In Nicomedia Claudiani. In Alexandria Didimi, Amphiani, Tracti presbyteri. Alibi Andronici, Tharaci, Probi. [APR.]

Non. Apr. Nicomedia Claudiani. In Ægypto Mariani. In Alexandria Didimi. Sicilia Honorii. Cæsarea Amphiani. Thessalonica Hyrenes virginis. In Ægypto sanctorum Martiane, Nicanoris, Apollonii. In Cesarea Liciæ Amphiani, Agape, Chioniæ.

VIII Id. Sirmia Herenei. In Nicomedia Firmi. Africa Epiphanii episcopi. In Macedonia Timothei. Rome Sixti papæ et martyris. Hic constituit ut intra actionem missarum sanctus, sanctus, sanctus decantaretur. In Nicomedia Firmi, Herenei, Hyrmni, Solutoris, Quiriaci. In Syrmia Donati, Sixti, Florentii, Epefaniæ, Tymothei, Tyriæ cum aliis x.

VII Id. Alexandria Pelusii presbyteri et in Nicomedia Cyriaci cum aliis x. Antiochia Syriæ Timothei, sanctorum Hiesippi, Diogenis, Machariæ, Maxime, Eleusi, Copricæ, Victoris, Rufini.

VI Id. In Africa Januarii, Macharii, Timori, Conexi, Maximi, Concessi, Solutoris, Successi, Pinnari, Ammonii, Moysi, Romani. Turonis Perpetui episcopi. Rome Celestini papæ.

V Id. In Syrmia Dimetrii diaconi, Hilarii, Concessi, Furtunati, Marii, Donati et virginum VII. Procori diaconi.

IIII Id. Alexandria Apollonii presbyteri, Granii, Hilarii, Donati, Concessi, Saturnini, Gaiani, Pinnadii, Successi, Marcellæ, Theodorii cum aliis XVII. Hiezechielis prophetæ. In Dacia Ripensi. Antiochiæ Theodori.

III Id. In Mauritania Helarii. Salona Domionis. Rome Leonis papæ. Africa Furtunati, Philippi Cretensis episcopi, Domnini, Donati, Siagri conf. cum aliis CCX.

II Id. Rome Juli episcopi et in Cappadocia Quarti, Victoris, Urbani, Victurii, Marci, Optati, Tertii, Pauli, Agathonis, Isaac, Agapi, Valerii, Publii, Bassi, Juliani, Felicis et aliorum XLV. In Asia Carpi episcopi. In Capua Cipriani, Donate. In civitate Wapinco Constantini confessoris, Cari, Primi, Macharii, Acutinæ.

Id. Apr. In Calcedone Eufemiæ. Rome Januarii. Pergamo Asiæ Policarpi episcopi et Pauli diaconi, Eucapi, Secutoris,

[APR.] Catuli, Papirii diaconi, Agathonicæ, Justini philosophi. In Hispania Erminigildi martyris.

XVIII Kl. Rome Tiburtii, Valeriani et Maximi. Alexandria Frontonis. Alibi Proculi. In Picino Maronis, Messoris. In Mesopotamia Archelai, Comati. In Spania Lupertii, Apomidii, Marciani, Felicis, Fausti, Marcialis, Luciani, Georgii, Domnæ virginis.

XVII Kl. In Picino Maronis. In Mesopotamia Comati. In Antiochia Prosduce. In Spaniis Luperti, Euticetis, Victorini, Olimpii, Maximi, Optati, Successi, Urbani, Juliani, Publii, Frotoni, Felicis, Ceciliani, Evoti, Primitivi, Apodemi.

XVI Kl. In Chorintho Carissi. Rome Vincentii. In Mauritania Basiliæ et in Ponto Marcialis. Rome Aniceti papæ, Carisi cum aliis VII martyribus, Carissi, Lute, Letnedis, Calisti, Tertii, Christiani, Theodori, Carissi, Caritonis, Cæleste, Caleste, Basilii.

XV Kl. Antiochia Petri diaconi et Ermogenis et in Africa Furtunati et Marciani, Galli, Mappalici. Africa Mardiani, Barruci, Quinti, Victurici, Donati, Januarii.

XIIII Kl. In Salonia* Septimi. In Africa Victoris. Rome Partenii et Eleutherii episcopi. In Apulia sanctæ Anthiæ martyris. In Laubaco transitus sancti Ursmari episcopi et confessoris. Rome Apollonii, Perteni, Collociri, Hermogeni, Victoris, Pamphili, Victurici.

* *inter* i *et* a *littera* c *puncto deleta.*

XIII Kl. Africa Ermogenis et in Spaniis Vincentii, Caucoliberi, Gai, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ. In Corintho Thimonis. In Armenia Gagi. Africa Donati, Sericiani, Elladi, Antonici.

XII Kl. In Alexandria Aradi. Rome Victoris episcopi. Autisiodero Martini. Alibi Senesi martyris. Rome Sulpicii et Serviliani. In Galliis civitate Ebredunense Marcellini episcopi. Africa Serviani, Araaci, Silvaniani, Johannis, Orati, Martiæ.

XI Kl. Alexandria Furtunati. Rome Valeriani. In Sicilia Amphelici. Alibi Victoris. Sancti Symeonis episcopi et martyris cum aliis C. Rome Sotheris episcopi. In Alexandria Aratoris presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis. Rome Maximi.

X Kl. In Frigia Philippi. Rome Gagi episcopi. Lugduno Eppepodi. Senonis Leonis episcopi. In Cordula civitate Par-

menii, Helimene et Crisotheli presbyterorum. Lucae et Mucii diaconorum. [APR.]

VIIII Kl. In Africa Catulini. Rome Georgii martyris, Naboris. In Gallia Felicis presbyteri, Furtunati, Achillei diaconorum. In Perside Diospbli, Wolframni episcopi.

VIII Kl. In Alexandria Theonis. In Africa Faustini. In Babilonia tres pueri de camino liberati sunt. In Lugduno Alexandri cum aliis XXXIIII. In Brittannia Meliti episcopi.

VII Kl. In Alexandria. sancti Marci evangelistæ. Africa Nobilis. In Persida Georgii. Lugduno Rustici episcopi. Rome Lætania major. In Vienna Clarentii episcopi, Victoris, Corone. In [Si]racusa civitate Evodii, Ermogenis, Cælesti. In Africa Nobilis et Marciæ. Lugduno Rustici episcopi, Hermemphi, Fortunati.

VI Kl. In Axiopoli Cyrilli et in Antiochia Syriæ Leonidis. Vindei, Aurilis. In Affrica Victoris, Honorati, Julii, Victuri, Sirici, Pauli, Maximi, Simplicii, Pullionis et Cleti. Rome Anacleti papæ et Marcellini papæ, Claudii, Cyrini, Antonini.

V Kl. In Nicomedia Antimi et in Mileto Elpidii. In Tarso Ciliciæ Castoris. Antiochia Richarii. Rome Anastasii papæ. Nicomedia Anthimi episcopi et martyris, Stephani, Antonini, Genosi. Armeniæ Ermetis, Hilpidi, Hermogenis, Castori, Mauri, Germani, Gemmellinæ, Germanæ. Mauriatti diaconi. Genosi cum aliis XII.

IIII Kl. In Pannoniis Pollionis et in Tarso Ciliciæ Affrodisii. Rome Vitalis. Bituricas Eutici presbyteri. In Alexandria Theodoræ virginis. Carilippi, Agapii, Eusebii, Tuballi, Alexandri, Victurini, Malinæ cum aliis CCCX. In Affrica Niceæ virginis, Eusici confessoris. Manili cum aliis LXXX.

III Kl. In Alexandria Germani presbyteri, Pudenti. In Nicomedia Prosduci, Prudentis et Marcialis. Pagati. In Perusio Valentini. In Africa Grati, Meturinæ virginis cum aliis VI. In Numidia Agapi et Secundi episcoporum et martyrum. Emiliani militis, Tertullæ, Antoniæ virginis.

II Kl. Alexandria Frodisii. Rome Quirini episcopi, Dorothei presbyteri, Rodiciani diaconi, Victoris cum aliis XII. Mariani et Jacobi. Sanctonas Eutropi martyris. In Asia Maximi

[MAI.] martyris. In Alexandria Dorothei, Viatoris, Martini, Felicis, Rogati, Silvani, Saturnini, Pastoris episcopi, Secundiani, Pomodiani cum aliis XXIIII.

MAIUS HABET DIES XXXI LUNAS XXX.

In isto mense nox habet horas VIII dies XVI.

Kl. Mai. In Asia nativitas Philippi et Jacobi apostolorum. In Africa Quintiani. In Oriente Mathei apostoli. Sedunensi civitate Sigismundi regis. In Galliis Andeoli subdiaconi. Hieremiæ prophetæ, sanctæ Walburgæ virginis.

VI Non. In Alexandria Saturnini, Germani, Helpidiæ, Cælestini. In Armenia Ermogenis, Neopolis. Autisiodero translatio corporum Optati et Sanciani conf. In Armenia Hilpidi, Germani, Celestini.

V Non. Rome Eventii, Alexandri et Theodoli. Hierosolyma inventio sanctæ crucis. Juvenalis episcopi et confessoris. Autisiodero Eusebii, Aviti conf.

IIII Non. In Nicea Antonini. In Africa Cælestini. In Cæsarea Silvani et alibi Floriani, Quiriaci episcopi et mart. In Vienna Justi episcopi. In Palestina Silvani episcopi et sanctorum martyrum XL. In Africa Antoniæ, Felicis, Urbani, Fortunati presbyteri * Romani. Autisiodero Corcodimi confessoris, Petri, Marciali, Bellici.

* *interpunctio dubia.*

III Non. Alexandria Eutimii. In Thesalonica Herenis. Africa Gregorii. Arelato Herali episcopi, Hilarii episcopi. Vienna Niceti episcopi. In Alexandria sancti Euthimi diaconi. Tessalonica Peregrini, Hierenesi, Joviniani lectoris.

II Non. In Persida Mathei apostoli. Africa Secundini. Mediolanio Victoris. Autisiodero Valeri episcopi. Rome ante portam Latinam Johannis apostoli, Mariani, Jacobi martyr. Antiochia Eudii episcopi. Apud Cyrenen Lucii episcopi. Mediolanensis Felicis, Gagiani, Quinti cum aliis XX. Geronti.

Non. Mai. In Nicomedia Flavii et in Constantinopoli Achaici. In Africa Celerine, Maxime. Victori, Gai, Anti, Maximi, Donati, Marini, Furtunati, Rogati, Faustini episcopi,

Eutici cum aliis XLV. Augustiduno Placidi confessoris, Marcellini, Georgii, Hylarii conf. Nicomedia Augusti, Augustini. Juvenalis martyr. Benedicti pontificis. [MAI.]

VIII Id. Mediolanio Victoris. In Nicomedia Maximi. Africa Eutici. Autisiodero Helladii, Victoris mart. Martini presbyteri. Africa Eutici, Fortunati, Saturnini. In Constantinopoli Agati, Maximi, Marini, Rogatæ, Victoriæ, Floridi, Lucii, Flaviæ, Johannis, Casti, Gai, Juliæ, Felicis, Martiani, Minnæ. Autisiodero Peladi, Stephanæ. Vienna Dionisii episcopi.

VII Id. In Auxiopoli Quirilli. In Tarso Ciliciæ Afrodisii. Constantinopoli sancti Timothei. Nazanti oppido beati Gregorii episcopi qui theologus dicitur. In Perside CCCX. Quindei, Zenonis, Macharii abbatis. Afradisi, Gordiani, Primuli, Victoris.

VI Id. Rome Gordiani et Epimachi. In Africa Probatæ, Mœcæ, Petri, Januarii, Furtunionis, Tectæ, Lucillæ, Maximæ, Matronæ. Axiopoli Cyrilli, Dionisi, Crispionis, Zenonis. In Scotia Fausti. Depositio Job prophetæ. Afrodisi, Congilli abbatis, Feliciæ.

V Id. Rome Antemii. In Asia Demetrii. Sirmio Montaniani. In Africa Maiuli, Victurini. Rome Anthimi, Achilli, Æpemini, Nerei. In Asia Thadei, Nepotiani, Martini episcopi, Mammerti, Julii.

IIII Id. Rome Nerei, Achillei, Pancratii, Dionisi, Sotheris virginis, Quiriaci cum aliis DIIII. Apud Cyprum Epiphanii episcopi, Afroditi mart. Alexandri Moysitis.

III Id. In Oriente Taraci et Probi. Alexandria Agrippe et Sabini. Sancti Griffi, Luci, Cyrillæ. Autisiodero Marcelliani episcopi. Rome natalis sanctæ Mariæ ad martyres. Tungrensis Servatii episcopi. Depositio Martini confessoris. In Palestina Tharaci, Probi, Andronici, Victoris, Aucti.

II Id. In Syria Victoris, Corone. In Africa Secundini. In Asia Maximiani et in Mediolanensis Victoris, Naboris, Rustici. Rome Isidori, Bonifatii, Bachumii monachi.

Id. Mai. In Syrmio Timothei. In Sardinia Simplicii. Mediolanio Petri. Augustiduno XIII sanctorum confessorum, Torquati, Tysephontis, Secundi, Indalecii, Ceolii, Esitii, Eufrasii. Insulam Chium Ysidori martyris. Lamosacum Petri et Andreæ, Pauli et Dionisiæ mart. Tetrici episcopi et VII virginum.

[MAI.] **XVII Kl.** In Isauria Aquilini et Victoriani. In Epheso Gaiani. Autisiodero Peregrini. Apud Trecas Fidulini episcopi. In Pagoforo Maximæ virginis, Heradii, Paulini.

XVI Kl. In Alexandria Victoris et Basillæ. Rome Partenis, Calociri, Primi, Liberi conf. In Achaia Calisti et Felicis. Torpetis mart. Eraclii, Pauli, Aquilini.

XV Kl. Alexandria Potamonis, Hortasi. In Ægypto Dioscori, Marci evangelistæ, Serapionis, Pantheri, Hermonis cum aliis IIII. In Antiochia Petri et Ermogenis, Cassi.

XIIII Kl. Rome Caloceri, Partheni, Potentianæ virginis, Pudentis mart. Alexandria Areni d[iaconi]. In Cæsarea Epoliochi. In Africa Quinti, Primuli, Emelii.

XIII Kl. Rome Urbani. In Galliis Baudeli, Gervasi, Coprotasi, Basilissæ. Bituricas Austrigisili episcopi, Vellesi, Fausti episcopi. Rome Basillæ virginis.

XII Kl. In Mauritania Timothei, et Ravenna Martyrii. In Africa Victi. Alibi Valentis martyris. Polii et Euthici. In Cappadocia Polieuci, Victorii, Donati, Maurellæ, Quinti, Primoli, Salusti, Fortunati, Mathei apostoli. Autiosiodero Valis confessoris.

XI Kl. Africa Fausti. Rome Timothei. In Corsica Juliæ. Autisiodero Helenæ virginis, Casti et Emilii mart. Rome Venusti, Cotti, Rogati, Maxentii, Januarii, Rogatiani, Plassi.

X Kl. In Emerita Epicterii. Africa Quinti et Luci. Vienna Desiderii episcopi et Juliani. Linguonas Desiderii episcopi et martyris. In Hispania Epictici, Aptonii, Baseli. Africa Felix Januariæ, Basilei episcopi.

VIIII Kl. In Istria Servuli. In Africa Saturnini. In Syria Sature et Timini. Alibi Rogatiani. Sanctæ Manaen. Apud Antiochiam sancti Johannis. In Portu Romano Vincentii martyris. In Galliis Donatiani, Felicis, Silvani, et Dioclis, Zoelli.

VIII Kl. In Mediolanio Dionisii. In Campania Atellæ. Rome Urbani papæ, Eleutherii papæ. Epheso Johannis apostoli. Mesia civitate Passicratis, Valentioris et aliorum duo. Polegrati, Johannis, Sentiatæ, Macenti, Vincentii, Santæ. In Oriente Eusebii. Africa Fabiani. Trecas Leonis monachi.

VII Kl. In Africa Eracli, et in Tuder Thusciæ Felicissimi, Eradii, Paulini, Anteoni, Rufini, Saturi. In Britannia sancti

Augustini episcopi et confessoris. Autisiodero Prisci martyris. [JUN.]
Athena Quadrati episcopi et Quadrati martyris. Rome sanctorum martyrum Simmitrii presbyteri cum aliis XXII.

VI Kl. Alexandria Aquilini, Evangelii et aliorum XIIII. In Thomis Heliæ, Luciani. In Africa Sacci, Juli, Carpiæ, Salvatiani, Eutrici episcopi. In Sardinia Luciani. Arausica Eutropi episcopi. Dorustorensi civitate Julii et Esitii mart.

V Kl. In Africa Cetuli. In Sardinia Emelii, Felicis, Priami, Luciani. Rome Epigati, Johannis papæ. Parisius depositio Germani episcopi. In Pamphilia Primuli, Primi, Nonni, Aurosi, Eutasii.

IIII Kl. Rome Restituti et in Africa Primi. Treveris Maximini. In Spaniis Sicinoti, Cononis mart. Nicomedis Sisinnii. Alexandri martyris. Via Tyburtina VII germanorum.

III Kl. In Antiochia Esiciæ et in Sardinia Gavini, Palatini, Sici, Germani mart. Rome Felicis papæ. Item in Sardinia Gabinii et Crispoli.

II Kl. In Aquilegia Cantiani. Rome Processi. Cartagine Daciani. Rome Petronellæ virginis, Canti, Cantianillæ. Dedicatio Nicomedis martyris. Antiochia Paulini, Isici, Procati, Chrisogoni, Germani, Silvan, Lupi, Tertullæ, Juste, Tegle.

JUNIUS HABET DIES XXX LUNAS XXVIIII.

In isto mense nox habet horas VI dies XVIII.

Kl. Jun. In Thesalonica Octavii. In Antiochia Zosimi, Teclæ. In Africa Crispini. Rome Joventi, Cyriaci, Exuperanti, Eradiæ, Pamphili presbyteri, Caprasii abbatis. In Thesalonica Luciæ virginis, Autiæ, Rogatæ, Martiani, Saturnini, Potini, Pauli, Petri, Donati, Rogati, Ortensi, Malchi, Silvani, Quieti, Feliciæ, Januariæ, Faustinæ, Novellæ, Getulæ, Romanæ, Castulæ, Arabi, Pulli cum aliis CXX. Lupi cum aliis XII. Catulini, Martini, Gaiani, rgermani*, Rogati, Johannis, Maximi cum aliis LXX. Vienna Eladi episcopi, Claudii episcopi, sancti Prisci.

* *ita cod.*

IIII Non. Rome Marcellini et Petri. In Cæsarea Honorati,

[JUN.] Thamati, Seleuci, Porfimi, Pamphili. Alibi Tomaci, Rogati, Herasmi mart. cum aliis XLII. Silvini. In Axia cum aliis LXXVI. Petri, Blandinæ mart. cum aliis XLVIIII.

III Non. In Africa Quirini, Abidiani, Gai, Donati, Nepori, Papozini, Demetriæ cum aliis CXLVII, Julianæ virginis. Nativitas Thomæ apostoli. Rome Marcelli, Avidi, Gai, Saturni, Januarii, Cassiani, Quinti, Victurini, Silvani, Felix, Veneria, Rufinæ, Petri, Urati, Aproni cum aliis VII, Silvanus cum aliis XXXIII.

II Non. In Nineve Dinocii. In Saracia Cyrini episcopi. Rome Picti et Arecii. In Sicilia Expergenti, civitate Nividuno Zotici, Attali, Eutici, Camasi, Quirini, Juliæ, Saturnini, Galduni, Furtunionis et aliorum XXV, Rustici episcopi.

Non. Jun. Rome Feliculi. In Ægypto Marciani. Africa Evasi. In Syria Zoeli. In Vulda sancti Bonifatii archiepiscopi. In Ægypto Nicandri, Apollonii, Philippi, Eusi, Privati. Rome Bonifatii episcopi et martyris, Feliculæ et Felicitatis, Gregorii, Gai, Elari, Victuri.

VIII Id. In Africa Amanti et Lucii. Alibi depositio Glaudii episcopi. Gratianopoli depositio Cirati episcopi, Arthemii, Candidæ, Paulinæ. In Tharso XX martyr. Nividuno Amanti, Lucii, Alexandri, Andreæ, Donati, Peregrini. In Africa Itali et Zotici, Pamphili diaconi.

VII Id. Africa Pauli episcopi. In Bizantio Maharii. Africa Primosi, Victuri, Evasi, Fortunati, Magri, Achati. Cæsarea Luciani martyris.

VI Id. Rome Naboris et Nazarii. In Cesaria Cristi. In Nicomedia Nestoris, Primi, Marinæ. Suessionas Medardi episcopi. Andegavis Lucini episcopi, Carelefi confessoris.

V Id. Rome Primi et Feliciani. Alexandria Maximi. In Galliis passio sancti Vincentii. Sanctæ Columbæ virginis. In Scottia sancti Columbæ confessoris, Basilidis, Maximi, Censuri. Zachariæ, Primi. Nicea Diomedis.

IIII Id. Rome Basilidis. In Spaniis Crispuli. In Autisiodero Censuri episcopi, Gethulii martyris, Aurisi, Rogati, Januarii, Martini, Basillæ cum aliis XII.

III Id. Rome Basillæ et in Aquilegia Furtunati et Felicis. Alibi Naboris et Barnabæ apostoli. Corinthi Sostenes discipuli

sancti Pauli apostoli. Rome Crispuli et Restituti. Aquilegia Emeriti, Victuriani. [JUN.]

II Id. In Tripoli Magdaletis. Rome Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii, Celsi pueri, Tripuli, Zabimi, Aurili, Felicis episcopi, Helidi episcopi.

Id. Jun. In Africa Luciani et Furtunati et in Persida Bartholomei apostoli. Rome Feliculæ virginis et martyris, Crescentiani, Teclæ.

XVIII Kl. In Phrigia Antonionis et in Epheso Miogenis. In Africa Quintiani. Suessionas Valerii, Rufini, translatio corporis sancti Aniani. Cesaria Cappadociæ Basilii episcopi fratris Gregorii et Petri, Basilii. Africa Ateonis, Afræ, Quintiani, Aniani, Aureliani, Protus.

XVII Kl. Constantinopoli Mucii. In Lucania Viti. In Benevento Martii. In Sicilia Viti, Modesti et Crescentiæ, Cantiani, Proti, Marci, Clementis, Gaiani, Joviani, Philippi, Mici *.

* *forsan* Nuci.

XVI Kl. Africa Quiriaci. In Sicilia Saturnini et Cendeni. In Antiochia Cirici et Julitti mart. Apud urbem Visenionensem sanctorum martyrum Ferioli presbyteri, et Ferreuntionis diaconi, Similiani episcopi et confessoris, sancti Aureliani episcopi Arelatensis civitatis. Africa Diogenis, Valeriæ, Valerie, Marciæ.

XV Kl. Rome Diogenis. In Ravenna Fronii. Alexandria Dioscori. In Aquilegia Cyriæ. Aurelianis Aviti presbyteri, Vulmari confessoris. Rome CCLXII martyrum, Quiriaci, Blasti, Nicandri, Dorostori, Isici, Canti, Cantiani, Alexandri, Marini.

XIIII Kl. Africa Emilii et Felicis. Rome Marcelliani et Marci. In Alexandria sancti Martini. Africa Macharii et Felicis. Ravenna Marini martyris.

XIII Kl. Mediolanio Protasi et Gervasi, Marcelli. Rome Evodi, Petri, alibi Valeriæ et Vitalis. Ravenna Ursicini martyris. Rome Silverii papæ, Yppoliti, Honorii.

XII Kl. Ravenna Crispini et Vitalis. In Thomis Pauli et Cyriaci. Alibi Martyriæ, Novati, Praxedis virginis, Felicianæ, Thome, Felicis.

XI Kl. In Africa Cyriaci et Bellici, Rufini, Marciæ, Apollonaris, Saturnini, Primi, Januarii. In Cæsarea depositio Eusebii episcopi. Rome sanctæ Demetriæ virginis. In Magontia sancti Albani martyris.

[JUN.] **X Kl.** In Antiochia Gantali et Juliani et aliorum octingentorum LXXVII martyrum. In Persida Jacobi Alphei apostoli. In Nola Paulini episcopi. Alexandria Rufini martyris. In Brittannia Albini martyris cum DCCCVIII * depositio sancti Niceæ Romatianæ civitatis episcopi.

* *videtur error primæ manus correctus.*

VIIII Kl. Nicomedia Aviti et Zinzami, Agapitonis, Ritonis, Emeriti et aliorum LXXVIII. Rome Johannis presbyteri. In Brittannia Ediltrudæ virginis et reginæ. Vigilia sancti Johannis Baptista.

VIII Kl. In Sebastia nativitas sancti Johannis Baptistæ et in Epheso dormitio sancti Johannis evangelistæ. Augustiduno Simplicii episcopi. Rome Fisti, Luceiæ cum aliis XXII.

VII Kl. Africa Gaudentii, Felicis et Agapiti. In Alexandria Agatonis et Luciæ virginis, Gallicani martyris, Emeritæ, Bigati, Diogenis, Sosipatris discipuli sancti Pauli.

VI Kl. Rome Johannis et Pauli. Et in Thesalonica Lanitani et Lantani, Bigati. Rome Aceiæ.

V Kl. Rome sanctæ Simphorosæ virginis cum VII filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primesio, Justino, Stacteo, Eogenio, Crispini et Crispiniani. In Corduba Cresc̄. beati Zoeli cum aliis XVIIII. Rome Felicis, Spinellæ, Vigilii mart. In Oia Florentis. Galat[iæ] Crescentii sancti Pauli discipuli.

IIII Kl. Africa Fabiniani, Felicis, Elaphi, Venusti, Criscenti, Arionis, Dionisii, Gurdini. In Alexandria Theodori, Plutarchi, Sereni, Eraclidis, Herois, Potamianæ, Marcellæ, Heræ, Sereni, Orionis. Rome Leonis papæ. Lugduno Herenei episcopi. Vigilia apostolorum.

III Kl. Rome natalis apostolorum Petri et Pauli et aliorum DCCCCLXXVII. In Persida Simonis et Judæ apostolorum.

II Kl. Rome celebritas sancti Pauli, Timothei, Zotici. In Agripina Asclini et Pamphili. In Lemovicas depositio sancti Marcialis episcopi et confessoris. Lucine discipuli apostolorum.

JULIUS HABET DIES XXXI LUNAS XXX.

In isto mense nox habet horas VIII dies XVI.

Kl. Jul. In Nicomedia Zoeli. Rome Gagi papæ, Luciæ virginis, Accege regis cum aliis VIII. Isici, Processi, Victuris, cum aliis XII. Orionis cum aliis VIII, et aliorum CCLXIIII. In Antiochia Severiani, Idonii. In monte Or depositio Aaron sacerdotis, Monegundis virginis. Lugduna Domitiani abbatis. Vienna Martini episcopi. In Persida Simonis Chananei et Jude Zelotis apostolorum. Augustiduno Leonti episcopi. In Eclesima Eparti episcopi.

VI Non. Rome Processi et Martiniani, Melciadis episcopi, Damasi papæ, Eutici papæ. In Mesopotamia Esicii et Aurixi, sanctorum trium militum, sanct.* mart. Ariston, Crescentiani, Euticiani, Urbani, Vitalis, Justi, Felicissimi, Felicis, Marciæ, Simphorose. Turonis Monegundæ virginis.

* *forsan* sive

V Non. In Alexandria Triphonis et Menelai. Mesopotamia translatio corporis Thomæ apostoli. Rome Leonis papæ. In Cæsarea Gregorii episcopi. In Constantinopoli Eulogii, Eufemiæ, Accatii, Ammonii, Heradi, Juliani. Laodicia Anatholii episcopi. In Tarso Severi et Helionis.

IIII Non. In Africa Jucundiani, Sereni et Theodori. In Thuronis translatio corporis sancti Martini. Lugduno Votini episcopi, Blandine, Pontici, Oseæ et Aggei prophetarum. In Affrica Jucundiani. Biturica Lauriani martyris. In Sirmia sanctorum Innocenti et Sabbatiæ cum aliis XXX.

III Non. Agathoni, Theodoti, Triphonis, Magrini et Arpotis. In Siria Domicii. Rome Zoe uxoris Nicostrati. In Thomis Straturis, Theudoti, Marini, Maximi, Secundi.

II Non. In Alexandria Artotis, et Zotici. In Africa Aratoris. Nividuno Zotici et Amandi, Goaris confessoris, Tranquillini. Alexandria Philippi, Severi. In Siria Aratoris. Augustiduno Legontii episcopi.

Non. Jul. In Alexandria Parmeni et Eracli et alibi Partemi et Pividii cum aliis VII. Sancti Willibaldi confessoris, Parteni. Rome Nicostrati primoscrinii, Claudii commenta-

[JUL.] riensis*, Castorii, Victorini, Simphoriani. In Vienna Eooldi episcopi.

* *prima manus* ...ses

VIII Id. In Syrmio Citracii, Perenti. In Cæsarea Propopi. In Nicea Eladii. In Eraclia Johannis, Cyrilli episcopi. Asiæ Aquilæ et Priscillæ, Sustrati, Speri, Eracli, Pii cum aliis XVIIII. In Syrmia Parenti, Cecirie, Quarti, Corniliani cum aliis L. In Eraclea Johannis abbatis, Kiliani episcopi et martyris.

VII Id. In Thomis Zenonis. In Mediolanio Mœci. In Sicilia Feliciani. Rome Floriani. In Ægypto sancti Serapionis episcopi et confessoris. Rome Virgi, Philippi, Alexandri cum aliis VII. Fraterni episcopi.

VI Id. Rome natalis VII fratrum, id est Felicis, Philippi, Vitalis, Marcialis, Alexandri, Silani, Januarii. In Alexandria Leonti, Marci, sanctorum Januarii, Marini, Naboris et Felicis. Sanctarum virginum Rufinæ et Secundæ.

V Id. In Alexandria Euticii. In Africa Januarii. Rome Stephani et depositio sancti Benedicti abbatis. Alexandria Leonti, Mauricii, Melliti, Acelei, Eustasii. Antiochia Maximi, Rodigi. In Armenia Januarii, Pelagiæ, Milionis et Diomedis.

IIII Id. Mediolanio Naboris et Felicis. Rome Primitivi. In Sicilia Agathæ virginis. Ermagoræ papæ. In Aquilegia Furtunati. In Cæsaria Divi. Lug[du]no Viventio bis sacer episcopus.....* In Cypro Nasonis **.

III Id. In Alexandria Serapionis, Trofime, Meneti, Evangelii, Trophimæ virginis, Zenonis, Attali. Africa Eugenii, Salutaris et Murittæ diaconi. Ezdræ et Johel prophetarum. Sileæ sanctæ Margaretæ virginis.

* *expunctæ videntur aliquot litteræ de industria.*
** *forsan* Trasonis.

II Id. In Alexandria Philippi. In Africa Papiæ. Antiochia Petri. Lugduno Justi episcopi. Alibi Foci episcopi, Alexandria Antiochi, Mari, Mammari, Petri, Gummi, Justi et Amici et Antiochi confessorum.

Id. Jul. Syrmio Agrippini et Secundi. In Alexandria Philippi. In Cartagine Catulini, Januarii, Florenti, Juliæ et Justæ. Rome Jacobi episcopi, Eutropii, Zosimæ et Honose. Marsei, Catulini, divisio apostolorum. Cyrici et decem infantum.

XVII Kl. In Hostia civitate Helarini. In Antiochia Teudoti. Mediolanio Mochimi. In Cæsarea Pauli. In Antiochia

Siriæ episcopi. Eustachii mart. Theudosii, Dionisii, Mamme, Valentini, Theonii, Diocleti, Migetii. [JUL.]

XVI Kl. Mediolanio Marcelli. In Africa Aquilini. Cartagine Generosæ, Ganuariæ. In Asia Nazarii, Venturi. Lugduno sanctorum martyrum Scyllitanorum, id est Sperati, Narthali, Cythini, Beturii, Felicis, Aquilini, Lætacii, Januariæ, Generose, Bessiæ, Donatæ et Secundæ.

XV Kl. In Alexandria Sisinni. Rome Semperosi. In Dorosthoro Emiliani. Alibi Febei episcopi. In Cartagine sanctæ Luddene. Rome Simphrosæ et Petri, Marcelliani. Autisiodero Bassi, Maximi. Africa Aquilini, Sperati, Januariæ, Titiani.

XIIII Kl. In Antiochia Macedonis. Constantinopoli Luciani. In Spaniis Justi. Lugduno Rustici presbyteri, sancti Arsenii. In Hispania sanctarum Justæ et Rufinæ martyrum.

XIII Kl. Africa Luciani. In Thebaida Victuri. In Damasco Sabini, Maximini, Juliani, Macrobii, Cassii, Paulæ cum aliis x. In Africa Sabinæ, Petri, Amabili, Agrippiani, Respectati cum aliis xx tribus, sancti Joseph qui cognominatus est justus. Rome Passeriæ.

XII Kl. In Africa Heliæ et in Massilia Victoris. Rome Praxedis. In Alexandria Diodori, Feliciani, Danielis propheta. Antiochia Cyrilli episcopi, Andreæ, Auri, Sterthei, Platonis, Heliani, Aiobosi, Apollinaris episcopi.

XI Kl. In Antiochia Mariæ Magdalenæ. In Philippis sanctæ Sentichen virginis. In Ancyra Galatiæ sancti Platonis martyris.

X Kl. Ravenna Apollinaris. Rome Vincenti et in Laodicia Minisei, Tysiciæ et Primitivi. Sancti Liborii confessoris.

VIIII Kl. In Armenia minore Sebasti, Theogenis, Victoris et aliorum LXXX trium. Alibi Victuri. Rome Vincentii martyris. In Italia Cristinæ virginis. In Armenia Teuzoti, Statiani, Capitonis. Eodem die sanctorum Nicetæ et Aquilæ, sanctæ Glodesindæ virginis.

VIII Kl. In Portu Romano Acontii, Nonni. Passio sancti Jacobi apostoli fratris Johannis et alibi Clementis *, Juliani et sancti Christophori. In Hispania Cucuphatis martyris. Rome Agathonis.

* elementis *cod.*

[AUG.] **VII Kl.** In Laodicia Joviani et Juliani, Emili, Felicis, Marciani et Maximi, Saturnini, Adriani, Mociani. In Philippis Herasti martyris. In Portu Romano Jacinthi martyris et dedicatio Sancti Salvatoris in Prumia.

VI Kl. In Campania Nola civitate Felicis episcopi et in Syria Symeonis monachi. In Nicomedia Januarii, Ermolai presbyteri, Juliæ, Jocundæ. Autisiodero Etherii episcopi.

V Kl. In Laodicia Theophili, in Nicomedia Pantaleonis. In Sicilia Cosconiani. Alexandria Zotici. In Lugduno Peregrini presbyteri, Auxentii, Pudenti, Philippi, Augustæ virginis, Theophili, Viatrici, Heronis, Rodini. In Brittannia Samsonis.

IIII Kl. Rome sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis. Tregas Lupi episcopi. Aurelianis depositio Prosperi episcopi. Rome Abseodi, Rufi, Abdi, Pontiani, Niceti, Anastasiæ. In Africa Felicis, Niceti, Philippi, Saturnini, Pelagiæ.

III Kl. Rome Abdo et Sennes. In Africa Maxime et Prisci. Autisiodero depositio Ursi episcopi. Africa sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ et Secundæ.

II Kl. In Frigia Democriti. Autisiodero Germani episcopi et natalis Aunacharii episcopi, sancti Fabii martyris.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI LUNAS XXVIIII.

In isto mense nox habet horas X dies XIIII.

Kl. Aug. In Antiochia passio septem fratrum cum matre. Rome ad sanctum Petrum ad vincula, sancti Secundi. Vercellis Eusebii episcopi. Bituricas Archadii episcopi. Vienna sancti Veri episcopi qui unus fuit de discipulis apostolorum, sancti Nectari episcopi. Civitate Philadefia Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri martyr. In Hispania Felicis martyris.

IIII Non. Rome sancti Stephani episcopi, et in Verona Felicis. In Antiochia VII martyrum. Alibi Theodotæ cum tribus filiis suis.

III Non. In Ancona Stephani. Rome Drogenis, et Justini. Hierosolymis inventio corporis sancti Stephani et sanctorum

Gamalielis, Nichodemi et Abibon. Constantinopoli sancti Hermelli martyris. [AUG.]

II Non. In Nicomedia Isei, et Roma dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ. Alibi Floriani et Bassi, sancti Aristarchi discipuli sancti Pauli apostoli. Rome Tertulii martyris.

Non. Aug. Augusta civitate....... Lugduno* Cassiani episcopi, Catalaunis Meminii. Alibi Hereni. * *cod.* Augd.

VIII Id. Rome natalis sancti Sixti episcopi, Felicissimi, et Agapiti, Donatiani, Faustini et militum CXLV. Januarii, Magni, Vincentii, Stephani, Quarti. In Hispania Justi et Pastoris.

VII Id. In Antiochia Sofronii, et in Aretia Donati episcopi. Mediolanio Faustini. Alibi Carpofori. Rome sanctorum martyrum Petri, Julianæ cum aliis C et VIII.

VI Id. Rome Secundi. Et Cyriaci. Nicomedia Nazarii, et Agapæ virginis. Philadelphia Leonidis. Vienna Severi presbyteri et confessoris. Rome Secundini, Severiani, Carpophori, Victorini, Ortensi, Julianæ, Medrotæ virginum.

V Id. In Syrmio Rustici. In Alexandria Antonini, Tyburtini, Valeriani, Dyonisii, Euticiani. Rome Dionisii episcopi. In Lemovicas Martini. Nicomedia Latici, Juliani. Vigilia sancti Laurentii. Rome Romane militis, sancti Auctoris episcopi.

IIII Id. Rome natalis sancti Laurentii, Ciriaci et Largi, et alibi Januari, Cyrilli, et Quinti, Claudii, Severi, Crescentii, Romani, CLXV militum.

III Id. Rome sancti Tiburtii, et Nicopoli passio multorum martyrum, et Foro Cornelii Cassiani, sanctæ Susannæ virginis et martyris, Gaugerici, Cameracensis Æclesiæ episcopi.

II Id. In Sicilia Eupli. In Africa Juliani et Macharii mon. Rome Crisanti, Dariæ, Claudiani, sanctæ Ylariæ matris sanctæ Afræ, cum Digna, Eumenia et Euprepia.

Id. Aug. Rome sancti Ypoliti, Pontiani episcopi, et Pictavis Radegundis reginæ. Alibi Antioci episcopi. Sancti Wigberti confessoris.

XVIIII Kl. In Syria Demetrii, et in Aquilegia Felicis, et Eutici. Rome Eusebii presbyteri. Vigilia assumptionis sanctæ Mariæ Virginis.

XVIII Kl. Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri

[AUG.] Jhesu Christi. In Nicomedia Philippi et Euticiani, sancti Tarsitii acoliti et martyris.

XVII Kl. In Alexandria Orionis, Emeli, et alibi Agnati. In Persida Tyrsi. Et dedicatio æclesiæ sanctæ Mariæ in insula, sancti Arsatii confessoris. Mettis sancti Arnulfi confessoris. Rome sanctæ Serenæ uxoris Diocletiani.

XVI Kl. In Cesarea Capadociæ sancti Mammetis. In Calcidone sanctæ Eufemiæ. Et dedicatio oratorii sancti Johannis Baptistæ in insula. In Africa Liberati abbatis, Bonifatii diaconi, Servii et Rustici subdiaconorum, Rogati et Septimini mon. et Maximi pueri, octava sancti Laurentii.

XV Kl. Rome Agapiti, et in Ponto Pontimi, Pilantii, et sancti Martini papæ. Alibi Candidi, sanctorum Filionis, Rufini, Leonti, Theodoli, Cyrilli, Zelasi, Orionis, Magni mart. Biturio Marinæ martyris.

XIIII Kl. In porto Amasiæ civitatis Filionis. In Alexandria Orionis. In Biturico territorio Mariani, sancti Magni, Donati presbyteri, Julii martyris, Leonti, Pisti, Diomedis, Agatini, Zeli, Pamphili, sancti Maximi confessoris.

XIII Kl. In Alexandria Dioscori, et in Lucania Valentiniani. In Sinnada civitate Pisti, et Arcii, Samuelis propheta, sancti Porphirii.

XII Kl. In Spaniis Vincenti. In Lucania Valenti. In Sardinia Luxuri. In Alexandria Sevi, civitate Salona Anastasii martyr. Sanctorum martyrum Bonosi et Maximiani. In Hispaniis Juli, Juliani, Auguri, Eolodi, Hypoliti, Trajani, Leonti.

XI Kl. Rome Timothei, et in Ponto Nectarei. Augustiduno Medardi et Simphoriani. In Portu Romano natalis sanctorum peregrinorum martyrum Marcialis, Epictei, Saturnini, Aprilis, et Felicis cum sociis eorum, sancti Antonii martyris, sancti Eusebii, Pontiani, Peregrini, Vincentii.

X Kl. In Aquilegia Furtunati. Rome Cyriaci. Lugduno Minervi. Augustiduno Flaviani episcopi, sanctorum martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ cum aliis XII. Theone, sancti Zachei episcopi, Eleazari cum filiis VIII. Rome Ypoliti, Quiriaci et Archillai, sanctorum Timothei et Apollonaris, Claudii, Asterii, Neonis, Domninæ, Theonillæ, Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ, Theonis.

VIIII Kl. In India sancti Bartholomei apostoli. Rome [SEPT.] Genesi. Rodonis depositio sancti Audoini episcopi. Cartagine Massæ candidæ. In Antiochia Genobi, Capitulini, Emeritæ, Patricii, Gelhardi conf. Augustiduno Eptati confessoris.

VIII Kl. In Arelato Genesii. Rome Euticetis. In Syria Juliani. In Capua Rufini. Alibi Justi, Pastoris. Rome Genesii, Eusebii, Pontiani, Peregrini, Vincentii.

VII Kl. In Salona Anastasi. In Apulia Mercurii. Rome Maximiliani. Arelato Victoris. Rome Zeferini papæ, Herenei, et Habundii martyr. In Italia Secundi martyris. Alexandri martyris.

VI Kl. In Campania Rufi. In Antiochia Sebasti. In Thomis Marcellini. Arelato Cesarii episcopi. In Thomis Marcellini tribuni, et uxoris ejus Maneæ, et filii ejus Johannis, et Serapionis clerici, et Petri militis. Augustiduno Syagri episcopi.

V Kl. Rome Ermetis. In Africa Augustini episcopi. Arvernis civitate Juliani. Sanctonis Vibiani episcopi. Constantinopoli Alexandri episcopi et confessoris.

IIII Kl. In Emissa civitate Fœnitiæ provinciæ decollatio sancti Johannis Baptistæ. Rome sanctæ Sabinæ, et pausatio Helisei prophetæ.

III Kl. Rome via Ostensi natalis sanctorum Felicis et Adaucti, Gaudentiæ virginis cum reliquis tribus.

II Kl. In Treveris depositio Paulini episcopi, et in Ancyra Galaciæ Gagiani, Vincentiæ. Autisiodero sancti Optati episcopi. Athenis Aristidis, Gaiani, Juliani, Rufini, Vincentii, Silvani, Florenti, Italicæ, Antiquiræ, Emelinæ, Justæ, Juliæ, Anthinei, Maximi. Item Vitalici, Eladi, Syrgi, Florentini, Adceniæ.

SEPTEMBER HABET DIES XXX LUNAS XXX.

In isto mense nox habet horas XII dies XII.

Kl. Sept. In Appollonia Felicis, et Donati. In Capua Prisci. In Cassino Constantii, et Feliciani, Jesu Nave, et Gedeon prophetarum, Annæ prophetissæ. Senonas Lupi episcopi. In Cæ-

[SEPT.] sarea Longini martyris, Victoris episcopi, et sanctæ Verenæ virginis.

IIII Non. In Nicomedia Zenonis, Gorgonii, et in Sicilia Eopoli. In Apulia Felicis. In Antiochia Timothei, sancti Mammæ mart. Justi, Remacli, et Permini. In Lugduno Helpii episcopi. Apud Apamiam sancti Antonii martyris.

III Non. In Syria Antonini, et Aristenis episcopi. In Alexandria Arestenippi episcopi. Alibi Lucæ, et Johannis. Rome sanctæ Seraphiæ virginis, sancti Feliciani, sancti Mansueti confessores.

II Non. In Ancyra Marcelle. Rome Bonifatii episcopi, Caballonis Marcelli, Treveris Paulini, Moysi prophetæ, trium puerorum, Rufini, Silvani et Vitalicæ. Sancti Mansueti episcopi et confessoris.

Non. Sept. In Portu Romano Taurini. In Capua Quinti. In Ægypto Taurini. In Vesontio Pherioli. Rome Victorini martyris, Herculani. Capue sanctorum Quinti, Arcontii et Donati.

VIII Id. In Reati Eleutherii. In Capadocia civitate Teriatin * Guttidi. Alibi Eugenii, Zachariæ propheta. Sancti Honesiphori apostolorum discipuli. In Africa Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani, Faustuli episcopi et confessoris.

* *vox dubia; forsan* Teriat.

VII Id. In Capua Sinociæ. In Benevento Januarii. Arelato Agustalis. Parisius Flodoaldi regis, Evortii confessoris. Aureliani. Sinotis mart. Acuti, Desiderii, Anastasii mart.

VI Id. Nativitas sanctæ Mariæ matris Domini. In Antiochia Timothei, Fausti, et Pii. Rome Adriani martyris.

V Id. Rome Gorgonii, Dorothei, Sabini, Jacinthi, et Alexandri. In Cesarea Capadociæ Donatæ et Marci. Rome Sergii papæ, Fortunati, Tyburtii mart.

IIII Id. In Alexandria Orionis et Erosi. Rome depositio Hilarii papæ. Africa Tusci, Doletatuli, Valentini, Salvii, Audomari episcopi et confessoris, Nemesiani, Felicis, Lucii, Felicis, Littei, Poliani, Victoris, Jaderis, Dativi. In Calcedone Sostenis, et Victoris, Euplie, Alexandri, Cupsici, Hisici, Alaposi, Silvani cum aliis v. In Alexandria Nemesi, Ammonii, Dimidi, Meresori, Acellei, Niceti cum aliis DCCCVI.

III Id. Rome Proti et Jacinthi, Basillæ, Syri, et Serapionis. Alibi Felicis, et Regulæ, Patientis.

II Id. In Antiochia Timothei, in Pamphilia Syri. In Sicilia Eupli. Rome Proti et Sanctini. In Papia sanct. confess. Siri et Yventii, Diofoli, Matronæ, Teglæ virg. In Asia Sacerdotis episcopi, Lugduno Euzitii episcopi. Augustiduno Eusebii. [SEPT.]

Id. Sept. In Apulia Felicissimi. In Alexandria Theodoli. Augustiduno Nectari. Andegavis Maurilionis. In Alexandria Philippi episcopi et martyris, sancti Amati presbyteri et abbatis, Saturi, Dionisii, Felicis, Honorii, Zetæ, Eparci.

XVIII Kl. Rome Cornelii. In Cartagine Cypriani episcopi. Exaltatio sanctæ crucis. Treveris Materni episcopi.

XVII Kl. In Alexandria Serapionis. Rome Nicomedis, et in Viceria, Constantii. Lugduno Albini episcopi, sancti Valeriani martyris, sancti Apri Tullensi episcopi et confessoris, Cyrini, Serapionis, Leontii, Valerii. In Lugduno Aplini episcopi, Leubini confessoris.

XVI Kl. Rome Luciæ, Eufemiæ, et Geminiani, Papiæ, Felicis, Victoris, Alexandri, Ceciliæ.

XV Kl. In Nuceria Constantiæ. In Nividuno Valeriani, et in Gallia Landebertis episcopi et martyris. In Brittannia Socratis, Stephani, Macrini, et Cordiani, sancti Justini presbyteri, Narcissi, et Crescentionis mart. Lucæ Victurini, Hermetis, Traxii, Potioli, Januarii, Luci, Victricis, Leuci, Victricis, Justi mart.

XIIII Kl. In Calcedonia Trofimi. In Nicomedia Otiani, et Xisti. Mediolanio Eutropi episcopi, et Saturi, sancti Methodii, Olimpii, Liciæ, Tyri episcopi. Vienna sancti Ferreoli, Rustici, Arsenii.

XIII Kl. In Alexandria Demetrii. In Neapoli Januarii, et in Vienna Ferioli. Alibi Mileti, Januarii episcopi, Sosidii diaconi, Festi, Desiderii. In Palestina Pelegii et Nili episcoporum. In Niceria Felicis, et Constantiæ mart. In Linguona Sigonis presbyteri.

XII Kl. In Syria Doromi, Dionisii et Dorothei. Rome Januarii. Alibi Constantiæ. In Cizico Faustæ virginis, Evilasii. Rome sanctorum martyrum Eustachii, Agapiti, Steopisti, atque Theophistæ.

XI Kl. Mediolanio Victoris, et in Persida civitate Tarrium

[OCT.] natalis sancti Mathei apostoli et evangelistæ. Alibi Luciæ evangelistæ.

X Kl. Rome Basillæ, et in Gallia civitate Siduns loco Agauno, natalis sancti Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, cum aliis sex milia sexcentis sexaginta sex martyribus eorum, Innocentii, Vitalis.

VIIII Kl. In Oriente Teclæ virginis et in Alexandria sancti Marci evangelistæ. Rome sancti Liberii episcopi, sancti Sosii diaconi, *et * sanctæ Luitdrudis virginis.*

* *vocabula manus secundæ.*

VIII Kl. Rome depositio Liberii episcopi, Macharunta castello conceptio sancti Johannis Baptistæ. Augustiduno sancti Andochii presbyteri, Tyrsi diaconi, et Felicis, Juliani, Cristophori, Laurentii, Marcialis, Victoris. Avernis Rustici episcopi.

VII Kl. In Asia natalis sancti Bardoniani, Eucarpi, et aliorum XXVI, Cleophæ, Lugduno Lupi episcopi. Alibi Marci, Firmini.

VI Kl. Rome Eusebii, in Albano Senatoris. In Sardinia Luxori. Arvernis Apollonaris episcopi, sanctorum martyrum Cypriani episcopi, et Justinæ virginis.

V Kl. In Cesarea Eleutherii, et in Bizantio quinque fratrum, Cosme, et Damiani, Florentini mart. Antimi, Leontii, Euprepii.

IIII Kl. Rome Stertei. In Africa Marcialis, et Leonti. Autisiodero Alodi episcopi. Rome Justini. In Asia Fausti, Januarii mart.

III Kl. In Tracia Eutici. Et dedicatio basilicæ archangeli Michahelis. Rome Placidi.

II Kl. In Placentia Antonii. Alibi Casti et Desiderii, et in Bethleem depositio Hieronimi presbyteri. In Gallia Victoris, Ursi mart.

OCTOBER HABET DIES XXXI LUNAS XXVIIII.

In isto mense nox habet horas XIIII dies X.

Kl. Oct. In Thomis Prisci, Autisiodero Germani episcopi, Remis depositio sancti Remigii episcopi, sancti Crescentii, Evagrii, Fronti episcopi, Bavonis, et Pionis, Vedasti.

VI Non. In Nicomedia Eleutherii. In Antiochia Primi, et Quirilli. Rome Eusebii. Alibi Pontii, Leodegarii episcopi. [OCT.]

V Non. Rome Candidi. In Antiochia Theoctisti. In Ægypto Marci. In Africa Victoris, et Urbani, sancti Dionisii ariopagitæ, Theogenis, Sulpitii, Serviliani mart. Sanctorum Ewaldorum presbyterorum.

IIII Non. Rome Marcelli episcopi. In Africa Adaucti et Restituti. In Anxiopoli Dasii. Alibi Marcelli episcopi, sanctorum Crispi, et Gai, Albinæ, Marsi, Marii, et Martiani.

III Non. In Sicilia Euticii et aliorum VIII. In Valentia Apollonaris episcopi, Autisiodero Firmati diaconi. Traseæ episcopi, Placidi, sanctæ Cristinæ virginis.

II Non. Rome Marci episcopi. In Apulia Casti. In Africa Rogati. Alibi Fidis martyris, Emilii, Saturnini, sancti Sagaris episcopi et martyris, sanctæ Balbinæ virginis.

Non. Oct. Rome Marci episcopi et confessoris. In Capua Marcelli, et Quarti. Alibi Sargi. Bituricas Augusti presbyteri, sanctorum Juliæ, Sergi et Bachi, sanct. Marci, et Apulei.

VIII Id. In Antiochia Pelagiæ. Alibi Juliani, Marcialis, et Privati. Rome Eusebii et Eraclii, Philippi episcopi, Dionisii, Januarii, Privati, Victori, Eraclii, Juliani, Faustini, sanctæ Reparatæ virginis, sancti Demetrii martyris.

VII Id. In Laodicia Dioderi. Parisius Dionisii episcopi, Rustici presbyteri et Eleutherii diaconi. Colonia Gereon cum aliis CCCX et VIII, Abrahæ patriarche.

VI Id. In Africa Eusebii, Eraclii, Dionisii, et Septimi, et alibi Venusti, Beati, et Secundi, Mallosi et Victoris mart. In Brittannia Paulini episcopi, Loth prophetæ.

V Id. Antiochia Eraclii, alibi Taraci, Probi et Andronici. Alibi Tanasi, Ampodi, et Placidi, sanctorum martyrum Nigasii episcopi, Quirini presbyteri, Scuviculi diaconi, sancti Burchardi confessoris.

IIII Id. Rome Edisti. In Syria Eustasii presbyteri. In Campania Furtunati. Bituricas Opionis presbyteri. In Africa conf. et mart. quatuor militum et nongentorum LXXVI. In Biturica Evagrii, Procerie, Eucharisti, Prisciani.

III Id. In Spaniis Fausti. In Calcedonia Marcelli, et alibi Faustini. In Alexandria Athanasii episcopi, sancti Carpi dis-

[OCT.] cipuli apostoli Pauli. In Antiochia Theophili, Marciæ, Adriani, Januarii.

II Id. Rome Calisti papæ. Alibi Saturi. In Capadocia Lupi. Lugduno Justi episcopi. Apud Viennam sancti Agrati episcopi et confessoris, sancti Casturi episcopi.

Id. Oct. In Asia Careæ. Alibi Sussi, Saturnini. Bituricas sancti Ambrosii. Belloacis civitate Luciæ. In Galliis sanctorum Maurorum L. In Lugduno Antiochi episcopi. In Vienna sancti Deodati episcopi.

XVII Kl. In Africa Nerei, Alexandrini, Victuriæ, et depositio sancti Galli confessoris. In Africa sanctorum martyrum CCLXX. Sanctorum Marciani et Satiriani, et Egregiæ, sancti Lulli confessoris.

XVI Kl. In Alexandria Nicomedis, et in Mauritania Victuri, Nobilitani, Mariani, et Lucii, Marthæ sororis Lazari, Aristionis, depositio sancti Florentii episcopi, Heronis.

XV Kl. In Anxiopoli Lucæ evangelistæ, Philippi, et Hermetis. In Campania Januarii. In Antiochia sancti Asclepiadis episcopi. In Roma sanctæ Triphonæ uxoris Decii cæsaris.

XIIII Kl. In Neapoli Festi, Sussi, Januarii, et in Puteolis Proculi. In Antiochia Pelagii, et Beronici, et aliorum XLVIIII. Tholomei, et Lucii mart.

XIII Kl. In Nicomedia Euticii et Lucii. Puteolis Zosimi et Dorothei. In Aginno civitate Caprasii, Dasii, Zosimi, Januarii, Dorotheæ, Susimi, Januariæ, Eutici, Neonis.

XII Kl. In Nicomedia Dassi. In Africa Modesti. In Nicea Macharii. Neapoli Festi. Lugduno Justi, Hilarionis monachi, Asterii presbyteri, Calisti martyris, transitus Viatoris. In Nicomedia Zotici, Gai cum XII milibus. In Colonia XI milia sanctarum virginum, et sanctæ Pinnosæ virginis.

XI Kl. In Tracia Philippi episcopi, et Severi et Ermæ discipuli ejus. Alibi passio Leticadi. In Hierosolymis Marci episcopi et martyris. Dormitio Salomæ quæ in evangelio legitur. Apud Adrianopolim Eusebii et Hermetis.

X Kl. In Adrianopoli Severi et Dorothei, et in Cesarea Capadociæ Longini. In Antiochia Theodoriti presbyteri. Viennæ Eodici episcopi. In Colonia sancti Severini episcopi et confessoris.

VIIII Kl. In Nicomedia Severi, Vitalis et Felicis, et in Hierapoli Claudiani et Theocharii, Audactis et Januarii, presbyterorum, Fortunatiani et Septimi lectorum. [NOV.]

VIII Kl. Rome Maximi. In Sardinia Gavini. In Africa Saturnini. Suessionis Crispini et Crispiniani, sancti Frontonis.

VII Kl. In Nicomedia Luciani, Marciani, Flori, Eraclidæ et Tuti. Item alibi Flori. In Africa sanctorum martyrum Rogatiani presbyteri, et Felicissimi, sanctorum episcoporum Vedasti et Amandi.

VI Kl. In Sardinia Proti, et Januarii. In Frigia Cumenii. Rome Mariani, Crisanti et Dariæ, et Lucii, sanctorum Vincentii, Sabinæ, Christetes, sancti Florentii mart. Rome Evaristi papæ. Vigilia apostolorum Symonis et Judæ.

V Kl. In Antiochia Smaragdi. In Cartagine Sofronii, et in Suanis civitate Persarum natalis apostolorum Symonis et Thathei. Rome sanctæ Cyrillæ filiæ Decii cesaris.

IIII Kl. In Lucania Quinti martyris, Jacinthi, Feliciani, et Lucii, Sacinoti et Lucini, Terentii confessoris, Hierosolymis Narcisi episcopi. In Sydone sancti Zenobii presbyteri et martyris. Vienna sancti Theodarii abbatis et confessoris.

III Kl. In Nicomedia Januarii et Calendini. In Africa Felicis et Quinti. In Antiochia Januarii. Civitate Tingitana passio sancti Marcelli centurionis. In Africa martyrum ccxx. In Antiochia Serapionis episcopi, Nazarii.

II Kl. In Africa Rogatiani. In Macedonia Vitalis. In Nicomedia Philippi, et in Gallia Quintini. Rome Nemesii diaconi et Lucillæ filiæ ejus. In Galliis oppido Virmandensi sancti Quintini martyris.

NOVEMBER HABET DIES XXX LUNAS XXX.

In isto mense nox habet horas XVI dies VIII.

Kl. Nov. In Asia Macedonis. Romæ Cæsarii, Augustiduno sancti Pimminii episcopi. Parisius Marcelli episcopi. Et festa omnium sanctorum. Sancti Benigni presbyteri, et Juliani presbyteri.

[NOV.] **IIII Non.** In Africa Publiani, Victoris, Hermetis, Justi et Vitalis. Alibi Juliani. Apud Laodiciam sancti Theodori episcopi. Sancti Ambrosii abbatis monasterii Agaunensis. Apud Viennam sancti Georii episcopi.

III Non. In Cæsarea Germani, Theophili, Justi, et Hermetis. Alibi depositio sancti Pirminii episcopi. Sancti Quarti discipuli apostolorum. Cæsarii et Vitalis. In Vienna Domnini episcopi.

II Non. In Africa Primi. Augustiduno Proculi. In Nicea Domnini. Alibi Victurinæ. In Alexandria Hierii presbyteri. In Gallia Amantii presbyteri. In Cappadocia Germani, Theophili, Egrili, Cesarii, Vitalis, Agricolæ mart. Gamundis monasterio Periminii episcopi. Depositio Hucberhti episcopi et confessoris.

Non. Nov. In Cæsarea Domnini. In Campania Marci episcopi et Secundi. In Capua Quarti confessoris. Zachariæ prophetæ patris Johannis. In Terracina civitate Felicis presbyteri et Eusebii monachi.

VIII Id. In Nicomedia Eusebii et Juliæ. In Africa Donati et Pauli. Redonis Galliæ Melani episcopi et confessoris. In Africa Felicis, Balsami, Domnini, Adriani. In Oriente x martyrum.

VII Id. In Africa Rogati et Donati. In Nicomedia Eusebii et Provisi. Alibi Simphronii. In Alexandria Achilleæ episcopi. Sancti Amaranti martyris, Herculani episcopi et martyris. Ha[p]ternaco monasterio Willibrordi.

VI Id. Rome sanctorum quatuor coronatorum Simphroniani, Claudii, Nicostrati, Simplicii,Castorii. In Africa Primi et Macharii. Et eodem die Severi, Severiani, Carpophori, Victorini.

V Id. In Nicomedia Damiani. Alibi Donati. Rome Theodori. In Spaniis Fausti et Januarii. In Biturica Ursicini episcopi. Virduno Vitonis episcopi.

IIII Id. In Antiochia Demetrii. In Africa Saturnini. Rome Leonis episcopi, et in Aurelianis Nitoris episcopi, Tiberii, Modesti, Florentiæ. Rome papæ Martini. In Antiochia Amesi Amesi * diaconi, Eustosii, Januarii.

* sic.

III Id. Ravenna Felicis. Rome Menne. Turonis dormitio sancti Martini episcopi. Lugduno Verani episcopi et Domni.

II Id. In Africa Mauruli et Publii. In Cæsarea Germani, Theophili, Eusebii. Hunberthti episcopi. In Africa Archadii, Paschasii, Probi et Eutichiani. Rodonicæ civitatis Melani episcopi. [NOV.]

Id. Nov. In Africa Euticii, et in Cæsarea Felicis. Turonis sancti Bricii confessoris. Rome Felicis. In Ravenna sanctorum martyrum Valentini, Solutoris, Victoris. Sancti Mitrii mart.

XVIII Kl. In Eraclia Clementini, Theodoti, Philomini, Eracli, Varici et Marcialis. In Alexandria Serapionis martyris.

XVII Kl. In Africa Secundi, Varicii, Fidentiani, Marcialis, Sidini. Yppone regione Sindini, Saturnini et Serini, Felicis episcopi et martyris cum aliis xxx. In Antiochia Donati, Secundini, Fructuosi.

XVI Kl. In Capua Augustini. In Africa Vitalis et Justi. Alibi Augustini et Felicitatis. Lugduno Eucherii episcopi et alibi Othmari confessoris.

XV Kl. In Nicomedia Ammonis. In Asia Teclæ virginis. In Eradia Gregorii et in Aurilianis Aniani episcopi. In Alexandria Dionisii episcopi. In Hispania Aciscli et Victoriæ mart.

XIV Kl. In Antiochia Romani monachi et martyris, et Isicii martyris, Florini, Platonis mart. In Cæsarea Bonuli et Victoris. Et dedicatio æclesiæ sancti Georgii martyris.

XIII Kl. In Cæsarea Maximi, Mucii, Neoferi, Muciani et Januarii. Augustiduno Simplicii episcopi. Rome Gelasii papæ et Maximi presbyteri et martyris. In Vienna Severini, Exuperii et Feliciani, Fausti mart.

XII Kl. In Capua Augustini et Bassi. In Sicilia Ampeli et Gagi. In Taurinis Octavi et Agapæ virginis. Rome Potentiani papæ. In Cavillona Silvestri episcopi. In Eraclia Passi, Dionisii, Orionis, Dassi, Agapiti, Calendionis, Marci.

XI Kl. In Antiochia Basillæ, et Zeferi. Rome sancti Clementis. Alibi Maximi, Sisinni, Stephani et Pionii. Sancti Rufi mart. In Antiochia Basilei, Saturnini, Auxilii, Matronæ, Basilissæ, Columbani abbatis.

X Kl. Rome sanctæ Cæcilie virginis. In Africa Crisogoni. In Capadocia Longini militis qui Christum lancea percussit.

VIIII Kl. Rome sancti Clementis episcopi. In Italia monasterio Bobio sancti Columbani abbatis. Trudonis pres-

[DEC.] byteri et sanctæ Felicitatis matris VII filiorum martyrum.

VIII Kl. Rome Crisogoni et Maximi. In Africa Sirici et Donati et in Perusia Tusciæ Felicissimi, sancti Sollemni.

VII Kl. In Africa Luciani, Marciani, Claudiani, Cypriani, Marcialis, sancti Petri episcopi.

VI Kl. Rome Sirici episcopi. In Aquilegia Valentini episcopi et in Capua Neandri et Cassiani. Rome Lini papæ et martyris. Alexandri episcopi et martyris, Felicissimi.

V Kl. In Nicomedia Marcelli et Petri. Sereni, Herenæ, Molosæ, Victorini, Agricolæ, Vitalis, Eufemiæ. Rome Optati episcopi. In Gallia Maximini episcopi.

IIII Kl. In Oriente Trophimi, Theodorii, Pecasii et Eucherii. Alibi Eusebii et Junii, Sostones discipuli apostolorum. Rome Gregorii papæ. In Africa Papigii et Mansueti episcoporum, Rufi mart. Vienna Philippi episcopi. Alibi Valeriani, Urbani, Crescentis, Eustratii, Crescentiani, Cresconii, Felicis, Ortolani, Florentiani, Theodoli.

III Kl. Rome Saturnini, Crisanti, Mauri et Dariæ. Et in Gallia civitate Tolosa Saturnini episcopi. Vigilia sancti Andree apostoli. Sennis, Sisinnii diaconorum.

II [Kl]. In Achaia civitate Patras sancti Andreæ apostoli. Rome Castuli. In Mediolanio Ambrosii episcopi.

DECEMBER HABET DIES XXXI LUNAS XXVIIII.

In isto mense nox habet horas XVIII dies VI.

Kl. Dec. Rome Candidæ et in Africa Victuri et Rogati. In Noviomo civitate Elegii episcopi. Virdonensæ civitate transitus Agerici episcopi, Albani.

IIII Non. Rome Pimenei et Pontiani. In Mauritania Veri et Securi. Alibi Victuri, sanctæ Vivianæ martyris, Fausti, Dafrosæ, Primentii, Primini, Januarii, Victurini, Fortunati, Candidæ.

III Non. In Oriente Merobi, Claudici et Felicis. In Africa Crispini et Magni. In Bononia Italiæ Agricolæ. In Mauritania Cassiani martyris, sanctorum martyrum Claudii tribuni et uxo-

ris ejus Hilariæ ac filiorum Jasonis et Mauri et LXX militum. [DEC.]

II Non. In Oriente Eradi et Laudocii. Rome Barbaræ virginis et in Laodicia Metropiæ, Felicis, sanctorum martyrum Simphronii et Olimpii.

Non. Dec. In Africa Julii, Potamiæ et Crispini. Item in Africa Humili, Missi* et Victuris. Sancti Dalmachii martyris. Treveris Nicetii episcopi. * sic.

VIII Id. In Africa Zetuli, Furtunati, Gathi, Agathæ, Hermogeni et Rogati, Nicolai episcopi. In Africa sanctarum Dionisiæ, Dativæ, Leontis et Emiliani medici, Terni, Bonifatii et Servii et Victricis et Majorici.

VII Id. In Antiochia Policarpi et Theodori. Alibi Sapidici et Romæ Eutaciani episcopi Sabini. In Alexandria Agathonis martyris. Apud Sanctonas sancti Martini abbatis, discipuli sancti Martini Turoniæ urbis episcopi.

VI Id. Rome in Cymiterio Calisti via Apia depositio Eutiτciani episcopi, Eusebii, Orani et Successi. In Alexandria sancti Macharii.

V Id. In Africa Petri et Sabini. In Antiochia Geronti, Pollentiæ et Silvanæ, sanctæ Leocadiæ virginis. Treveris Eucharii episcopi, sancti Cypriani abbatis.

IIII Id. Rome Pontiani, Trasonis et Damasi papæ. Arvernis sancti Agriculi et Vitalis mart. Sancti Melchiadis papæ. Passio sanctæ Juliæ virginis, Sanctorum martyrum Carpofori presbyteri et Habundii diaconi. In Vienna sancti Sindulfi episcopi et confessoris.

III Id. Rome depositio Damasi episcopi, Eulaliæ, Prætextati, et aliorum sine numero. Danihelis prophetæ. Sancti Pontiani, Thrasonis mart. In Galliis civitate Ambianis sanctorum martyrum Victorici et Fusciani. In Hispania sancti Eutichii.

II Id. In Spaniis Emeritæ et Eulaliæ, alibi Ermogenis, Donati et aliorum XXII. In Alexandria sanctorum martyrum Epimachi et Alexandri. Sanctarum quatuor mulierum Ammonariæ, Mercuriæ, Dionisiæ, item Amonariæ.

Id. Dec. Siracusa civitate Siciliæ Luciæ virginis. Ravenna Ursicini martyris. Alibi Saturnini. Sancti Aucberthi episcopi et confessoris.

XVIIII Kl. In Antiochia Drusi. Lugduno Viatoris. Vienna

[DEC.] Lupicini. Remis Nicasi episcopi. Alibi Theodori, Zosimi. In Alexandria sanctorum martyrum Heronis, Arsenii, Isidori, Dioscori. Apud Cyprum sancti Phiridionis episcopi.

XVIII Kl. In Africa Fausti, Lucii, Candidi et Maximi. In Ascalona Promoti. In Africa Valeriani episcopi et confessoris. Ceciliani.

XVII Kl. Ravenna Valentini, Navalis, Agricolæ, Concordi, Marci et Secundi. Sanctæ Barbaræ martyris. Trium virorum sanctorum Annaniæ, Azariæ, Misahelis.

XVI Kl. Africa Victoris, Adjutoris, Quarti, Honorati, Simplicii, Felicis et Victuriani. Sancti Ignatii episcopi et martyris. Lazari et Marthæ sororis ejus. In Oriente sanctorum martyrum quinquaginta.

XV Kl. In Laodicia Teocteni et Baseliani. In Africa Quinti. In Lucania Honorati. Sanctorum martyrum Rufi, Zosimi. In Africa sancti Moysitis martyris. Turoni Catiani episcopi.

XIIII Kl. In Bithinia Secundi et Zosimi. Autisiodero Gregorii episcopi. Alibi Crisanti et Darii. In Egypto Nemesii martyris. Aurelianis sancti Aviti abbatis, Pauli.

XIII Kl. In Tracia Julii et Iconio Teclæ. Rome Cypriani episcopi et Ignatii mart. Sanctorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomei, Ingenui et Theophili. Rome Zepherini. In Oriente Liberati, Anastasii episcopi.

XII Kl. In India Thomæ apostoli. Rome Innocentii episcopi, Victuriæ. Alibi Foci et Honorati episcopi, Florentii, Meminii episcopi. In Tuscia sanctorum Johannis et Festi.

XI Kl. Rome Felicis episcopi. In Antiochia Basiliæ, alibi Demetrii et Flori. Rome Teudosiæ virginis, xxx martyrum. In Alexandria Schyrionis martyris. In Ægypto Cheremonis episcopi. Spolitana sancti Gregorii martyris.

X Kl. In Nicomedia xxxv martyrum. Rome Egeni, Eleutherii, Urbani, Cornelii et Trajani. Rome sanctæ Victoriæ virginis et martyris, sancti Servuli, Johannis, Felicis.

VIIII Kl. In Tripoli Luciæ. Rome Metrobi et Pauli. Alibi Drusi et Donati. Antiochia quadraginta virginum.

VITA SANCTI BONIFACII

EPISCOPI MOGUNTINI ET MARTYRIS

AUCTORE WILLIBALDO

SECUNDUM PRIOREM, UT VIDETUR, CONSCRIPTIONEM

NUNC PRIMUM EDITA.

Vitas S. Bonifacii pridem vulgatas diligenter recensuit Philippus Jaffé in tomo III *Bibliothecæ Rerum Germanicarum*, qui *Monumenta Moguntina* complectitur (1), illarumque præcipuam, a Willibaldo presbytero mox post Bonifacii obitum conscriptam et jam sæpius, præsertim a Joanne Mabillonio (2), Godefrido Henschenio (3) et Carolo Pertzio (4), recusam ipse novis adhibitis subsidiis, ac præcipue ope vetustissimi codicis olim Frisingensis, nunc Monacensis, edidit (5). Ecce autem in codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis 18644-52, unde jam puriorem textum Vitæ S. Anselmi Lucensis protulit v. cl. Wilhelmus Arndt (6), occurrit nobis alia Vita Bonifacii, a nemine, quantum novimus, hactenus indicata, Willibaldi tamen et ipsa nomine inscripta nec ab edita, quod ad res ipsas (nisi quod nonnulla, pauca quidem, prætermittit) atque narrationis ordinem spectat, diversa, sed tenore verborum non parum discrepans. Longe enim simpliciori loquendi genere conscripta est, non fucato illo atque ambitioso quod inde a seculo IX ad XII in Vitis Sanctorum passim obtinet.

Unde nec eam Vitam facile aliquis judicaverit ex edita concinnatam per hujus emendationem : ii quippe qui Vitas Sanctorum iis temporibus, ut ipsis videbatur, emendare aggrediebantur, non quæ elatius dicta reperiebant, nudiora et tenuiora facere; sed contra candido et vulgari sermone conscripta, verborum copia et pompa exornare gestiebant. Accedit quod in lucubratione de qua nobis est quæstio, nonnullæ leguntur voces barbaræ, quæ in edita vel prætermissæ sunt vel pro iis substitutæ voces magis latinæ. Hujusmodi notari possunt *repausare* pro *requiescere* (7) ; *apportare, supportare* pro *afferre, sustinere* (8) ; *præsentia-*

(1) Pag. 422-428.— (2) *Act. SS. O. S. B.*, Sec. III, part. II (Paris. 1672), p. 1-27. — (3) *Act. SS.*, tom. I Jun., p. 460-472.— (4) *Monum. Germ. Hist.*, Script. tom. II, p. 333-353. — (5) Tom. cit., p. 429-471. — (6) *Monum. Germ.*, Script. tom. XX, p. 693-696. — (7) Infra, num. 15 et 31.— (8) Num. 27 et 31.

liter (1), *objectus* (2), *collecta* (3). Quas quidem voces ipsas per se antiquioris ævi indicia esse nemo existimaverit, sed neque præ magis latinis affectatas dixeris ab emendatore seculi XII vel superioris, qui certe ceterum latini sermonis imperitum se non prodit.

Neque etiam eadem scriptio ita brevior est Vita edita ut hujus compendium censeri possit. Quin immo quoad partes quasdam paulo prolixius evagatur (4); alia nonnulla capita non paucioribus, sed inelegantioribus concepta sunt verbis. — Adde quod dicemus p. 72, in Annotato ad n. 18.

Restat itaque ut subtimide quidem, — facile enim falluntur in hoc genere sibi nimis blandiendo, qui in vetus aliquod documentum antea incognitum inciderint, — suggeramus hanc Bonifacii Vitam prioribus curis a Willibaldo fuisse exaratam, quam deinde vel ipse, vel alius quidam pro eo, amplificarit aliquantum et perpoliverit. Hujus conjecturæ aliqualem forte confirmationem præbere potest quod de Willibaldo tradidit canonicus ille cœnobii S. Victoris Moguntini a quo ipso ineunte seculo XII *Passio S. Bonifacii* elaborata est : « Postea igitur Willybaldus vitam conversationemque viri Dei nec non et passionem, quia » adhuc multi supererant qui eidem passioni interfuerunt, conscripsit » in loco qui dicitur sancti Victoris ecclesia, in conclavi unius cubiculi, » primitus in ceratis tabulis ad probationem domni Lulli et Megingaudi, » et post eorum examinationem in pergamenis rescribendam, ne quid » incaute vel superfluum exaratum appareret (5). » Unde saltem colligere licet iterato labore operi suo insudasse scriptorem nostrum. Hæc indicasse sufficiat viris eruditis, quorum judicio rem libenter permittimus.

Jam pauca de codice. Totus hic exaratus est manu vel manibus seculi XII, pergamenus, formæ minoris (0^m, 15 × 0^m, 205), lineis plenis stylo ferreo ductis, sed quas librarius non adeo accurate secutus est, solitis compendiis et scribendi formulis (6).

(1) Infra, num. 31.— (2) Ibid.— (3) Num. 37.— (4) Sic numm. 15, 16, 18-21, 23, 25, 36-39.— (5) *Act. SS.*, tom. I Jun., p. 476, num. 14.— Jaffé, tom. cit., p. 481. Cfr. ibid., p. 426.— (6) Contempnere, temptare; æcclesia; obædiens; karitas; sinodus (*bis* synodus); conlateralis ; ammixtus, etc.

Prologus in vita sancti Bonefacii Magontini episcopi.

1. Dominis sanctis et vere in Christo carissimis Lullo et Megingozo coepiscopis Willebaldus, licet indignus presbyter, prosperitatem in Domino. Debitum obedientiæ obsequium vestræ impendens sanctitati, libenter parui, arduumque, quod imposuistis exiguis viribus, opus inchoavi et ad perfectionis terminum finetenus deduxi. Sed obsecro ut, si quippiam aliter quam vestra expetierit voluntas provenerit, infirmitatis meæ imbecillitatem operisque impositi sublimitatem æquo animo sustentetis; quia, si dignum aliquid et[1] nostris temporibus profuturum confecero, divino utique muneri ac præcepti vestri desiderio conferendum est. Decrevit enim sanctitas vestra insipientem sapientibus et minus idoneum prudentibus non solum[2] coæquare, sed etiam præferre; et quod ipsi[3] prudenti sermone rescriptum purissimæ veritatis et sine hæsitudine scientiæ vestræ[4] revelare potuistis, hoc mihi ignaro imposuistis. Sed deprecor ut quem præcepti vestri majestas non contemnenda deprimit, precatus assiduæ vestræ orationis prosequatur, et mentem ignaviæ caligine obtusam dilectio vestra et acuat et accendat, ut ad ea quæ cogentibus vobis provocata et invitata est, tenacior vivaci sermonum narratione reddatur. Auctoribus Lullo et Megingaudo episcopis, Willibaldus

2. Compulistis enim me ut sancti Bonefacii episcopi et martyris primordium, sicut discipulis ejus et vobis referentibus comperissem, mediumque ac finem vitæ ejus litteris insererem, et virtutes ejus et cultum pietatis atque abstinentiæ sedulitatem præsentibus et postfuturis seculis demonstrarem. Sed quamvis ad hæc exequenda deficiat ingenium et constantia, quæ audeant se libere offerre vel legentibus vel audientibus, tamen exigente benivolentia vestra, quod mandatis, non præsumptione mea sed vestro juvamine fretus, aggrediar; nec propriæ laudis præconium requirens, sed ex tantæ rei[5] relatione profuturum legentibus præbens exemplum, quo quisque[6] ad meliora profectus sui perfectione perducatur. S. Bonifacii Vitam conscribit ex testimonio discipulorum ejus.

[1] et *supra lin.* — [2] non solum *supra lin.* — [3] ipsi *supra lin.* — [4] purissimæ-vestræ *in margine.* — [5] rei *supra lin.* — [6] quisque *supra lin.*

Vita sancti Bonefacii episcopi Magontini.

S. Bonifacius, **3.** Illustrem ac vere beatam sancti Bonefacii pontificis vitam, moresque ejus sanctorum patrum imitatione sacratos, quemadmodum religiosis viris referentibus comperimus, nitimur enodare, et ab exordio usque ad finem quanta indagatione perquirendæ veritatis vitæ illius possumus, disponimus actuum illius seriem revelare. Qui cum primæva ætate, multa ut competebat matris sollicitudine ablactatus atque enutritus esset, postposito ceterorum filiorum amore, a patre summa dilectione excolebatur. Deinde labentia cuncta animo subjiciens, et æterna magis quam præsentia amplectens, cum esset annorum circiter quatuor seu quinque, servitio Dei se mancipavit, et multo mentis conamine monasterialibus studiis insudavit. Presbyteris etiam et cujuslibet ordinis verbi divini prædicatoribus sedulus et indefessus adhæsit, cum quibus de cœlestibus loquens quod supra ætatem ejus erat, illos audiens et quæ dicebant capaciter intellectui suo infundens, brevi profecit: dum hic puerulus avide sumpsit quod in singulis ætatibus, dum vixit, ad magnam ei saturitatem accrevit.

pueritia pie transacta,

renitente prius patre, **4.** Cum itaque de cœlestibus diuturna meditatione secum pertractaret, patri hæc quæ animo gerebat, revelavit, et ut sic ei consuleret rogavit, ut consultus ejus id persuaderet quod animus ejus jam elegisset. Quo audito, pater talia præsumentem increpavit nec in his illi adquievit; immo ut ab his desisteret nec se desereret exhortatus, quantum in se fuit, Deum, quem paulo ante cognovit, in suis rudimentis vel negare vel contemnere persuasit. Ille vero patrem timentem a se deseri, veraciter timere eum ostendit, dum consultu illius non est passus se seduci et in morte ejus quam pro senili ætate prævidebat maturari, præscivit se a proposito suo non moveri.

sed dein, cum graviter ægrotaret, sponte consentiente, **5.** Etenim eodem tempore patri subitaneo mortis articulo imminente ægritudo [1] subrepsit, et pia pueri sancti diu a patre præpedita voluntas, quasi rediviva et exorta pullulavit et succrevit et, Deo [2] adjuvante, pullulando et succrescendo ad per-

[1] ægritudo *supra lin.* — [2] Deo *supra lin.*

fectionem deducta postmodum [1] pervenit. Postquam enim [2], languore excrescente, pater ejus de vita desperavit, pertinacia deposita qua in filii eversione diutissime duraverat, animum mutavit, et devotum Deo filium non tantum concessit quantum coegit exequi suum propositum, recognoscens illum bene proposuisse, se vero volentem eum seculo implicare, de quo ipse miserabiliter abstrahebatur, male disposuisse.

6. In quoddam[3] igitur monachorum oratorium[4] et ad orandum et ad convivendum tanto ordini electum[5], quod nuncupatur Adescancastre, patre jubente et[6] ad hanc ultimam sententiam de filio dandam adhuc vivente, inducitur. Ubi educatur, docetur, et ultra quam ætas ejus patiebatur promoveri, docili ingenio assuescit eniti; et disciplinari regulæ, monastice cum contemptu mundi ibidem victurus, se subjecit, et orbatus carnali patre abbatem loci adoptivum secutus est patrem. Evolutis itaque septem ætatis ejus annis, quos contemnendo mundum et appetendo cœlum, vacuos non reliquit, sequentibus annis ad majora attentanda laxiores habenas dedit et Spiritum Sanctum, usque nunc pro pusilla ætate in se quiescentem, ad laborandum secum excitavit. Huic propter indesinentem internæ curæ sollicitudinem et propter sanctarum legum observantiam, diabolica suggestio adolescentiæ incentiva et carnalium desideriorum appetitus injecit; sed, Deo auxiliante, viriliter repulit et non expectans validioribus flammis se accendi, cum prima scintilla incanduit, melius doctus afflictione corporis [7] his ardoribus, ne invalescant, obsistere quam materialibus focis, ipsam scintillam[8] oratione et corporis frugali castigatione restinxit.

cœnobium Adescancastre ingreditur.

In quo septem annos sancte conversatus,

7. Ex hoc magis et celerius ad communem populorum doctrinam pervenit : quam, non multo transacto tempore, secundum pontificale ecclesiasticæ consuetudinis decretum inchoavit, dilatavit ac perfecit. Monasterialis vitæ normam sub moderata prædicti abbatis gubernatione regulariter annis quamplurimis custodivit; donec, adolescentiæ[9] lascivia facessente et pubertate

[1] postmodum *supra lin.* — [2] enim *supra lin.* — [3] *ita corr.*, *prius* quodam. — [4] *ita corr.*, *prius* monasterio. — [5] *ita corr.*, *prius* electo. — [6] et *supra lin.* — [7] afflictione corporis *in margine.* — [8] ipsam scintillam *supra lin.* — [9]. *sic.*, *melius* pueritiæ.

litteris imbuendus ad Nhutscellense monasterium commigrat.

inchoante adolescentiæ, ardentior ingenioli sui illum voluntas accendit, ut ad finitima quoque monasteria magisterii ac lectionis [1] provocatus penuria perveniret. Cumque voto simul et mente Omnipotentis sibi adesse[2] suffragium postularet, tandem ad monasterium quod nuncupatur Nhutscellæ pervenit, et Wiberti abbatis, qui sub regulari disciplina idem regebat monasterium, elegit magisterium, fratrumque secum in Domino viventium contubernium; cum quibus devotum Deo servitium et laboriosam vigiliarum instantiam, lectionisque divinæ operam, ingenti meditationis studio prosecutus est. Non difficulter insedit ejus animo quod a magistro traditum, et a Deo infusum, et a studio susceptum, tenax memoria conservavit. Nec cum tardo accessu annorum tardavit se scientia magna sensibus ejus illabi; sed si in numerandis plurimis annis ejus longum duceres tractum, utique supra annos extensum mirareris scientiæ illius progresum.

Postea alios docet magno omnium plausu,

8. Unde et ipse doctus, et non medie temperatis, sed integris grammaticæ disciplinæ artibus ad plenum suffultus, alios docturus assumptus est; apud quos prosa loquendo inoffense ambulavit, metro subsiliendo deliciose cucurrit, musica cantando dulciter insonuit, et in ceteris artibus secundum modum singularum facundissimis quæstionibus ut ecclesiastes concionator declamavit. Quamplures igitur virilis sexus lectione et scientia ejus evocati ad eum convenerunt, et saluberrimum doctrinæ ejus fontem potantes, numerosa Scripturarum volumina legendo percurrerunt. Quibus vero sexus inferioris imbecillitas assiduam ad illum veniendi negabat facultatem, afflatæ spiritu divini amoris hunc tantæ sapientiæ virum ascibant, et ei cœlestia scrutanti et illis infundenti indesinenter adhærebant, et sacramentorum mysteriorumque abdita coram ipso perscrutantes, talibus studiis insudabant.

virtutum simul exercitatione præclarus.

9. Huic sancto viro tale discretionis temperamentum inerat, ut et vigori correctionis mansuetudo et vigor prædicationis mansuetudini non deesset; et quem zelus accenderat vigoris, mansuetudo mitigabat amoris. Divitibus ac potentibus liberisque ac servis æqualem suæ persuasionis adhibuit exhortatio-

[1] ac lectionis *supra lin.* — [2] adesse *supra lin.*

nem, ut nec adulando divites demulceret nec servos vel liberos districtione prægravaret; sed, juxta apostolum, omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Eleemosynis misericordiæque operibus, quantum sub regulari districtione prævaluit, voluntate et liberalitate[1] deservivit. Sed et nocturnarum vigiliarum spatia præveniens, orationibus secretis se exercebat. Cujus patientiam nec ira subripuit, nec longanimitatem furor succidit, nec libido continentiam expugnavit, nec abstinentiam gastrimargia[2] violavit; sed ita frugalitati se[3] subdidit, ut vinum et siceram non bibens, cum egregio gentium doctore posset dicere: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.*

10. Cumque his virtutibus sub presbyteratus gradu ad altiora bonorum studia[4] proveheretur, regnante In, Westsaxonum[5] rege, incubuit quædam nova seditione exorta necessitas, et statim a primatibus ecclesiarum cum consilio prædicti regis synodale factum est concilium. Moxque omnibus in unum convenientibus, saluberrima de hac dissensione quæstio exoritur, et legati fideles ad archiepiscopum Cantuariæ diriguntur, ut ejus consilio hæc exorta perturbatio diffinita et sedata terminaretur. Quorum legatorum primus Bonefacius fuit. Qui, imposito sibi nuntio, prospero itinere pervenit Cantuæ; et sapienter cuncta quæ a rege acceperat per ordinem prosecutus, in hac legatione et fidelis et prudens est inventus. Et competenti ab episcopo accepto responso, post non multos dies revertitur, et reddito legationis mandato, universis magno fuit gaudio. Et sic deinceps nomen ejus diffamatum fecit eum omnibus mundanis dignitatibus celeberrimum, ita ut amodo synodalibus judiciis interesse rogaretur, alioquin omnis synodus illo absente vel cassaretur vel incœpta solveretur.

Ejus opera utuntur episcopi in synodis ecclesiasticis.

11. Disposuit deinde apud se ut patriam suam deserens, alias transiret; quod abbatis sui et fratrum quibus multo tempore regulariter convixerat, consensu, adhibitis secum duobus aut tribus fratribus quorum corporali spiritualique indigebat juvamine, prosecutus[6] est. Et emensis peragratisque[7] multis terrarum Anglicarum[8] partibus, prospero ovans fratrum comi-

Patria deserta,

[1] *supra lin. add.* vel largitate. — [2] *cod.* castrimargia. — [3] se *supra lin.* — [4] *ita corr.*; *forte prius* studio. — [5] *cod.* Vestosaxonum. — [6] *ita corr.; prius, ut videtur,* profectus. — [7] que *supra lin.* — [8] Anglicarum *supra lin.*

tatu, venit ad locum ubi est forum rerum venalium, et usque hodie Anglorum Saxonumque vocabulo appellatur Lundenwich. Ac non multo post tempore, quasi novus epibata, dato naulo ascendit navim, et prospero ventorum flatu pervenit ad Torstet; ibique aliquamdiu commoratus, debitum Deo nostro exsolvit die noctuque præconium.

in Frisiam appellit.

12. Sed quoniam gravi imminente [1] paganorum incursu hostilis exorta dissensio, Carlo principe Francorum et Rabbodo rege Fresionum dissidentibus, populus ex utraque parte turbabatur, maxima pars ecclesiarum Christi, quæ licet [2] in Fresia positæ, subjectæ tamen fuerant antiquitus Francorum imperio, Rabbodi incumbente persecutione vastabantur; et ipsis destructis, idolorum cultura, erectis delubrorum fanis, lugubriter renovabatur. Tunc vir Dei pervenit ad Trecht [3]; et ibi advenientem regem Rabbodum allocutus obtinuit ut, circumspectis terræ suæ scilicet Fresiæ [4] partibus, perquireret locum in quo demorans evangelica verbi divini semina cordibus et auribus hominum sereret, fortassis firmata radice fructificatura. Sed non invento, immo ipso cum doctrina sua derogato [5]: quia hoc proprium sanctorum est usitatumque negotium, ut frustrato eorum labore ibi [6] unde proposuerant Deo lucrum reportare, ad alia spe meliore demigrent, quia incassum terra excolitur de qua non provenit tempore messis fructus, arida rore cœlestis fecunditatis reliquit Fresiæ [7] arva, et ad natale solum cum conviatoribus suis reversus est. Et ad monasterii sui secreta regressus, et fratrum de ejus reditu tripudiantium amore et amplexu susceptus, duos cum illis annos transegit.

Quam ad fidem et pietatem informare frustra molitus, in Angliam revertitur.

13. Interim gravi mærore mentis et animi mæstitia corripitur, quia senilia patris spiritualis contigit eo præsente membra infirmitate dissolvi, et imminente obitu jam pæne in mortem urgeri. Quem sub tristi mærentium fratrum aspectu paulo post videns efflare spiritum, condoluit; et se et fratres consolatus [8], proposito illis [9] generali casu, qui evitari non potest [10], a dolore compescuit. Deinde hortatur eos ut regularis institutionis nor-

Abbate monasterii sui mortuo,

[1] *supra lin.* vel ingruente. — [2] licet *supra lin.* — [3] *supra lin.* Trajectum. — [4] scilicet Fresiæ *in margine.* — [5] immo-derogato *in marg.* — [6] ibi *supra lin.* — [7] Fresiæ *supra lin.* — [8] *cod.* consolatos. — [9] illis *supra lin.* — [10] qui-potest *add. in margine inferiori.*

mam in omnibus conservarent et patris cujuslibet spiritualis custodiæ et imperio se subderent. Tunc omnes pariter concordi unanimitate instabant ut quemdam sanctæ opinionis virum, Stephanum dictum, in pastorali super se[1] magisterio eligeret, et ab eo præsignatum cunctorum ad suscipiendum evocaret assensum.

Stephanum illi substitui curat.

14. Quo, ut volebant, obtento, et illis pro abbate non pro domino prælato, ipse Bonefacius cum jam hibernale tempus, æstatis temperie succedente, præterisset, pristina præteriti anni renovatur in eo intentio. Omni quippe sollicitudine iter omissum repetit et iterat. Et acceptis litteris commendaticiis a Daniele speculatore et præsule plebis Dei, collecto contribunalium[2] comitatu, Romam venire disponit. Quo perveniens, sociis a beato Petro principe apostolorum abolitionem peccaminum postulantibus, ipse venerabilem apostolicæ sedis papam Gregorium a primo secundum et novissimo priorem, qui vulgari lingua Romanorum dicitur junior, adiit, omnemque sibi per ordinem adventus sui occasionem manifestavit, et quali anxius desiderio ad explendum quod intenderat negotium diutius flagrasset, aperuit. Cui papa hilari vultu arridens, inquisivit an litteras ab episcopo suo commendaticias detulisset. Ille exempto pallio cartam proferens porrexit. Qua inspecta et perlecta, apostolicus pro bono proposito, quo in ipsis litteris intellexit[3] eum fervere, deinceps sedulum cum eo habebat colloquium, donec congruum ad remeandum tempus eum revocaret æstivum. Tum accepta cum litteris apostolicæ sedis benedictione, ad inspiciendos prædicando et exhortando Germaniæ populos directus est, ut scilicet inculta cordium arva evangelico vomere exararet et deinde verbi divini semine multipliciter fecundaturo aspergeret.

Romam peregrinatur. A Gregorio II benigne exceptus, in Germaniam ad fidem prædicandam mittitur.

15. Extemplo ab apostolico digressus Italiæ fines adiit, et optimum Langobardorum regem Luitbrandum verbis pacificis salutatum et condignis rege muneribus honoratum, ut decebat tantam dignitatem, veneratus est, et apud eum lassata ex itinere membra repausavit. Ac pari modo ab ipso remuneratus, ac vale dicto, et ab ipso sibi prosperitate imprecata, incognitos

Apud Luitprandum regem Longobardorum paulisper moratus,

[1] super se *supra lin.* — [2] *sic.* — [3] *cod.* intellexet.

dein Bavaros ad fidem convertit,

Bawarios et Germanos populos accessu contigit, et prædicatione quam faciles essent ad suscipiendam fidem pertentavit; et ex parte ut optabat, paratos invenit, ex parte vero Dei verbo impenetrabiles et etiam ipsi prædicatori austeros et contumeliosos. Quorum contumeliis ille invictus et infractus instantius obviavit, donec fidelibus confinitimis conjunctos, unam plebem, sicut genere cognatam ita credulitate affinem, Deo adquisivit.

postea Thuringos.

16. Deinde Thoringiam transivit, prius quidem christianæ fidei leviter radicatam, sed non adeo firmiter insertam ut spes esset paulo post eam apparere frugiferam. Quæ iccirco facile potuit depravari, quia quod non cum desiderio sumpsit, negligenter fovit, et quasi senili sterilitate arefecit. Itaque eos ad veram agnitionis viam revocavit; et ut ulterius falsa doctrina non possent seduci, et suo dogmate et vitæ suæ exemplo, quæ duo fuerunt eis vera disciplina, in Christi schola studiosos fecit et attentos discipulos : quos postmodum per seipsos lætatus est ad erudiendum alios doctos surrexisse magistros. Præterea sacerdotes eorum alios quidem fornicaria pollutione contaminatos, alios lucris et mammonæ mercibus deservientes, quia Christum scientes Christum ignorantibus ad vitia erant proniores, asperius increpavit, et de impudicis castos et de nummulariis fecit laudabiles prodigos et, sicut propheta orat ad Dominum, vertit impios et non fuerunt.

Ad Frisiam revertitur.

17. Post hæc, Francia transgressa et audita morte Rabbodi Fresionum regis, ipsam Fresiam, in[1] qua[2] frustra[3] prædicationis suæ jecerat fundamentum, adiit, et eam[4] quæ prius eum contemptum spreverat ut seductorem, ad audienda quæ diceret, provocavit; et attentiorem sibi, dum loqueretur, audiendi sermonis aviditate de ore suo pendere coegit. Prævenerat reditum ejus sanctus episcopus Trajectensis Willebrordus; et quia debebant Fresiones prædicationi ejus primordia conversionis suæ, de projicienda idololatria[5] eos[6] monuerat, et ei obaudientes adquieverant; et de suscipienda christianitate persuaserat, et illi consentientes obtemperaverant. Si quid vero superfuit supplendum, ad hoc sibi a Deo oblatum et paratum Bonefa-

S. Willibrordo, eorum apostolo,

strenuam navat operam.

[1] in *supra lin.* — [2] *ita corr.; prius, ut videtur,* quam. — [3] frustra *supra lin.* — [4] eam *supra lin.* — [5] *cod.* idolatria ; *et sic deinceps.* — [6] eos *supra lin.*

tium, partito in eum isto labore, assumpsit sibi collegam et verbi ducem, sicut Paulus Barnaban. Ab hoc utroque prædicatore fons erumpebat, qui more fontis paradisi irrigantis totam terram, irrigabat totam Fresiam, non adaquando, sed per doctrinam et per baptismum omnium Fresionum peccata lavando.

18. Senescente vero sancto Willebrordo et plurimis gravato annis, subrogari illi in episcopatu petebatur Bonefacius, futurus [1] dum viveret solatium seni decrepito, et iturus longius prædicare pro alacritate juventutis, ipso cominus attentante proxima, pro indulgentia jam incurvati in debilitatem corporis. Idipsum etiam episcopo petente et perurgente, ille recusavit; et tria quibus excusaretur opposuit. Juventutem scilicet, quæ necdum ad quinquagesimum assurgens annum, hac dignitate fungi prohibetur et, etiamsi scientia et facundia adjuta ambiat, ætate inhibetur ne ante maturitatis tempus pro eloquentia indebitam potestatem invadat. Illicitam deinde ad ejus episcopatus promotionem, quæ ipsum adhuc viventem supplantare probatur, et unica singularisque ecclesia duobus conjugibus non maritatur, et filii ecclesiæ a matre sua sibi superponi nolunt dualitatem maritorum, ut alterius sint filii, alterius appellentur privigni*. Præterea ab apostolico dixit sibi injunctam Germaniam agnitioni Dei advocandam, in quo non expediret ei oblatæ dignitati postponere obedientiam, nec præferre præsulatum saluti tot hominum; qui si salvarentur, hinc esset cum salvatis salus sua; si perderentur, hinc esset cum perditis perditio sua. *Obsecro igitur,* inquit [2], *ut quod præcipiens apostolicus mihi imposuit et ego obediens suscepi, patiaris exequi. Etenim* [3] *hinc et inde habiturus sum, ut spero, præmium meum, quia et huic, id est Fresiæ, tecum* [4] *laboravi, et huic, id est Germaniæ, laboraturus sum. Quam si lucrifecerim, non fraudabor mercede mea, cum placuerit Deo quod pro ea lucranda ambitiose principari recuso.* Sic convenienter excusanti non renititur episcopus, sed solutum proficisci exoptat iter ejus auspice Deo dirigi.

19. Hinc ab illo digreditur et Amanaburg, primam hanc Deo

Quo eum sibi coadjutorem et successorem, expetente,

id munus constanter recusat.

* *Vide Adnotatum pag. 72*

Hammaburgum excurrit

[1] *erasa hic in cod. vox* illi. — [2] inquit *supra lin.* — [3] enim *supra lin.* — [4] tecum *supra lin.*

oblationem prælibaturus, accedit. Quæ idololatra quia cultum unius Dei nesciebat, in multis diis errabat, ignorans quem præferret, cui plurimum præstaret, quem clementiorem in oraculo suo invocaret. Quos cum in singulis fanis suis veneraretur, ab omnibus fallebatur: is enim qui ab initio mendax est et pater mendacii, diabolus in eis loquebatur. Arguit itaque sanctus Bonefacius errorem illorum; monstrat in quo sit eorum devius cursus, quo ducuntur ad falsitatem; ostendit in quo sit eorum rectus recursus, quo reducuntur ad veritatem. Horum quod melius [1] est eligat cui dulce est amplius vivere; quod vero [2] deterius [3] est timeat qui negligens sui promeruit [4] perpetuo perire. Prædicat eis inter hæc duo quæ sit distantia, dicens: *Quod prius est, præcipitat in mortem; quod posterius, adducit ad vitam perennem.* His pauca adjungens, brevi eos diabolo subtraxit et Christo per baptismum et professionem nominis ejus conjunxit. Cui conjuncti et gustata dulcedine spirituali quæ in baptismo baptizatis infunditur, jam cum psalmista sibimet applaudebant, dicentes: *Gustate et videte quam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.* Hoc enim consequenter proponitur christiano ad fidem noviter vocato, ut statim fide suscepta speret in eo cui credidit, ut ostendat per spem quia verax est Deus quem elegit, falsi vero sunt dii quos reliquit.

ibique multos convertit,

20. Tunc fidelis populus ut ritu christiani cultus, quem noviter susceperat, frequenter recensito se communiret, ecclesiam construxit in qua conveniens, ne posterius resiliret, quid crederet repræsentabat, quid profiteretur per descriptum symbolum vel legebat vel decantabat. Præterea ibidem [5] omnem de lege divina contextam seriatim paginam audiebat, in sacerdotis persona, ore, devotione Christum videbat, auscultabat, venerabatur, et ex ejus manu sacramentis corporis et sanguinis Christi refectus, fideliter de eo sentiebat cui se vel quem sibi fideliter incorporaverat. Huic ecclesiæ, collecta servorum Dei congregatione, collateralem cellam conjunxit; et in hoc interiore conventu et exteriore popularis frequentiæ concursu lau-

et ecclesiam ac monasterium construit.

[1] *ita corr.* — [2] vero *supra lin.* — [3] *ita corr.* — [4] *supra lin.* vel mavult. — [5] ibidem *supra lin.*

dem Dei ampliavit, et in utraque parte dispares modos conversationis variavit, fidem tamen christianam omnino [1] immutabilem eis indixit.

21. Similiter et juxta fines Saxonum, Hessorum populum, fanaticis adhuc ritibus sicut lupanaribus obscœnitatibus incubantem [2], evangelica prædicando mandata a volutabris dæmoniorum eruit et in ecclesiæ sinu, ubi exercetur omne quod mundos oculos Dei delectat contueri, eis consessum dedit. Ubi his quæ divina sunt auditum eorum [3] aperuit et ecclesiasticæ disciplinæ studiosos auditores fecit; et quia celeriter audita sensibus capacibus inseruerunt, docibiles Dei meruerunt et fieri et appellari. **Hessos convertit.**

22. Post hæc apostolico litteris, quantum ei obediens in lucrandis gentibus profecerit, innotuit. A quo pari modo rescriptis suis accersitus, Romam venit, et sciscitatus ab illo modum prædicationis suæ, symbolum fidei cum textu prædicationis scripto percurrit, et coram illo perlegit : *Ne*, dicens cum apostolo, *in vacuum curreret aut cucurrisset*. Postmodum in episcopum, quem se fieri a sancto Willebrordo rogatus sapienter recusavit, ab apostolico consecratus, in idem opus quod hactenus sitienter et sollerter est executus, remissus est; ut quod fideliter crederet, fideliter prædicaret. Hunc sanctum virum idem apostolicus Carlo duci vel regi Francorum, litteris suis commendavit, ut cum munimine regni, quo tuebatur omnes suo regimini appendentes, tueretur etiam istum pontificem, hoc et propria justitia promerentem sibi præstari et ipsius apostolici intercessione plenius et fiducialius confidentem consequi. **Secundum iter Romanum.** **A Gregorio II episcopus consecratur.**

23. Litteris apostolicis Karlo oblatis, gratanter suscipitur; et si in sua persona in ipsis litteris Petrus ei loqueretur, non amplius acclinis ei ad singulas dictiones suppliciter humiliaretur, et non devotius porrecta manu sua a manu Petri Bonefacium susciperet; quod absque apostolicis litteris, meritis ipsius deberi constaret. Qui, Karlus scilicet, retento sibi regno regaliter regendo, ipsum spiritualiter regendum commisit ei : ut ipse Karlus edicta dando et jura imperialia suis mandando, uno nomine rex appareret et esset, Bonefacius vero animas **Carlo Martello ipsi patrocinante,**

[1] omnino *supra lin.*—[2] *cod. prius* incubantibus; *corr.* incubanti.—[3] eorum *supra lin.*

curando geminato nomine[1] rex et pontifex per totum regnum gloriose procederet.

Hessos in fide confirmat.

24. Itaque cum ejus consensu et etiam gratuito hortatu, ad Hessorum fines antea attentatos[2], sed non plene ut[3] ad sanitatem integram pervenirent, manu salutari contrectatos[4], rediit. In quibus alii jam in fide confirmati alios a se deviantes et inter idololatriam et christianitatem nutando pendentes, soliditati fidei divinæ tentabant imprimere et compaginare; sed renitentes illi ab eo cui ex vetustate inhæserant errore non poterant abduci. Sed cum validior virtute et salubrior medicamine prædicatio Bonefacii sensibus eorum illata vim suam expressit et ariditatem cordis illorum humectavit, statim humor ille in radicem pullulavit, in herbam prorupit, in florem parturivit, et[5] in fructu exiliens ostendit quod feraci fecunditate concepit et germinavit.

Pertinaces

25. Alii verbo ejus impenetrabiles[6] jaculo linguæ illius vicissim[7] appetebantur, quasi hora vel die aut tempore mutarentur et mollescerent; sed illi, licet inflicto vulnere, avertebantur ridentes, quod armatura idololatriæ suæ muniti christiana obsidione non possent expugnari. Quorum iterum circa se collecta multitudine qui per se infirmis et invalidis diis suis præstabant adjutorium, arborem unam[8] ipsis diis consecratam jussit excidi; quæ ob venerationem tanti nominis (nam robur, id est arbor Jovis appellabatur) in jactura sua credebatur Bonefacium opprimere: habente ipsa arbore hanc a diis sibi infusam virtutem, ut non immunis ante se transiret qui ei supplex non incurvaretur, nedum præsumptive ab aliquo contingeretur. Bonefacii quippe morte æstimabant Jovem vindicari; cujus nomine pollente ipsa arbore, leviter ejus ruina ferretur,

prodigio

si cum ruente ille etiam obrueretur. Ruit itaque arbor et in quaternas partes scissa, ipsis suis scissuris innuit non se Jovi stetisse nec quicquam ei debere, qui se cadentem non sustinuit; nec secum se succidentem prostravit. Ostendit etiam ipsum Jovem non bene sibi providisse, qui nec truncum ejus integrum servavit, in quo ipse sculptus et imaginatus, arborem

[1] geminato nomine *in margine.* — [2] *cod.* attemptatas. — [3] ut *supra lin.* — [4] *cod.* contrectatas. — [5] et *supra lin.* — [6] *deleta hic vox* vicissim *subducta linea.* — [7] vicissim *supra lin.* — [8] unam *supra lin.*

suam feliciter cecidisse gauderet, et a docta manu artificis se pulchrum Deum expressum omnibus adorandum exhiberet. Ex his quatuor partibus sanctus Bonefacius ecclesiam ligneam sancto apostolo Petro condidit : de cujus magna proceritate tanta materies succrevit, ut apostolo utilius dedicata consistat in parietibus et tectura quam nefandissimo Jovi, cui in aere protensa et sub suis lateralibus ramis immolaticio cruore respersa, non fragrantiam[1] libaminis, sed nidorem putidi fœtoris transmisit. His beati Bonefacii consideratis operibus, hi qui non potuerunt penetrari prædicationis verbo, aperuerunt auditum cordis tanto miraculo, et ingressi intra seipsos, hisque[2] quibus sordebant eorum præcordia exstirpatis, cum nova fide novum Christum sensibus suis induxerunt, novum noviter ipsum cognoscentibus, sed vetustum omnibus eum cum[3] antiquo dierum et fuisse et esse et regnare credentibus. convertit.

26. Itaque cum credentium augeretur[4] multitudo, ecclesiæ conduntur et antiquitus conditæ, sed parietinis testantibus dirutæ, restaurantur; et collecta monachorum et ceterorum ordinum unanimi societate in loco qui dicitur Orthop, more apostolico victus et indumentum manu propria laborantibus ministrabatur. Sicque rumore illum longe diffamante, ex Britanniæ[5] partibus tam lectorum quam scriptorum ad eum conveniebat numerosa multitudo. Quorum quamplurimi se regulari ejus institutioni submittebant; ex quibus alii in provincia Hessorum, alii in Thoringia dispersi per pagos ac vicos verbum Dei ignorantibus prædicabant. Et defuncto apostolicæ sedis præsule Gregorio, et[6] ejusdem nominis altero substituto, missis nuntiis, sicut priori, se Bonefacius confœderavit ejus successori, missa ei sua subjectione et expetita ejus magistrali provisione. Cui apostolicus et pallium, quod est archiepiscopatus evidentius privilegium, et sanctorum reliquias cum xeniis magnorum munerum misit. Quibus susceptis et ex his intelligens se illi familiariter commendatum, duas ecclesias, unam in Frideslare sancto Petro, alteram in Amanaburg sancto Michaeli, condidit, et duo monasteria singula singulis subjunxit

Monasterium condit.

Adjutores adsciscit e Britannia.

A Gregorio III pallium accipit.

Monasteria construit Frideslarii et Hammaburgi

[1] *cod.* fraglantiam. — [2] que *supra lin.* — [3] cum *supra lin.* — [4] *vox* augeretur *in cod. bis scripta.* — [5] *cod.* Britannæ. — [6] et *supra lin.*

cum servorum Dei plurimo cœtu, collato eis ad famulandum Deo subsidio sufficienti et ad insimul commanendum convictu abundanti.

Bavariam visitat,

27. Hinc Baguariorum terras adivit, et studio diligenti prædicans illis, cum Hugberto duce eos cognitioni et gratiæ Dei adjunxit, et ecclesiis conditis in quibus jam Deo devoti [1] pro testimonio susceptæ fidei ejus convenirent et ibidem pro remittendis peccatis exorarent, ex integro factos christianos Deo assignavit.

Hessiam et Thuringiam.

Deinde cum in Hessis et in Thoringia multas erexisset ecclesias, fanis idololatriæ dirutis, et singulis singulos custodes providisset, tum etiam tertio Romam venit,

Tertium iter Romanum.

et apostolico familiaritatis suæ communionem cum præcessore suo habitam recensuit, quam jam per legatos transmissam viva voce et manuali dato et accepto expetiit sibi confirmari. Qua, ut optavit, consecuta, et non minori gratia secundo quam primo confœderatus, muneribus et patrociniis sanctorum, quæ cum datis eorum reliquiis secum apportabat, honorifice ditatus remeavit; et in Italiam veniens, Ticinensis urbis mœnia ingreditur et a Luitbrando [2] rege exceptus, jam fessis senio membris apud eum requievit.

In Bavaria,

28. Inde se promovens et Baguariam veniens, Odilonem, qui jam amoto per mortem supradicto Hugoni successerat, visitat; et pro raritate adventus ejus (ab aliis enim gentibus retentus, ad singulos nequibat esse assiduus) ab his quæ de Deo eis tradiderat, invenit eos plurimum exorbitasse.

reformata disciplina,

Sacramenta igitur religionis in eis renovavit, et sacerdotes gradu episcopali spontanee et violenter se extollentes, ad relictam, qua se coram hominibus viluisse erubescebant, mediocritatem retraxit, et eis [3] locum suum quasi oblitum in presbyterii ordine reconsignavit. Sic sanctus injuriam ecclesiasticam non ferens, pervasores sacrorum ordinum ab ecclesia removit; qui etiam figmentis seductoriis ab illis prædictum ducem et populum ejus depravatum correxit et ad veritatem, a qua illorum abductione incauti desciverant, revocavit.

quatuor sedes episcopales constituit.

Baguariam provinciam in quatuor parrochias, Odilone duce annitente, divisit et IIIIor his præsidere

[1] jam Deo devoti *in margine; in textu autem deleta vox* Deo *subducta linea.* — [2] *vel* Liutbrando. *Sic etiam supra, num.* 15. — [3] eis *supra lin.*

fecit episcopos : Johannem ecclesiæ in oppido Salzburg, Erembertum Frisingensi ecclesiæ, Gaibalt civitati reginæ.

29. Post hæc, christianitatis ordine confirmato, ad proprias rediit ecclesias et populi sibi commissi curam gessit, circumspiciens caulas gregum suorum et excubiis eorum[1] sedule invigilans. Cumque Karlo duce vita[2] decedente, filii ejus Karlomannus et Pipinus quod pater reliquerat regendum suscepissent regnum, suggerente sancto Bonefacio synodalia orthodoxorum patrum sunt correcta instituta, cunctaque canonum auctoritate emendata, et tam laicorum injusta concubinarum copula quam clericorum cum uxoribus nefanda commixtio a sancto viro sejuncta est[3] ac segregata. Tantaque in supradictis ducibus divinæ caritatis[4] fervor exarsit, ut populum a perversa insolitæ consuetudinis instantia liberarent, qua seductorum deceptus suggestione æternæ spem hereditatis amiserat. Ex quibus duo, Hildeberth et Clemens dicti, a via veritatis populum pecuniarum cupiditate seducti averterunt; sed a sancto Bonefacio, consentientibus Carlomanno et Pippino gloriosis ducibus, ab ecclesiæ unitate expulsi sunt.

Ad suam Ecclesiam reversus

multa salubriter ordinat.

Hæreticos coercet.

30. Convenientibus vero in unum episcopis et omni gradu ecclesiastico ab ipsis ducibus ascitis, et synodali facto concilio, Bonefacius Carlomanno donante archiepiscopus Magontinæ civitatis institutus est. In quo concilio quatuor principalium synodorum numerosa canonum instituta, missus ab apostolico Gregorio præcedentibus hujus nominis tertio, legatus observari constituit. Et sicut in Nicæna synodo, præsidente Constantino imperatore, arrianæ blasphemiæ perfidia eversa est, et in Constantinopolitana Macedonius Spiritum Sanctum refutans sub Theodosio juniore condemnatus est, et sub eodem principe apud Ephesum Nestorius geminas in Christo confitens personas segregatus est ab ecclesia catholica, et in Chalcedonensi synodo Euticem abbatem et Dioscorum defensorem ejus sexcenti xxx[ta] sacerdotes excommunicaverunt : ita apud Franciam omnem funditus hæreticorum perfidiam eradicavit, et ut legis divinæ augerentur incrementa, synodalium generalium con-

Convocata synodo, archiepiscopus Moguntinus renuntiatur.

Ex delegatione Gregorii III conciliorum generalium canones in ea synodo promulgat.

[1] eorum *supra lin.* — [2] vita *supra lin.*— [3] est *supra lin.*— [4] *supra lin.* vel virtutis, *voce* karitatis *punctis suppositis deleta.*

cilia frequenter renovari constituit. Quam ob causam hic sanctus pontifex Carlomannum ad renovanda sæpius supradictarum synodorum instituta incitavit, ut tam præsentibus quam futuris spiritualis scientiæ sapientia patesceret, et ad animarum salutem vera christianitatis cognitio innotesceret.

Willibaldum Eistadensem, Burchardum Herbipolensem episcopos consecrat.

31. Cumque jam sibi et commissæ [1] plebi vellet consulere longævæ ætatis senio idem decrepitus, salubri utens consilio et congruo levamine subniti disponens imbecillitatem suam, pastorale magisterium providit illis, et sibi consociales collegas elegit, qui supportarent illum, ne succumberet ante tempus oneri deponendo præfinitum. Et duos bonæ industriæ viros ad episcopatum promovit, Willebaldum et Burchardum. Willebaldo parrochiam suam commendavit in loco cui vocabulum est Heigsted; Burchardo vero in loco qui appellatur Werzeburg episcopalis dignitatis officium delegavit; et ecclesias in confinibus Francorum et Saxonum atque Sclavorum suo officio retinuit, ubi usque ad gloriosum exitus sui diem incessanter plebibus viam salutis patefecit. Cum vero Pipinus germani regnum felix successor suscepit, synodalia instituta juxta exhortationem sancti Bonefacii a fratre suo inchoata, exorsus est prosequi, et beati viri in omni consultu salutari parere nutui et voluntati. Qui debilitate corporis ætate confecti prægravatus, hos synodorum conventus non valens præsentialiter frequentare, ingeniosæ indolis discipulum suum Lullum ad hos tumultuarios auditus et responsales objectus, et ad erudiendam plebem episcopum a se ordinatum elegit, ut et hereditati ejus ceteris vicinius appropinquaret, et peregrinationem suam [2], ut in hac parte in illo repausaret, in se transferret.

Lullum sibi coadjutorem assumit.

Eidem in Frisiam profecturus

32. Cum autem illum de hac vita Christus ad se vitam veram vellet assumere et temporali tribulatione eruere et consolatione visionis suæ fessum et anhelum refovere, ad Fresiam, de qua olim corpore exierat, sed animo in illa pro desiderio conversionis illorum remanserat, remisit, ut unde disposuerat præmiorum illius esse incrementa cum multiplicibus præmiis quæ postea in diversis nationibus Deo adquisitis promeruit, inde illi

[1] commissæ *supra lin.* — [2] suam *supra lin.*

primitias provideret remunerationis ejus. Itaque obitus sui diem prædicto episcopo præsagio a Deo sibi inspirato prædixit, et cujusmodi exitu præsenti mundo eximeretur, vaticinante in eo Spiritu Sancto, insinuavit. *Jam,* inquit, *fili, resolutionis meæ dies instat, et tempus quo carne exuar et Deo annectar appropinquat. Locus quærendus est quo morte dissolvar; ibi manus inveniendæ sunt quæ me ut victimam mactent; ibi exorandus est*[1] *Christus adesse, qui me ut acceptabilem hostiam altari suo dignetur imponere. Tu ecclesiarum structuras, a me in Thoringia cœptas ad perfectionem deducere maturabis; tu populum a superstitione qua adhuc a Deo deviat, revocabis; tu ecclesiam inchoatam apud Fuldam consumma, et ibi corpus meum vitæ ademptum et terræ de qua processit hereditario et, ut ita dicam, feneratorio debito reddendum, reconde tumulatum.* His verbis quibus de novissimis suis mandata dabat, Lullo[2] episcopo suspirante, et profusis lacrimis lamentante, sanctus Bonefacius, cum ad cetera sibi providenda sollicitaretur, sollicitior fuit de linteo quo exanime corpus ejus tegeretur, quod non alias quam cum libris qui inter sacra usitato more semper erant expositi, voluit conservari, hoc mundo velamento mundum corpus suum præcipiens involvi.

martyrium suum prædicit.

33. Deinde navigio per Rheni fluminis alveum aquosa Fresionum arva ingreditur, et transmisso stagno quod Almere dicitur, et ingentium aquarum enavigato discrimine (de periculo enim in periculum incidebat), Fresiam prædicando circuit; quæ licet[3] diversis divisa pagis, diversis etiam appellata nominibus, unius tamen gentis proprietatem prætendebat. Per omnem igitur Fresiam prædicando pergens, et numinibus simulacrorum destructis imperterritus apparens, ecclesias pro idololatris fanis erigebat, et ex eis multis millibus baptizatis, et sacerdotibus cum levitis ad erudiendum illos constitutis, de locis jam correctis ad alia loca pari modo corrigenda progreditur.

In Frisia multos convertit et ecclesias ordinat.

34. Postquam igitur per illum fidei splendor pæne omni Fresiæ illuxit, et felix sancti viri appropinquabat hujus vitæ finis, secus flumen Berne dictum, quod est in confinio illorum

A pervicacibus idololatris

[1] est *supra lin. al. man.* — [2] Lullo *add. man. rec. supra lin.* — [3] licet *supra lin.*

qui rustica eorum lingua appellantur Oster et Westerethe sitorum, tantum clientum numero stipatus, erexit tentoria. Sed quia confirmandis neophytis nuper baptizatis festum diem indixerat, longe lateque dispersi ipsum[1] confirmationis diem expectabant; et ideo sanctus vir minori numero confertus pæne solus et securus sub tentorio consederat. Prædicto vero die illucescente et orto jam sole, cum expectantur confirmandi, versa vice pro fidelibus amicis infideles inimici, et sanguinarii lictores pro novitiis fidei cultoribus adveniunt, scilicet ingens hostium hastata et scutata irruit super eum multitudo.

impetitus,

35. Tunc pueri ipsius ex locis in quibus ipsi proximis pernoctaverant, prosilientes, utrobique se armis impetunt, et suo conflictu interim a nece sanctorum illos retardant, quos jam nisi ab his repugnantibus cohibiti, dedissent internecioni. Sed vir Dei accito clero suo, de quo præcipue sua constabat militia, cum sanctorum reliquiis e tentorio procedit, et prohibitis pueris a congressu quo hostes perurgebant retrorsum resilire, interdixit pro defensione sua illis hostiliter concertare. *Cessate,* inquit, *pueri; neque enim hæc qua pro nobis illis resistitis, est accommoda congressio, ut vobis læsis aut fortassis extinctis, nos superstites vivamus, et sit nobis opprobrio vita nostra, aut*[2] *morte vestra aut interitu horum hostium reservata vel comparata. En dies mihi jam dudum exoptatus adest; votiva mors, qua desidero mundo renuntiare, gratuito offertur; et vos obsistitis ne percipiam quod sine substantiæ meæ dispendio tribuitur. Occurram morti quæ vere mihi*[3] *necessaria et ætate fessum tædio vitæ, quæ*[4] *corpori jam morienti est*[5] *invisa, absolvat et animæ desideranti felicius quam corporis consortium tollat ne de vivendi usu sibi cum ipso corpore sit ultra ullum commercium.*

suos ne eos armis repellant,

cohibet,

36. Sed et astantem clerum, presbyteris et diaconibus præclarum, sed proximo martyrio præclarius officium in cœlis cum suo[6] antistite habiturum, ad perpetuæ remunerationis mercedem exhortabatur, et hunc subitæ mortis articulum gratanter secum[7] excipere precabatur. Quibus hoc consultu ad coronam martyrii animatis, et se ad hoc tropheum præripien-

et clericos suos ad subeundum fortiter martyrium exhortatus,

[1] ipsum *supra lin.*— [2] aut *add. al. man.*— [3] mihi *supra lin.*— [4] quæ *supra lin.* — [5] est *supra lin.* — [6] suo *supra lin.*— [7] secum *supra lin.*

dum in anteriora promovente, ut etiamsi non voto, saltem ejus traherentur exemplo, statim amotis his quos diximus pro defensione sanctorum opposuisse se hostibus, furens super eos irruit hostilis manus. Et sancti Bonefacii mortem ad ceteros puniendos primum fecerunt furoris sui ingressum, ut illo præmisso in interitum, ceterorum facilius prosequerentur exitium, timentes, si magister postponeretur ad moriendum ultimus reservatus, fortassis superveniret qui ejus solius miseratione in eos insurgeret vindex [1] acerrimus. primus occiditur.

37. Itaque illo occumbente et, sicut videbatur his quorum manibus moriebatur, diis suis ab illo eversis pœnas dante, sicut vero nos credimus, pro illis contritis felicius moriente, comitum et mancipiorum suorum corpora nece cruentantur. Nescientes enim ipsi pagani quam dulce sit christianis pro tuenda fide sua in [2] mortem prosterni, ignari quod non desistant vivere cum putantur interire, inferunt illis mortem pro pœna, quam illi suscipiunt pro vita. Indifferenter singulorum ætates et dignitates pensantes, nec sacerdotes pro officio suo verecundiore vel mitiore pœna conficiunt, nec episcopum pro hoc nomine quo inferioribus ordinibus principabatur, seorsum a vilium personarum congestu semoverunt. Conlertim enim omnibus in unam collectam aggestis, ipse illis admixtus summam ipsius collectæ compleverat, et cum fuisset omnibus dispar in vita, par fuit omnibus in morte, non discretus ab illorum vel ætate vel gradu aut mediocri conditione. Deinde cæduntur ejus socii.

38. Deinde furentes ipsi sanctorum carnifices, ad prædam convertuntur, nihil se egisse in eorum morte credentes, nisi rapiant quod tollere non prohibet mortuus, et nisi diripiant quod exigit lex homicidæ, ut de eo quem interimit scelus suum remuneret. Et ut[3] in eo mercedem suam inveniat qui sub manibus suis expirat, datum est edictum, ut omnia quæ fuerunt illius tollens, sua propria esse credat pro quibus præcipue illum vita expoliat, pro quibus etiam explere concupiscentiam suam inhiando desiderat. Denudant mortuos, rimantur omnia ad quæ suus eos ducit appetitus, scrutantur pontificalia sacra, sperant se plus tollere quam spes eorum frustrata postea Occisores, sarcinis martyrum direptis,

[1] *supra lin.* vel defensor.— [2] in *supra lin.*— [3] ut *supra lin.*

invenit se rapuisse. Aviditate rapiendi incautus raptor multa et magna diripit, quæ postmodum diligentius considerans, dum nec quicquam vel saltem parum auri et argenti invenit, multitudine aut magnitudine se deceptum ingemuit. Ad navigia vero festinantes, ubi ministrorum sollers custodia stipendiis congruas adaptaverat clausuras, effringunt quod erat seris et clavibus communitum, abripiunt quod vasis conservandum erat compositum, abstrahunt quod passim jactatum expectabat usui suo contemperatum tempus vel horam. Præterea cibaria, vinum, et quæcumque poterant fessos cæde et rapina, ad aliud quod non prævidebant facinus reparare et acuere, ab ipsis navigiis efferunt, et ad convescendum non tantum discumbunt pransuri quantum involant raptis cibis abuti [1].

In prædæ partitione discordes,

39. Et illis prout abundabat eis victus et potus pastis et potatis, de partitione prædæ cœpit inter eos placide sermo ventilari; sed hic placidus sermo non eos ab ira et furore servavit inconcussos. Nam fœda ambitio singulos ad usurpanda plurima et meliora fecit vehementes et improbos, et in injusta dimensione coegit esse inæquales. A cæde enim et rapina sanctorum de seipsis ultionem expetunt, et in invicem rixantes, morte sua mortem justorum vindicant, et quæ rapuerunt perdunt, dum cupiditatem et usum eorum cum vita sua in seipsis extinguunt.

in mutuam cædem convertuntur.

Alii præda potiuntur;

40. Subsequuntur hostes [2] alii ejusdem cupiditatis et crudelitatis, sed non inventis in quibus occidendo crudeliter sævirent, prædam quam prædicti prædones rapuerant, et a seipsis occisi heredibus nullis reliquerant invadunt, et minus in auro et argento quam promittebat eis spes sua invenientes, quæ viderunt sibi ad fruendum fore accommoda, abstulerunt. Libros vero qui in legendo et cantando nihil sibi præstarent, invidentes eos christianis sacerdotibus, quorum officiis competebant, palustribus et humentibus locis submerserunt, saltem in hoc Deum christianorum irritantes, si in ejus ministerio sacerdotes ipsius, ignorantes quid dicerent, laudibus ejus detractis, in offensionem illius caderent, quæ, ut falso opinabantur [3], nisi

sacros libros palustribus locis demergunt.

[1] *supra lin.* vel impleri. — [2] hostes *add. supra lin. man. rec.* — [3] ut falso opin. *add. in margine.*

ipsis sacerdotibus [1] punitis placari nequiret. Hos libros quidam Fresionum, fide christiana ducti et per fidem in Christo timorati, de ipsis cænosis illuviis eruerunt et ecclesiæ reddiderunt, quam solam noverant in illis exerceri, et in his inveniri quod ad fidem venientibus bonum sit erogari.

41. Cum itaque christiani comperissent mortem sancti Bonefacii comitumque ejus, cum dolore quo angebantur [2] et pudore quo urebantur, expetebant de confinibus suis, gentilium scilicet Fresionum populis, ultionem necis sancti viri et stragis perniciosæ sociorum ejus. Illi vero constanter occurrunt eis, perurgente eos suo infausto fato, per quod alternatim nunc læto excursu, nunc tristi decursu, se credebant variari et circumferri, sed tandem in transfugarum suorum perniciem absque fatali mutabilitate, donec omnino delerentur, perstare. Itaque contra spem suam, qua crediderunt se fortiter facturos, ingenti strage prosternuntur; et pars eorum non sustinens virtutem christianorum prævalentem virtuti suæ, quæ jam non dicenda virtus erat, sed muliebris mollities, fuga impudenti salvata, erubuit quod huic congressui se ingessit, qui non se [3] victricem, sed fugitivam [4] remittebat latebris suis, de quibus ultra non prodiret invictis conflictura christianis. Factumque est modo mirabili ut superstes altera pars eorum saniore consilio non ad concertandum, sed ad communicandum in fide christiana, fidelibus christianis abjurata idololatria jungeretur, et doctrinam sancti Bonefacii, quam eo vivente respuerat, nunc eo mortuo territa sinistro belli auspicio devote appeteret et observaret.

Christiani necem apostoli sui ulciscuntur cæde paganorum.

Horum reliqui convertuntur.

42. Interea corpus sancti pontificis cum corporibus sociorum [5] martyrum navigio per fretum quod dicitur Almere ad Fuldam, ubi sepulturam sibi vivens elegerat, a Lullo episcopo, dum vixit, vicario suo, dum vero obiit, successore in episcopali officio, translatum est. Cumque ibidem judicaretur sepeliri, juxta quod disposuerat, et Pipinus princeps [6] etiam ne a loco ab ipso electo amoveretur edictum dedisset, ut vere creditur, angelica [7]

Corpus S. Bonifacii transfertur Moguntiam.

[1] ipsis sacerdotibus *in margine, erasa vocula, forte* a. — [2] quo ang. *in marg.* — [3] se *supra lin.* — [4] *supra lin.* vel fugacem. — [5] sociorum *in margine.* — [6] princeps *supra lin.* — [7] *in margine add.* vel humana.

manu tacta insonuit campana; quæ licet verbis non dixerit, sono tamen [1] innuit Magontiæ, ubi episcopus præfuit, reddendum esse corpus ejus, ut haberet corpore præsentem et meritis tutorem quem, dum vixit, habuit rectorem et eruditorem. Sic statim redditum corpus sanctum tricesima obitus sui die, perlatum est ad civitatem Magontiam ibique sepultum; quem ipsa civitas, hoc est ipsius civitatis cives, sicut doluit corporaliter amissum [2], sic sibi suisque posteris gaudet futurum perpetualiter patronum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

[1] tamen *supra lin.*— [2] amissum *in margine.*

ADNOTATUM AD NUM. 18 (p. 59).

Habemus hic, ni vehementer fallimur, magni ponderis argumentum cur Vita edita ex hac videatur emendata, non vice versa. Nimirum ex tribus rationibus quas hoc loco affert Bonifacius ne consentiat Willibrordo roganti ut sibi adjutor esse vellet in episcopatu, postea futurus successor, duas tantum indicat Vita edita, secundam vero prætermittit. Jam ex hac secunda ratione plane videtur vituperari posse ipse Bonifacius quod in fine vitæ suæ Lullum sibi coadjutorem consecraverit cum jure successionis (cfr. num. 31 extr. et num. 42). Unde omnino incredibile est illam contradictionem Bonifacii adversus Willibrordi petitionem ab interpolatore vel breviatore, utique laudatore Bonifacii, introductam esse; contra vero probabile admodum est eam ab emendatore fuisse deletam.

PROLOGUS

IN VITAM SANCTI AMORIS

NUNC PRIMUM EDITUS.

In eodem codice Bruxellensi 18644-52, unde Vitam S. Bonifacii deprompsimus, quique exterius inscriptione recenti notatur fuisse *S. Laurentii* (Leodiensis), reperimus Vitam S. Amoris a majoribus nostris editam ad diem 8 Octobris (1), sed cum prologo quem ipsi frustra in suis codicibus quæsierunt (2). Ex hoc prologo jam certiora fiunt quæ minus firmis argumentis statuere iis licuit circa Vitæ scriptorem (3). Jam enim constat prolixiorem Vitam deberi Egberto, eumque usum esse libello antiquiore. De ejusdem vero ætate nihil nobis amplius innotescit : quis enim fuerit ille Robertus nobilis vir, cui opusculum suum inscripsit, hariolari quis audeat ?

Prologus Egeberti diaconi ad quemdam Robertum nobilem virum in vita sancti Amoris confessoris qui Belisiæ quiescit.

Cum locum sancti Amoris, ut interessemus festivitati, dudum adiremus, et quomodo se vita ejus haberet legeremus, emenso totius libelli spatio, non invenimus ad cujus se ordinem vivus applicaverit, nec aliud quicquam quod dignum memoria conderetur, sicut sollers lector facile potest discere. Ibi quidem continuo mihi, conversus ad me (enimvero ludentem id dicere in primis credidi) cœpisti obnixe instare ut vitam sancti hujus notiore materia renovarem, et, quia illa græcis intertexta di-

(1) *Act. SS.*, tom. IV Oct., p. 343-347. — (2) Ibid., Comment. præv., num. 17 (p. 338). — (3) Ibid., num. 14-16.

ctionibus parum profuisse videbatur legentibus, in nostra lingua uberior capacioris intellectus copia pullularet. Nam qui præsumit sanctorum gesta narrare, non legentibus iter obstruere, immo lucem veritatis debet aperire. Olim, ut perhibent, vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat[1]. Qui autem opera Dei hactenus et deinceps aliis, quod profore credo, revelarent, numquam cœlestis beneficii munere carerent. Qua etiam spe ego, non ut qualibet ingenii mei potentia fretus essem, sancti hujus merita utcumque scribenda aggressus, tibi quam plurimum[2] generosissime cœpi, tuæque hoc opusculum mando fidei. Qua in re uti inops animi, si quid deliqui in eo, tua nobilitas, quæso, quam est imperiosior multo, osoribus meis acrior obsistat, ne quando æmulis veluti indefensa paginula hæc nostra succumbat.

Incipit vita ejusdem.

Igitur beatus Amor Aquitania patria sua a bonis parentibus progenitus......

[1] *supra lineam alia manu* punierat. — [2] *cod.* plurium.

TRANSLATIO

SANCTI BENEDICTI

ABBATIS.

EX COD. MS. BIBL. NAT. NEAPOL.

Eminentissimus Dominus Cardinalis Bartolini in doctissimis commentariis de Actis S. Zachariæ pontificis (1), ad firmandam thesin de translatione S. Benedicti, ossa videlicet sancti patriarchæ ejusque sororis Scholasticæ, sed non omnia ossa Floriacum translata fuisse, testimonium invocat codicis cujusdam MS. e Bibl. Nat. Neapolitana. Quo ex codice scriptoris anonymi pauca verba excerpit totius argumenti pondere gravida : « Exinde autem » cum illic diligentius veneranda sanctorum corpora demorata, in negligen- » tia ab hominibus haberentur, divino dispensante consilio, quod nullorum » possunt investigare corda mortalium, ad Galliarum fines *eorum non ex* » *toto sed partim sunt translata cadavera... Plurima quoque et alia signa* » *eorum meritis in eodem monte* (Cassino) *fieri noscuntur, in quo illorum* » *sanctissima corpora* in ultimo die resurrectionis resuscitanda ab angelica » tuba esse creduntur. Nam quod *ex eorum membris aliquas Deus particu-* » *las in extremas nationes transmigrare permisit,* ob nil aliud hoc actum » est, nisi ut quanta esset meritorum illorum potentia universus disceret » orbis. »

Anonymi verba a doctissimo Cardinali allata plane confirmant sententiam quam Stiltingus in *Actis Sanctorum* amplexus est (2), in Dubitationibus circa translationem corporum SS. Benedicti et Scholasticæ.

Anno 1880, S. Benedicti natalis sæculari, cum unus ex nobis per Italiam iter faceret ad colligenda et conferenda documenta de sanctorum actis, vir quidam doctissimus eum admonuit codicis prædicti, atque argumenti quod citata verba suppeditant ; ipsum vero vehemens cupido incessit codicem Neapolitanum propriis oculis usurpandi totamque relationem cognoscendi. Quamquam enimvero iis verbis magnam inesse vim plane videbat, movebat tamen scrupulum recentior codicis ætas : sæculi enim XIII dicebatur.

Cursu itaque itineris Neapolim delatus, propriisque studiorum negotiis

(1) Commentario VIII, p. 347. — (2) *Acta SS. Septembris*, tom. I, ad diem 3, p. 733.

confectis, in Bibl. Nat. petitum codicem (1) cupidissime pervolvit. Eratque, ut legerat, codex sæculi XIII. Pagina 84 relationem translationis S. Benedicti exhibebat, quæ per sex columnas et mediam extenditur. Ipsa lucubratio temporis notam haud dubiam continet. Scripta est, teste auctore, eo tempore quo « Sico Longobardorum gentis principatum regebat, » eodem tempore quo « a Longobardis ad honorem tanti patris (Benedicti) sub unius » pastoris regimine duo sunt constructa cœnobia : unum in ejus montis » supercilio, alterum in ejus planitie ; quæ in tantum sunt diversis prædiis » ac rebus a Longobardorum gente ditata, et *hodierno die* ditari cernuntur, » ut eorum abundantia mensuræ copiam excedat. » Quæ duæ temporum notæ, una ex narrationis principio, ex fine altera, si componantur, annus quo scripta sit, intra 830 et 833 collocandus erit. Etenim declarat auctor « ut nostra hæc assertio vera esse credatur, sub quali vel quanto » *nunc* principe Beneventi gloria sublimata consistat, e quibus illius studiis » Domini vel ejus sanctorum laudes jugiter extollantur, nostris his parvis » apicibus studiosus quisque dinoscere poterit. » At vero nullus Beneventi princeps nominatur nisi Sico, cujus nomen phrasis subsequens exprimit. Quod vero dicit : monasteria montis Cassini diversis prædiis et rebus *hodierno* die ditari cernuntur, Siconem quoque indicat, cujus exstat diploma anni 830, quo flumen Laurum cum omnibus limitibus, piscariis, etc. monasterio Cassinensi concedit (2). In diplomate nomen Romualdi pro Sicone legitur.

Auctor antequam ad translationem ipsam veniat, pauca facta miranda e vita S. Benedicti tradit, omissa, ut fatetur, a Gregorio Magno. Quæ facta legere potuerat in Historia Longobardorum Pauli Warnefridi sive Pauli Diaconi (3). Haud tamen ex illo libro, sed ex alio eadem facta sumpsit, cujus auctorem Arechium vocat. Ac revera invenitur parvum opusculum auctoris hucusque anonymi qui facta prædicta ex Paulo Warnefridi proprio operi inseruit. Opusculum hoc publicæ luci dedit vir cl. Aloysius Tosti in *Historia Abbatiæ Montis Cassini* (4). Titulus est : *Chronicon monasterii S. Benedicti*. Incipit : « Diebus Justiniani orthodoxi imperatoris beatus Benedictus. »

Hæc sunt illa eadem quæ apud Pertz inter *Monumenta Germaniæ Historica*, tomo III Scriptorum, præfixa reperies *Chronicæ Langobardorum seu monachorum de monasterio sanctissimi Benedicti* (5). Principium idem est, sed exciderunt plurima quæ anno 1839, quo ille Monumentorum tomus prodiit, in MS. codice adhuc latebant. Historia enim Aloysii Tosti qui, ut diximus, ea primus typis dedit, tomo Pertziano tribus annis est posterior, edita scilicet anno 1842. Quum tamen Pertziana editio post Peregrinum et

(1) VIII B 45. — (2) Cfr. Leo Ostiensis, *Chron. Casin.*, L. I, c. 22, et Gattola, *Hist. Abbat. Cass.*, Access. p. 33. — (3) L. I, c. 26. — (4) L. I, nota O, pag. 129. — (5) P. 198.

Pratillum ope multorum codicum mss. facta sit, patet eamdem lacunam ubique fere reperiri. Prooemium illud, sic enim vocari placet, non est auctoris ipsius, qui Chronicam proprie dictam exaravit. Testatur enim alibi repertum operi se suo præfixisse : « Libet breviter ut ex majorum dictis re- » pertum est me dixisse sufficiat. Nunc vero, » etc., quibus dictis Chronicam aggreditur.

Majores isti « e quorum dictis repertum » protulit, sunt Paulus Warnefridi, qui Marcum secutus est, et scriptor anonymus, cujus nomen Arechium esse opinamur, eumdem illum quem Neapolitani codicis anonymus auctor ante oculos habuisse fatetur. Marcus vero unde reliqui hauserunt, unus ex S. Benedicti discipulis fuit, qui in honorem sancti patriarchæ parvum quidem sed egregium poema condidit, in quo facta illa miranda enarrat. Cujus est versiculus ille quem relatio anonymi legendum dabit :

His tu parce locis : alter amicus adest.

Integrum Marci poema editum est apud Muratori e codice Cassinensi 257 (1).

Penultima anonymi nostri phrasis obiter lecta difficultatem aliquam movere potest, quæ tamen verbis diligenter ponderatis statim evanescet. Dicit enim : « Et pro monasterio quod in ejus (Cassini montis) superficie a bea- » tissimo Benedicto constructum fuerat, et nuper a Longobardis, ut supra » retulimus, destructum est, nunc ab eis iterum Longobardis ad honorem » tanti patris sub unius pastoris regimine duo sunt constructa cœnobia : » unum in ejus montis supercilio, alterum in ejus planitie ; » etc. ut supra.

Probavimus auctorem scripsisse, Sicone principatum regente; Sico mortem obiit anno 833, post principatum quindecim annorum, ut plerique omnes censent, aut juxta anonymum auctorem Chronici Salernitani post regnum annorum duodecim (2).

Monasterium S. Benedicti instauratum fuit, abbate Petronace, qui præfuit ab anno circiter 718 usque ad 751. Eodem abbate alterum monasterium ædificatum fuit ad radices montis Cassini in ripa Rapidi fluvii.

Hæc sunt duo monasteria, unum in montis supercilio, alterum in ejus planitie, quorum anonymus mentionem facit. Hic aliqua difficultas oriri potest, et quæri qua ratione qui scribit sæculo IX, dicere possit cœnobia ineunte sæculo VIII ædificata nunc ineunte sæculo IX esse constructa. At responsum patet consideranti anonymum priori membro opponere alterum membrum in quo loquitur de hodierno die, ita ut præteritis addat præsentia. Sensus est : Cœnobia olim constructa quæ *nunc* videmus, olim ditata, hodierno quoque die ditari cernimus.

(1) *Rerum Italicarum Scriptores*, tomo IV, p. 605, Mediolani 1723. — (2) Cfr. *Historia principum Langobardorum* Camilli Peregrini in nova editione Francisci Mariæ Pratilli, Neapoli 1750, t. II, p. 121, et Anonymi Salernitani *Chronicon*, c. 52 cum nota 66.

De altero illo monasterio si quis quærat, dicemus cum Gattola (1) mirum nobis videri neminem e Cassinensibus hujus cœnobii meminisse: quare anonymus noster, quem Cassinensem monachum fuisse non dubitamus, primus sit qui de hoc cœnobio scripserit, post S. Willibaldum, qui ejusdem monasterii janitor fuit, ut patet ex ejus Itinerario (2), ubi legitur: « Quatuor » annos erat portarius in illo monasterio quod stat supra in monte valde » excelso, et alios quatuor erat in alio monasterio, quod infra stat juxta » amnem Raphito. »

Mirum alicui videri potest ab anonymo nostro utrumque monasterium constructum dici a Longobardis, cum constet ab abbate Petronace ea esse constructa. Verum sciendum est Petronacem in pio opere exequendo a Longobardis magnifice adjutum fuisse, uti narrat Leo Ostiensis in *Chronico sancti monasterii Cassinensis* (3).

Parum interest fortassis, volui tamen inquirere quis fuerit Arechius cujus mentio facta est. Juxta anonymum fuit unus ex viris illustribus, Siconis subditis, « ingenuus præ omnibus, atque sagacissimus litterarum amator » qui « omissis mundialium rerum studiis ad beatissimi Benedicti exquirendas virtutes animi vigorem cœpit protendere, in cujus amore jugiter serenissimi principis nec non et suum placare studuit animum. » Nullum in historia coæva virum reperi Arechium nomine, cui hæc convenire forte possint, nisi solum Arechium sive Arichim, Pauli Warnefridi fratrem (4). Hic Arichis videtur esse Pauli frater natu minor: in texenda enim genealogiæ suæ serie seipsum nominat ante Arichim. Paulus ipse Ticini in regali aula educatus est; charus fuit Ratchisio, Cuniberto et Desiderio Longobardorum regibus, charus postea Carolo Magno; apud Arichisium Beneventi ducem magno in honore vixit; quo principe defuncto, monachus factus in monte Cassino, ibidem anno circiter 799 vitam clausit. Quamquam de vita fratris hujus nihil innotescit, pronum tamen est opinari eum vita comite fratris fortuna adjutum aulam secutum fuisse, honoresque adeptum in principum familiaritatem venisse: postea quoque, fratre mundo valedicente ac Benedicti cœnobium ingresso, a sæcularibus studiis ad religionem animum applicuisse et fratris causa Benedicti imprimis studiosum fuisse. Potuit sane ad Siconis tempora vixisse, fratri superstes, ac religioso principi sancti Benedicti miracula conscribere aut e fratris scriptis excerpere. Quidquid est, conjecturis indulgendum fuit. Certi nihil occurrit.

Quibus, illustrationis ergo, præmissis, ipsam anonymi relationem de translatione sancti Benedicti lectori tradimus.

(1) *Historia Cassinensis*, Sæculum III, c. 6. — (2) *Acta SS. Julii*, t. II, in Vita S. Willibaldi, c. III, p. 509. — (3) L. I, cc. 4 et 5, apud Muratori *Rerum Italicarum Script.*, t. IV, p. 257 et 262 seqq. — (4) Cfr. *De gestis Langobardorum*, L. IV, c. 39. Apud Migne, P. L., t. 95, col. 576.

Incipit translatio sancti Benedicti abbatis.

1. Divinæ pietatis immensa clementia sacræ fidei devotionem tanto magis devotis semper auget fidelium mentibus *, quanto eos indesinenter suis viderit inhærere mandatis, et eo unumquemque suæ largitatis multiplicat munere, quo sui auctoris fideliter secutus fuerit normam. Fides igitur Domini nostri Jesu Christi Salvatoris ut ab ipso suæ manifestationis exordio suorum cœpit illustrare mentes fidelium, ita usque ad mundi terminum suorum irradiare non desinit corda doctrinis. Et licet mundus crebris ac variis jugiter casibus subruatur, præclari tamen christianæ fidei sectatores non cessant sui regis vel ejus sanctorum admiranda præconia per orbem resonare. Nam postquam ex parvo sinapis grano in arborem magnam sancta crevit ecclesia et ejus gloriosum principium a devicto sumpsit hoste triumphum, diversis temporibus sanctorum insignia gesta per vasta terrarum climata circumquaque claruere manifestis indiciis.

* cod. mentes

2. Ergo ut nostra hæc assertio vera esse credatur, sub quali vel quanto nunc principe Beneventi gloria sublimata consistat, e quibus illius studiis Domini vel ejus sanctorum laudes jugiter extollantur, nostris his parvis apicibus studiosus quisque dinoscere poterit. Eo igitur tempore quo forma corporis atque animi præclarus decore, cœlesti providentia Sico, illustrissimus princeps Samnii, Longobardorum gentis principatum regebat, dum plures ex sibi subditis viri illustres ejus alacritatem sapientiæ cernerent, eumque in historiis veterum et maxime in sanctorum cognoscendis miraculis quæ ab illis superna virtute peracta sunt, perpendissent studium dare, cœperunt in exquirendis doctorum libris vel sanctorum virtutibus eorum succrescere studia, ut ejus certatim auribus semper aliquid novi haberent quod inferre potuissent.

3. Inter quos unus, Arechius nomine, ingenuus præ omnibus atque sagacissimus litterarum amator, omissis mundialium rerum studiis, ad beatissimi Benedicti exquirendas virtutes animi vigorem cœpit protendere, in cujus amore jugiter serenissimi principis nec non et suum placare studuit animum. A beato igitur papa urbis Romæ Gregorio licet beatissimi Benedicti plurima sint revelata de virtutibus miracula, tamen sunt

aliqua jam dicti patris insignia, quæ, quia sacris ejus auribus minime nuntiata sunt, in suis ea dialogis nequaquam narravit.

4. Nam cum ejus vitam per multorum et antiquorum volumina præfati strenuissimi viri Arechis sagax inquireret diligenter sollertia, in cujusdam sapientis Marci nomine libro repperit quod antea quam beatissimus Pater Benedictus ad Cassinum montem in cujus nunc cacumine ejus sanctum cœnobium situm est, habitator veniret, quemdam in eodem monte repperit Domini servum solitariam prius duxisse vitam; eumque a Domino taliter per visionem admonitum fuisse compertum est: His tu parce, locis: alter amicus adest.

5. Hoc etiam veraci ejusdem Marci relatione compertum est, quod dum ad prædictum Cassinum montem ex aliis eremi partibus non sine cœlesti præsagio habitandum properaret, angelorum manifestis indiciis eidem per dubios locorum calles, seu per desertum via monstrata est. Et ut manifeste daretur intelligi quod in ipso itinere dux ejus Christus fuit, tres eum corvi ex ipsa qua prius moratus fuerat solitudine, piis obsequiis prosequuntur. Hæc itaque, ut superius dictum est, quia a beato Gregorio papa inter cetera ejus quibus in mundo claruit non sunt patefacta miracula, ob hoc studiosis ea lectoribus proprio prælibata studio stilo traduntur.

6. Hactenus quo adhuc in mundo positum beatissimum Benedictum vel quanto amore Christus dilexerit, in hac parvissima relatione notavimus. Nunc ad ea narranda veniamus quæ per illius ejusdemque sororis extincta corporis membra sunt veraciter signa gesta. Igitur postquam gloriosis præfulti meritis inter angelorum choros cœlesti sunt sede recepti, nescimus quo occulto Dei judicio post longa annorum spatia monasterium ejus quod in Cassino monte ipse instruxerat, unde et antiquum expulerat hostem, Longobardorum feritate, ut idem suo vaticinio ante prædixerat, discipulorum servatis animabus, destructum est. Deinde vero longinquis transactis temporibus, ipse mons in quo illius atque ejus sororis sacra tumulata sunt corpora, humanis destitutus accessibus desertus admodum factus, bestiarum tantum celebrabatur incursu. Exin autem cum illic diligentius veneranda sanctorum corpora demorata, in negligentia ab hominibus haberentur, divino dispensante consilio,

quod nullorum possint investigare corda mortalium, ad Galliarum fines eorum non ex toto, sed partim sunt beata translata cadavera. Quæ qualiter vel quo ordine illis in partibus sunt evecta, lectorum auribus intimamus. Etenim de multis pauca legentibus intimare curamus, ne prolixior sermo audientibus fastidium præbeat, et legentium animis scrupulositatem aliquam inferat. Unde et cursim brevique stilo hæc annotare curavimus quæ sequuntur.

7. Duo quodam tempore nobilium Francorum nobili orti prosapia, clari viri fuerunt in monachico habitu, ex quibus unus illo in loco qui Cenomannis dicitur degebat, alter vero monasterio videbatur præesse cui vocabulum Floriacus fore dinoscitur, qui plus minus viginti millibus ab Aurelianensi oppido distans, juxta fluvium qui Liger nominatur consistens, frutetis * vallatus opimis, pulchrum videntibus spectaculum præbet. His duobus una atque consimilis revelatio Domino demonstrante facta fuisse dinoscitur. Nam una in nocte dum in locis quibus morabantur, ambo depressi somno quiescerent, cœlitus eis admonitio facta est, ut quantocius ad Italiam pergerent et sanctorum Benedicti atque illius sororis sacræ virginis Scholasticæ diu neglecta sacrata corpora dignis obsequiis visitarent, et ex eorum venerabilibus membris quæque clariora auferre valuissent veneranter ad Gallias perveherent.

* *cod.* frutectis

8. Cumque sibi vicissim postea quod in somnis viderant retulissent, et hoc eis divinitus imperatum fore declaratum esset, ambo pariter ad Italiam properantes, divino lustrati spiritu pervenerunt. Qui mox Campaniæ fines attingentes, circa Aquinensium loca constiterunt. Cœperuntque a locorum incolis diligenter inquirere ubi olim sanctorum corpora Benedicti ejusdemque sororis humata fuissent. Quorum utique inquisitio cum a quodam viro valde seniore fuisset audita, statim illis ab eo mons pariter et locus est demonstratus; a quo etiam hoc eis præceptum est ut præsenti nocte sacris vacarent orationibus et quo aliquod signum eis in præsignato monte a Domino demonstraretur, sacris evidentibusque indiciis spe fierent certiores. Cumque venerandi senioris, quem divino credimus destinatum instinctu, obedirent præceptis, ecce intempesta nocte, cum cuncta sub silentio tenerentur et tenebrarum horror Cassinum

tegeret montem, subito miris fulgoribus et innumeris coruscis lampadibus cacumen montis in quo sancta corpora quiescebant, cœlitus illustratur. Qui venerandi senioris reminiscentes oraculum, subito cacumen montis expetunt. Mirum in modum, sicut stella magos ab Oriente ad adorandam Christi Domini nostri sacram perduxit infantiam, ita istos ab occiduis partibus cœlesti inspiratione sidereum lumen ad sepulcra perduxit sanctorum. Igitur, ut ita dicam, non tam temeritatis audacia quam felici devotione Domini voluntate disponente *, venerandi fratris (beati Benedicti) seu sororis suæ membrorum patrociniis furtim secum ablatis, ad propria remeare cœperunt.

* *cod.* disponenti

9. Cumque Galliarum finibus cum tanto munere propinquarent, in loco cui vocabulum est Bonodium, tribus fere millibus a prædicto Floriaco monasterio distante, paululum substiterunt. Ibi denique quidam cæcus dum palpando carperet iter, lucem qua a matris utero caruerat, sanctorum mox ut feretrum tetigit, recepit. Post hunc æger quidam ipsis in locis habitabat, qui pene omnium membrorum officiis in tantum destitutus erat, ut nequaquam propriis gressibus incedere valens, aliorum manibus portaretur. Qui cum sanctorum audisset adventum, se illuc concite deferri postulavit, eorumque sacris pignoribus obviam factus, magnis cœpit vocibus clamare, dicens : Per illum vos adjuro, cujus virtute potentes in mirabilibus estis, ut me salvare dignemini. Eodem itaque momento pristinæ est redditus sanitati; et qui proximorum fuerat ulnis vectus, firmis gressibus ad propria remeavit. Hoc ita sanato, alter quidam cæcus extiterat in loco cui vocabulum est Nova Villa. Qui baculo sustentatus, modo quocumque valuit, ad sanctorum reliquias beneficia petiturus indubitata fide cucurrit. Cumque ab his qui pro sanctorum patrociniis ex pluribus partibus devoti occurrerant, repelleretur, cœpit altis ululatibus acclamare, dicens se nullo modo a sancto feretro posse evelli, nisi prius cæcitatis depulsis tenebris lumen amissum reciperet. Cujus fidei devotionem cœlestis pietas intuens, lucem quam perdiderat confestim videre donavit. Quod potest Domini Salvatoris comparari miraculo, qui appropinquans Jericho, increpantibus turbis cæco magis ac magis clamanti lucem amissam reddidit.

10. His itaque finitis, dum ad prædictum monasterium

Floriacum nomine sancta jam funera devenissent, et inter eos per quos allata fuerant altercatio quædam amica pactione occurreret, quis hæc sancta pignora ex eis possidere deberet, religiosi viri ac timentes Deum arbitri * accesserunt. Definitumque ab eis recto tramite fuit ut beatissimi Benedicti sacrosancti corporis membra monasterio quod Floriacum appellatur honorifice conderentur *, et sanctæ Scholasticæ sororis ejus gleba Cenomannim honestissime * condenda deferretur. Nam ut ambobus voluit Dominus tam præclara sanctorum merita revelare, dignum fuerat ut æqua lance deitatis muneribus bearentur.

* *cod.* arbitres

* *cod.* condirentur

* *cod.* honestissimæ

11. His ita pactionibus sedati, ut declararet omnipotens Deus sanctorum merita gloriosa, quadam dubietate partibus ambabus succedente, hæsitare cœperunt quæ fratris ossa vel sororis essent. Inito itaque ab eis consilio, quæ majora seu prolixiora erant, posuerunt seorsum; quæ minora erant, altrinsecus separarunt. Tunc omnes qui de singulis partibus properarant sanctorum exequiis obviam, in terram pariter corruentes magnis gemitibus cœlestis regis pietatem implorant; ut servis suis cunctationem qualiter illi placeret, auferre dignaretur, et cujus uniuscujusque ossa existerent, faceret certiores. Ad quorum preces citius divina clementia quod petebant, concessit.

12. Nam duorum infantium, id est masculi et feminæ funera eis nuntiata sunt. Quæ cum allata fuissent, corpusculum pueri juxta sanctissimi Benedicti extincta membra posuerunt; corpusculum vero puellæ sanctissimæ ejus sororis ossibus applicuerunt. Quod cum peractum fuisset et sacris omnes insisterent precibus, cunctis coram astantibus, mira celeritate puerorum corpora de vinculo mortis soluta sunt. Omnes igitur circumstantes dum tam magnum viderent signum, cœperunt magis præ gaudio lacrimas effundere, et in cœlum laudes extollentes omnipotenti Deo gratias immensas retulerunt. Talibus igitur indiciis postquam sanctorum membra discreta sunt, beati Benedicti sacrata pignora ad illud monasterium quod Floriaco constructum est, deportaverunt; beatæ vero Scholasticæ ossa allata sunt Cenomannum, ubi usque hodie dignis venerantur obsequiis et eorum meritis beneficia præstantur digna.

13. Sed et illud non est otioso sermone prætereundum,

quod alio tempore in monte Cassino gestum est, ad istorum sepulchra sanctorum. Vir quidam in Anglorum gente mutus et surdus extitit, qui cum aliis causa orationis Romam petentibus pariter ad limina venit apostolorum. Oratione vero peracta, cum ad beatissimi archangeli Michaelis oraculum, in monte qui Garganus dicitur angelicis manibus præparatum, suos concives properare conspiceret, cum eis iter arripuit. Et dum prius ob orationis studium ad sancti Benedicti limina pervenissent, mox ut ejus sunt oratorium ingressi, dum finitis precibus consurgerent, is qui mutus et surdus erat, surgere nolens, gemitibus quibus poterat diutinas preces effundebat. Post vero unius ferme horæ spatio transacto, ab oratione se erigens, non solam propriam sed etiam barbaram linguam et latinam cœpit effari.

14. Plurima quoque et alia signa eorum meritis in eodem monte fieri noscuntur, in quo illorum sacratissima corpora in ultimo die resurrectionis resuscitanda ab angelica tuba esse creduntur. Nam quod ex eorum membris aliquas Deus portiunculas in extremas nationes transmigrare permisit, ob nil aliud hoc actum est, nisi ut quanta esset meritorum illorum potentia universus disceret orbis. Hoc etiam nulli dubium sit quod ipse locus atque mons qui illorum sacras retinet sepulturas, magnis fulget virtutibus jugiter. Et pro monasterio quod in ejus superficie a beatissimo Benedicto constructum fuerat et nuper a Longobardis, ut supra retulimus, destructum est, nunc ab eis iterum Longobardis ad honorem tanti patris sub unius pastoris regimine duo sunt constructa cœnobia : unum in ejus montis supercilio, alterum in ejus planitie; quæ in tantum sunt diversis prædiis ac rebus a Longobardorum gente ditata, et hodierno ditari die cernuntur, ut eorum abundantia mensuræ copiam excedat. Pro quibus factis Longobardorum gens, quæ Beneventi primatum retinet, sanctissimi Benedicti suffulta meritis cœlesti tuetur auxilio, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

SANCTI SERVATII

TUNGRENSIS EPISCOPI

VITÆ ANTIQUIORES TRES.

Antiquissima quæ hactenus nota esset Vita S. Servatii legitur inter *Gesta episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium* conscripta ab Herigero Canonico Leodiensi extremo seculo X et post Chapeaville novis curis recentius edita a v. cl. R. Koepke inter *Monumenta Germaniæ Historica* (1); solam autem Servatii Vitam inde vulgaverant majores nostri ad diem 13 Maii (2). Herigero præ manibus erat Vita vetustior, ipso testante his verbis : « Hic sane vir, sicut in gestis ejus legitur antiquioribus, ex » generosa magnorum virorum stirpe est editus » (3). Eadem et usum esse Gregorium Turonensem (4) putavit cl. Koepke (5).

Haud parum itaque gavisi sumus ubi pervolventibus nobis codicem Seminarii Namurcensis, unde unus nostrum ante hos duos fere annos protulit Vitam coævam S. Huberti (6), occurrit Vita Servatii, in qua leguntur quæcumque de eodem sancto habent Turonensis et fere Herigerus, et præterea sermo hactenus item incognitus Radbodi episcopi Trajectensis ad Rhenum (7) *de gemina felicitate S. Servatii.* Postea vero et tres alios codices offendimus Bruxellenses eamdem illam Vitam continentes : quibus adjungendi sunt codex Bonnensis et duo Colonienses (8). Alterum etiam apographum sermonis Radbodi invenimus in quodam codice Bruxellensi (9).

Ecce autem, dum hæc prelo parabamus fasciculo primo Analectorum nostrorum inserenda, misit ad nos vir doctissimus et nostri amicissimus Godefridus Kurth, in Academia Leodiensi historiæ medii ævi professor, libellum nuper a se nostri consilii inscio conscriptum (10), ubi *Gesta* illa *Antiquiora* ab Herigero citata exhibuit ex codice Namurcensi, collato cum codice Musei Britannici, et præterea aliam Vitam manifeste illis antiquiorem, quæ merito *Antiquissima* seu primaria ab ipso vocata est, ex codice Parisiensi seculi VIII et altero item Musei Britannici (11).

Hæsimus paulisper quid nobis agendum restaret ; denique tamen editionem nostram supprimendam non duximus, non solum quod Radbodi sermo adhuc ineditus est, sed et præsertim quia secundum certiorem textum *Gesta*

(1) Script. tom. VII. — (2) *Act. SS.*, tom. III Maii, p. 215-216. — (3) *Mon. Germ.*, tom. cit., p. 172.—(4) *Hist. Franc.*, lib. II, cap. IV-VI et *De Gloria Confessorum*, cap. LXXII.—Utroque loco sanctus noster *Aravatius* appellatur. — (5) *Mon. Germ.*, Script. tom. XII, p. 85.—(6) *Bulletins de la Commission royale d'histoire*. Bruxelles 1879. — (7) An. 901-918. — (8) De iis codicibus cfr. infra, pag. 93. — (9) Vid. infra, p. 104.—(10) *Deux biographies inédites de saint Servais, publiées avec une étude critique*, par Godefroid Kurth. Liège 1881. — (11) Cfr. infra, pag. 89.

Antiquiora proferre licet, adhibitis scilicet, præter duos illos quos vidit cl. Kurth, quinque codicibus non spernendis (1). Quin immo et, libenter id permittente cl. Kurth, Vitam Antiquissimam ex ejus libello recudendam existimavimus,ut ita sub oculis simul posita habeantur in Analectis nostris quæcumque de S. Servatio ante Herigerum scripta sunt; — præter Vitam fabulosam scilicet, quæ plerumque in codicibus manuscriptis offenditur, et quidem secundum diversas admodum recensiones, quas laudatus amicus noster Godefridus Kurth diligenter examinandas suscepit et mox, ut speramus, earumdem varietates et originem sagaciter, ut solet, explicabit.

Sed jam cum doctissimo viro nobis quæstio est, censente errasse cl. Koepke et alios, dum putarunt Gregorium Turonensem ea quæ de S. Servatio scripsit, excepisse e *Vita Antiquissima* vel ex *Gestis Antiquioribus*, quæ scilicet adhibuit Herigerus; contra vero horum scriptoribus fontem, et quidem solum (2), fuisse libros Gregorii, si locos illos communes excipias, quos in Vitis Sanctorum tempore medii ævi conscriptis tam frequenter offendere consuevimus. Quam sententiam utique satis probabilem arbitramur, non ita tamen ut nullus jam ambigendi sit locus.

Etenim, quod ad *Vitam Antiquissimam* spectat, unum tandem argumentum profert cl. Kurth cur illam ex Gregorii *Historia Francorum* (3) haustam credat, non vice versa : quod illius Vitæ prima sententia exorditur his verbis : *Multæ enim hæreses eo tempore quasdam ecclesias Dei impugnabant*, quum nihil omnino præcesserit unde ratio istius particulæ *enim* reddi queat ; et præterea eamdem sententiam statim sequuntur hæc : *Sed ad superiora redeamus*, quum rursus nulla sint *superiora*, ad quæ redeat sermo.

Sed ut ingenue quid sentiamus profiteamur, neque apud Turonensem capitis illius quod huic loco respondet, connexionem cum præcedentibus satis intelligimus. In superioribus quippe hujus libri II capitibus prius dixerat (cap. I) de S. Briccio, qui S. Martinum excepit in sede Turonensi, nihil certe ejus historiæ de rebus publicis, sive ecclesiasticis sive civilibus, intermiscens : deinde (cap. II) de irruptione Vandalorum, Suevorum et Alamannorum in Galliam et in Hispaniam, et etiam Vandalorum in Africam, et (cap. III) de sæva persecutione a Trasamunde eorum

(1) Hos solos ex tam multis Vitam aliquam Servatii continentibus, et in egregio Periodico *Archiv* (et *Neues Archiv*) *der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde* passim indicatis, ea Gesta referre, didicimus ex responsis ad epistolas nostras quas ea de re ad bibliothecarum præfectos vel alios viros doctos direximus. — (2) Monuit tamen nos ipse cl. Kurth, quod et deinde advertit qui in Periodico *Neues Archiv*, etc. (an. 1882, fasc. I) ejus libellum laudavit, scriptori *Gestorum* præ oculis quoque fuisse epitaphium S. Servatii : id nimirum manifestantibus sententiis nonnullis quas, postquam obitum ejus et sepulturam narravit, laudi ejus interserit, quales sunt : *Hoc pausant membra clari doctoris in antro ; Spiritus æthereum cœli concessit in aulam; Vir magnus meritis summusque sacerdos; Auctor nobilis, virtutum lumine clarus; Vir venerandus toto etiam corpore pulcher; Relictis terris conscendit culmina cœli* (nn. 9, 10).— (3) Lib. II, cap. IV-V.

rege in Hispania et ab Hunerico ejus successore in Africa adversus catholicos, ut eos ad arianam hæresim pertraherent, excitata; ac brevissime de atroci morte Hunerici, de reliquis Vandalorum in Africa regibus et hujus regni excidio. Sequitur postea caput IV : *Multæ enim hæreses eo tempore Dei ecclesiam impugnabant, de quibus plerumque ultio divina data est*, et post pauca de Atharico vel Athanarico rege Gothorum, qui catholicos persecutus mox regno privatus et exulare coactus fertur (1) : *Nunc vero ad superiora redeamus. Igitur rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere.* Quænam sunt, quæso, hæc *superiora* ad quæ *redire* se dicit scriptor, dum Hunnorum irruptionem narrare aggreditur? Utrum episcopatus S. Briccii? An historia Vandalorum? Hæc prorsus nobis consistere non videntur.

Sed his omissis, ad propositum argumentum statim respondere licet facili conjectura. Quam multæ enim occurrunt in vetustis codicibus Vitæ Sanctorum, quorum tale legitur exordium : *Igitur beatus*, etc. Porro, ut notavit Papebrochius (2), « particula *Igitur*, in principio legendarum plu» rium sic posita, indicat continuationem cum aliquo præcedenti prologo, » quem lectionum scriptor omiserit, » qui prologus non raro postea in aliis codicibus eidem Vitæ præfixus reperitur (3). Suppone igitur prologum ubi dixerit scriptor Vitæ Antiquissimæ se acturum de S. Servatio episcopo Tungrensi, qui vixit paulo ante tempora Hunnorum irruptione infausta, quos suæ in Galliarum populos et principes ultionis ministros immisit Deus; et jam omnia plana fiunt, nec habet illa Vita quidquam quod a genere scribendi priscorum illorum temporum alienum videatur.

Jam ad *Gesta Antiquiora*. Tres partes in ea præcipue distinguere licet. Prima pars (4) eadem habet quæ scriptor Vitæ Antiquissimæ, sed aliquantum emendata et perpolita. Secunda vero (5), ut supra indicavimus, desumpta est ex epitaphio S. Servatii. Tertia denique (6) rursus eadem continet quæ leguntur apud Gregorium Turonensem *Historiæ Francorum* lib. II, cap. V extr. et cap. VI, et in libro *De Gloria Confessorum*, cap. LXXII. Redit igitur quæstio num hæc tertia pars ex Turonensi decerpta sit, an vero huic præluxerit, an tandem uterque, Turonensis et scriptor *Gestorum*, ex communi fonte hauserint. Primam illam hypothesim ut certam assumit v. cl. God. Kurth, nos vero unam ex posterioribus potius veram judicamus.

Haud infitiamur equidem argumentum proferri prima specie validissimum et hujusmodi ut victas manus dandas facile aliquis æstimaverit, ni validius multo in contrariam partem assensum traheret. Ait nimirum scriptor *Gestorum* exordio hujus tertiæ partis : *Cujus* (Servatii) *beatum corpus post multorum temporum spatia translatum fuit Deo revelante in*

(1) Quisnam fuerit hic rex Gothorum, nunc parvi refert inquirere. — (2) *Act. SS.*, tom. I Jun., p. 13, Annot. a. — (3) Exemplum habes in Vita S. Amoris, cujus prologus in hoc ipso fasciculo nunc primum editus est (supra, p. 73). — (4) Infra, num. (1-8) — (5) Num. (9-10). — (6) Num. (12-14 init.). — Cetera parænetica sunt, non historica.

libro miraculorum scripsimus (1). Porro in fine capitis LXXII libri *de Gloria Confessorum* memoratur translatio corporis S. Servatii per S. Monulphum (2), et liber *de Gloria Confessorum* designatur nomine *libri miraculorum* in Vita S. Radegundis a Baudonivia sanctimoniali, ejusdem sanctæ alumna et coæva Gregorio, conscripta (3).

Hoc itaque argumentum jure ponderosum dixeris. Ecce autem aliud contrarium, quod quidem magis ineluctabile nobis videtur. Subjungitur scilicet apud Gregorium Turonensem (4) paulo post verba superius citata, et fere iisdem verbis in *Gestis Antiquioribus* (5): *De quo oratorio* (S. Stephani) *quæ a quibusdam audivi* (in Gestis, secundum plerosque codices, *quæ audivi ab his qui viderant*), *narrare non distuli. Aiunt enim, priusquam hostes* (Hunni scilicet) *venirent, vidisse se virum fidelem in visu quasi conferentem cum sanctis apostolis Petro et Paulo,* etc. Itaque, si hæc a Turonensi primum scripta censemus, habemus eum testantem se collocutum esse cum *quibusdam* viris qui jam matura ætate erant ante irruptionem Hunnorum in Galliam, id est ante medium seculum quintum. Quis hoc ferat, et non potius secure jam colligat caput illud a Gregorio suæ Historiæ insertum esse ex documento antiquiori, ita ut nec verba ad suam ætatem accommodaret? Et consequenter, ut jam ad prius argumentum revertamur, nomine *libri miraculorum* apud scriptorem *Gestorum Antiquiorum* non proprie librum Gregorii *de Gloria Confessorum,* sed communi significatione indicari librum aliquem de miraculis S. Servatii, quales tam multi, ipso hujusmodi titulo insigniti, conscripti sunt per decursum medii ævi (6). Et ex his, ni fallimur, etiam confirmari potest quod superius de *Vita Antiquissima* pari modo a Turonensi in suam Historiam assumpta censuimus.

(1) Iisdem verbis fere Gregorius : « Cujus beatum corpus qualiter post multo» rum temporum spatia sit translatum, in libro miraculorum scripsimus. » *Hist. Franc.*, lib. II, cap. v extr. Ubi addita est vox *qualiter* et omissa *Deo revelante*. — (2) « Procedente vero tempore adveniens in hanc urbem Monulfus » episcopus, templum in ejus honorem construxit, composuit ornavitque, in quod » multo studio et veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet.» —Ubi tamen adverte nudum factum translationis uno verbo memorari, non autem *qualiter* id contigerit vel *Deo revelante* contigisse.—(3) Cap. XXIII. « Quando ejus » sancta anima de hoc seculo migravit ad Christum, non erat ibi pontifex loci. » Perrexit nuntius ad virum apostolicum domnum Gregorium Turonicæ civitatis, » qui statim advenit. Sed quantum præsens vidit oculis, antequam sepeliret eam, » de ejus virtutibus, in libro miraculorum, quem composuit, inseruit. » (*Act. SS.*, tom. III Aug., p. 82.) De miraculis autem S. Radegundis scripsit Gregorius libri *de Gloria Confessorum* cap. CVI. — (4) *Hist. Franc.*, l. II, c. VI. — (5) Infra, num. 11.
(6) Et hanc suspicionem comprobat lectio trium ac præsertim antiquissimi et, ut videtur, præstantissimi omnium codicum *Gesta Antiquiora* referentium, Coloniensis 163, quæ sic habet : *in libro miraculorum EJUS scripsimus.*

I. VITA ANTIQUISSIMA.

Edita est hæc Vita secundum codices duos: 1. Parisiensem lat. 12598, olim S. Germani Pratensis 671, seculi VIII, exscriptum et editum a v. cl. Godefrido Kurth; et 2. Harleianum 624 in Museo Britannico Londinii, seculi XII, ab eodem collatum.

Incipit vita sancti ac beatissimi Servatii episcopi et confessoris [1].

1. Multe enim hereses eo tempore quasdam [2] æclesias Dei impugnabant, [de quibus] [3] plerumque ulcio divina data est. Nam et Atharicus Gothorum rex magna gessit pulsacione: qui multos christianorum diversis pœnis adflictos gladio [4] detruncabat [5]. Unde factum est ut imminente [6] judicio Dei pro [7] effusione sanguinis justicie [8] a regno [9] depelleretur et esset exul a patria qui Dei æclesias impugnabat. Sed ad superiora redeamus.

2. Igitur romor erat Hunnos in Galleas [10] velle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungros [11] opidum Servacius eximie sanctitatis episcopus : qui vigiliis ac jejuniis vacans, crebro lacrimarum imbre perfusus, Dei misericordiam deprecabatur ne unquam gentem hanc incredulam sibique semper indignam in Galleas [12] venire permitteret. Sed senciens per Spiritum Sanctum pro delictis populi sibi hoc non fuisse concessum, consilium habuit expetendi urbem Romam [13]; scilicet ut adjuncta [14] sibi apostolice virtutis patrocinia [15], que humiliter a Dei misericordia [16] flagitabat, mereretur facilius obtenere.

3. Accedens ergo ad beati Petri apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis ejus, in multa abstinentia maxima inedia [17] seque consumens [18], ita ut biduo triduoque [19] sine ullo cybo potoque maneret, nec esset intervallum aliquid [20] in quo ab oratione cessaret. Cumque ibidem per multorum dierum spacia in tali adflictione

[1] Incipit Vita sancti Servatii episcopi 2. — [2] *ita corr., prius* quidam 1. — [3] *om. cod.* 1. — [4] *prius* gladium 1. — [5] (Multe-detruncabat) Eo tempore Atharicus Gothorum rex multos christianorum diversis pœnis afflictos crudeli examinatione interficiebat 2. — [6] *prius* eminente 1. — [7] propter 2. — [8] sanctorum 2. — [9] *prius* regnum 1. — [10] *prius* Galleis 1. — [11] (Sed-Tungros) Rumore autem volante erat apud Tungros 2. — [12] *prius* Galleis 1. — [13] Romam nam 1. — [14] adjuncto 2. — [15] patrocinio 2. — [16] (a Dei mis.) apud Dei misericordiam 2. — [17] (max. in.) maximaque inedia corporis 2. — [18] seque cons. *om.* 2. — [19] *prius* bidue tridueque 1. — [20] (nec-aliquid) nec intervallum esset aliquod 2.

moraretur, fertur [1] a beato Petro apostolo accepisse responsum: *Quid me, sanctissime vir, inquietas? Ecce enim apud Dominum deliberatione prorsus sanccitum est, Hunnos in Galeas [2] advenire, easque maxima tempestate debere depopulari [3]. Nunc igitur sume consilium meum adcelere [4] velociter, ordina domum tuam, sepulturam [5] compone, quere [6] lenteamina munda, ecce enim migraveris [7] a corpore, nec videbunt oculi tui mala que facturi sunt Huni in Galleis, sicut locutus est Dominus Deus noster dicens hoc a sancto Petro [8], non remansuram [9] esse in Galleis urbem inlesam preter oratorium unum in Metinsus [10] urbem propter pignora beati Stefani primi martyris.*

4. Pontifex [11] vir sanctus Servatius responso suscepto iter adcelerat, Galliasque velociter repetit, veniensque ad urbem Tungrorum, que erant necessaria secum citius levabat [12]. Valedicens [13] sacerdotibus et levitis ac clericis, et oscolans [14] cum lacrimis, et salutem predicando ac docendo et commonendo [15] in omnibus, ut parati essent in eorum animarum salute [16], hac tota civitate et plebe [17] sibi adgregata in ecclesia [18] sancta catholica beate Marie virginis semper in urbe eadem [19]. Ipso tempore, quo regressus est ab urbe Roma, multa docendo [20] ut in preceptis Domini sine intermissione perseverarent semper [21], eciam [22] cum magno fletu [23] et multa lamentacione denunciavit [24] dicens : *Jam [25] adhuc non celare possum quod dicturus sum vobis. Ab hodierna die ultra faciem meam non videbitis, nec amplius me in hac urbe vivum conspicietis in carne, quia ego jam iturus sum viam totius [26]..... et [27] hunc locum ultra non [28] reversurus. Jam fui ad sacrum sepulchra [29] sancti Petri apostoli, et multum ei [30] flagitavi, ut bonitate sua esset mihi in auxilium ; et [31] Dominum simul pro vobis [32] et pro his provinciis [33] precacione missa, ut [34] piis petitionibus ad Deum [35] impetrare [36] meruissimus. Qui [37] jejunando et flendo urbem Romam circuivi, et provolutis*

[1] fertur tale 2. — [2] *prius* Galeis 1. — [3] *prius* depopulare? 1. — [4] accelera 2. — [5] sepulturamque 2. — [6] quære vel 2. — [7] migrabis 2. — [8] (hoc-Petro) mihi Petro apostolo suo 2. — [9] *prius* remansuras 1. — [10] *sic?* 1. Metensium 2. — [11] Pontifex autem 2. — [12] *prius* levat 1. — [13] *prius* valedicensque ? 1. — [14] osculans eos 2. — [15] prædicans et docens et commonens 2. — [16] suarum animarum salutem 2. — [17] hac igitur omni plebe 2. — [18] *prius* eclesia 1. — [19] sanctæ virginis quæ erat in urbe eadem 2. — [20] docuit eos 2. — [21] *om.* 2. — [22] ad ultimum 2. — [23] *prius* fleto 1. — [24] den. eis 2. — [25] Jam filioli 2.— [26] *nonnullæ litteræ erasæ* 1. terræ 2. — [27] et in 2. — [28] non sum 2. — [29] sacram sepulturam 2. — [30] eum 2. — [31] et ad 2. — [32] nobis 2. — [33] *prius* has provincias 1. — [34] *prius* et 1. — [35] a Domino 2. — [36] impetrare veniam 2. — [37] ego 2.

genibus meis orando ad sancti Petri tumulum, diucius[1] *incumbendo in orationibus*[2] *meis, responsum audire merui, et dixit mihi: Quid me inquietas, sanctissime vir? quia apud Dominum destinatum*[3] *est, ut cuncta Gallia*[4] *destruatur, et in manus Chunorum tradenda hostile exercitu vastetur, et universe civitates Europe*[5] *et castella igni cremenda*[6] *exurentur; et cuncta sanctuaria erunt combusta*[7], *excepto altare sancti Stefani urbis Mettensium, ubi sanguis ejus pullulat. Ideo*[8] *non possumus rogare Dominum, ut ista nobis orando concedat. Sed tu, vir sanctissime et beate Servaci, audi consilium*[9]. *Velociter perge ad domum tuam et ad populum tuum, et jube parare sepulturam tuam, et quere tibi pura et munda linteamina*[10] *ad tegendum corpusculum tuum; et cito migrabis*[11] *a corpore cum pauco*[12] *dolore, et oculi tui non videbunt mala que sunt facturi Chuni in Gallea, sicut locutus est Dominus Deus noster ad me. Ideo tam cito egressus*[13] *ab urbe*[14] *Roma, et nunc ad vos*[15] *festinanter adveni, ut nunciarem omnia ista, que ventura sunt in Gallia*[16]. *Ob hoc notum vobis*[17] *facio, si vivus in carne precando pro vobis ista obtinere non potui, credo quod jam, defunctus in spiritu pro animabus vestris apud altissimum*[18], *qui me ad regendum animarum vestrarum pastorem esse instituit, ut*[19] *qui me monente ejus mandata complevit, requiem sempiternam possedendam promitto.* Deinde secutus adjuncxit: *Et has oves, Domine, quas redemisti, et mihi in manus credidisti, et me et has oves tuas hodie in manus tuas*[20] *reddo*[21], *et me et eas tibi*[22] *commendo. Sed deprecor te*[23], *altus judex, humili et flebili prece, exaudi me ad te voce*[24] *clamantem, ut si gregem tuum lupi rapido ore dilaniant*[25], *glucientes carnes eorum, tu Domine Jesu Christe, qui animam tuam pro ovibus posuisti, te oro, ut animas eorum ac ovium mearum ab ore leonis eripias, ut possim de eis*[26] *tecum portare manipulos, ut sint mecum in ovili*[27] *sancto tuo gaudentes, sicut promisisti, ut ubi sum ego, ibi et minister meus erit*[28] *mecum.*

5. Eciam[29] his dictis omnibus, mox inruit magnus clamor et luctus in turba, et excrevit gemitus valde et nimis in viris[30], et plora-

[1] diutiusque 2. — [2] *prius* orationebus 1. — [3] definitum 2. — [4] *prius* Galea 1. — [5] *prius* Eorupe 1. — [6] cremanda 2. — [7] cuncta secum areant combusta 2. — [8] ideoque 2. — [9] consilium meum 2. — [10] *prius* lenteamina 1. [11] *prius* migraveris 1. — [12] *prius* pauca 1. — [13] egressus sum 2. — [14] *prius* urbem 1. — [15] *prius* vobis 1. — [16] *prius* Gallea 1. — [17] vobis hoc 2. — [18] alt. id potero 2. — [19] *prius* et 1. — [20] in manibus 2. — [21] (*post* reddo) eas *delet*. 1. — [22] *ita corr.* 1. — [23] (*post* te) in *delet*. 1. — [24] *om.* 2. — [25] *prius* aniant 1. — [26] *prius* eas 1. — [27] *prius* ovile 1. — [28] sit 2. — [29] Et 2. — [30] *prius* viros 1. valde in viris 2.

tus multus in feminis [1], omnes vociferantes [2] in planctum. Ad [3] vir Dei sanctissimus Servacius exiit [4] ab urbe Tungris [5] extra [6] portam civitatis progressus, ad orientalem plagam [7] pedester pergens [8] viam quæ respicit ad [9] oppidum [10] Trejectinsium. Ad [11] illi [12] cum ejulatu et ullulatu [13] magno et lacrimis, omnis [14] populus prosequens eum [15] foras civitatem [16], post eum clamosa voce [17] dolens [18] subplicabant [19], humili voce dicentes [20] : *Ne derelinquas nos, pater sancte, ne obliviscaris nos, pastor bone. Nos quidem* [21] *populus tuus* [22], *et oves gregis tui, ne nos dimittas* [23] *in fauce lupi*. Alii vero monachi et puelle exeuntes de monasteriis [24] et percucientes pectora post eum [25] sequentes, et osculantes vestigia pedum illius, clamabant dicentes: *Cur* [26] *tam cito nos deseris, vel quo vadis nunc* [27]*? Educ nos tecum. Adventum tuum* [28] *gaudentes* [29], *quod ad nos reversus es de tam longa peregrinatione, etiam sperabamus quod apud nos esse digneris; et nunc nec tres dies vis bistus* [30] *manere nobiscum. Dic nobis miseris, quid facturi sumus? Quid* [31] *ergo erit de nobis, qui sine te vivere non possumus, sed* [32] *in pessima morte tradendi sumus? Te obsecramus, vel* [33] *uno mense, aut una hebdomada, aut etiam hac nocte nobiscum mansisses.* Ad illi senes [34] et cludi [35], seu et pauperes et peregrini super murum flentes [36] et lugentes post eum, dicentes [37] : *Quis nobis daturus est victum? Quis nobis tribuet vestitum? Nudi sumus, et orphani et vidue: quis consolator noster erit?* Sed cum eum fletibus revocare non possent, accepta benedictione cum osculis redierunt.

6. Hic vero ad Trejectinsem urbem accedens, modica [38] febre pulsatus recessit a corpore, ablatusque a fidelibus juxta ipsum agerem publicum est sepultus. Ubi multi egri et demoniosi curantur et multe [39] virtutes pullulant usque in hodiernum diem, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen [40].

[1] *prius* feminas et 1. — [2] omnesque vociferati sunt 2. — [3] At 2.— [4] *prius* exit 1. — [5] *prius* Tungros 1. — [6] et extra 2. — [7] *post* plagam *vox erasa* 1. — [8] pergit 2. — [9] *om.* 2. — [10] *prius* opidum 1. — [11] *om.* 2. — [12] illico 2. — [13] *prius* ejulato et ullulato 1 — [14] *prius* omnisque 1. — [15] *ita corr.* 1.— [16] *prius* civetatem 1.— [17] ibat voce nimisque 2. — [18] *prius* dolentes 1. — [19] supplicabat 2. — [20] dicens 2. — [21] enim 2. — [22] *prius* tuos 1. — [23] *prius* demittas 1. — [24] *prius* monasteria 1. — [25] pectora sua eumque 2. — [26] *prius* quur 1. — [27] pater 2. — [28] In adventu tuo 2. — [29] gaud. fuimus 2. — [30] *prius* nec tres dies non jubes 1. — [31] *prius* quod 1. — [32] *om.* 2. — [33] ut vel 2. — [34] maneas. Porro senes 2. — [35] *prius* clodi 1. — [36] flentes erant 2. — [37] et dicentes 2.— [38] modicaque 2. — [39] *prius* multas 1. — [40] Explicit Vita sancti Servatii episcopi 2.

II. GESTA ANTIQUIORA.

Octo omnino codices (vel eorum variantes lectiones) nobis præ oculis fuerunt in hac editione concinnanda, tali ordine distributi :

1. *Coloniensis,* Archivi publici n. 163, membraneus, seculo X scriptus, formæ in-fol. min. (0m, 342×0,257) (1).

— Alterius *Coloniensis* n. 164, anno 1463 descripti (2), variantes lectiones fere concordant cum lectionibus variantibus codicis Bonnensis infra indicati sub numero 6 : eas distinctius notandas non duximus.

2. *Namurcensis* Seminarii n. 21, seculi XI (3).

3. *Bruxellensis,* Bibliothecæ Regiæ n. 9636-37, olim monasterii S. Laurentii Leodiensis, membraneus (0m,33×0,24), seculo XII, non tamen una manu, descriptus.

4. *Bruxellensis* n. 18018, olim Laubiensis, membraneus (0m,33×0,23), diversis manibus fere seculi XII exaratus.

5. *Harleianus* n. 2800-2802, in Museo Britannico Londinii, seculi XIII.

6. *Bonnensis* miscell. n. 367, in folio, membraneus, foliorum 161, diversis manibus sec. XIII, XIV et XV scriptus; sed Vita Servatii (fol. 1-3) debetur manui sec. XIII.

7. *Bruxellensis* n. 380-382, olim cœnobii Swollensis, deinde Vallis S. Martini Lovanii, membraneus, seculi XV.

Ex his codicibus Colonienses, Namurcensem et Bruxellenses ipsi diligenter exscripsimus vel cum aliis contulimus; Harleiani variantes lectiones debemus cl. v. Godefrido Kurth, Bonnensis vero cl. v. Dri H. Rau, uni ex custodibus bibliothecæ Academiæ Bonnensis. Porro facile animadvertet curiosus lector miram esse concordiam inter codices signatos numeris 1 et 3, qui et textum exhibent emendatiorem; reliquos vero subinde paulo minus a textu Vitæ Antiquissimæ recedere, et inter hos arctiore cognatione conjunctos esse 6 et 7, ut hic ab illo descriptus videri possit.

Monendi quoque qui hæc legerint, ne statim ubi in aliquo codice offenderint Vitam S. Servatii his verbis exordientem *Ad illuminandum humanum genus*, etc. (4), existiment incognitum nobis a se repertum esse Gestorum Antiquiorum apographum. Quædam enin recensio Vitæ fabulosæ idem exordium præ se fert : cujusmodi legere est in codicibus Trevirensi 1138 (LIX), Montensi 210 et Oxoniensi Laud. 415.

(1) Notatus est codex iste apud Pertz, *Archiv*, etc., tom. XI, p. 745, secundum antiquiorem catalogum, *Hinterlassenschaft des Prof. Wallraff*, VI, 18. — (2) Notati ibidem VI, 21. Vita Servatii legitur fol. 37 ro—39 vo. — (3) Cujus accurata descriptio tradita est in prolegomenis ad Vitam coævam S. Huberti (cfr. supra, pag. 85) et rursus tradetur in Commentario prævio ad Acta S. Huberti, inserenda proxime edendo tomo I Novembris. — (4) Usque ad fin. num. 1.

Incipit vita sancti Servatii episcopi et confessoris [1].

1. Ad illuminandum humanum genus multas in hoc mundo spirituales lucernas dignatur [2] Dominus noster [3] illuminare : ex quibus bonæ memoriæ sanctissimum Servatium urbi [4] Trajectensi [5] pietas divina [6] concessit.

2. Eo igitur [7] tempore quo idem [8] beatus [9] Servatius [10] regimen tenebat cathedræ sanctæ Mariæ matris Domini nostri semper virginis [11] in urbe Tungrensi [12], diebus [13] episcopatus sui [14] multæ quidem hæreses ecclesias [15] Dei impugnabant ; pro quibus [16] plerumque ultio divina data est [17]. Nam et Athanaricus [18] rex Gothorum magnam gessit [19] pulsationem, qui multos christianos [20] diversis pœnis affectos [21] gladio detruncabat. Unde factum est ut, imminente judicio Dei , pro effusione sanguinis [22] juste a regno depelleretur, et esset exul a patria qui Dei ecclesias impugnabat [23]. Sed ad superiora redeamus.

3. Igitur rumor erat Hunos in Galliam [24] velle prorumpere [25]. Erat autem [26] tunc temporis [27] apud Tungros [28] Servatius [29] summæ [30] sanctitatis episcopus [31], qui vigiliis ac jejuniis vacans crebro lacrymarum imbre perfusus [32] Dei misericordiam precabatur [33], ne umquam gentem hanc ferocem sibique semper incredulam [34] in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per Spiritum Sanctum pro delictis populi sibi [35] hoc non fuisse [36] concessum, consilium habuit expetendi urbem Romam : quo scilicet [37] adjuncto [38] apostolicæ virtutis patrocinio [39],

[1] V. s. S. e. et c. 2, 4. V. s. S. e. 3. I. v. s. S. ep. Tongrorum 7. *tit. om.?* 5, 6. — [2] dignatus 1. — [3] (dign.-nost.) dignatus est Dominus Deus noster 2. Dominus noster dignatus est, 4, 5, 6, 7. — [4] huic urbi 6. — [5] Trejectensi 4, 5. — [6] sua pietate 2, 4. — [7] autem 4. *om.* 5, 6. — [8] *om.* 3, 4, 6, 7. — [9] sanctus 6, 7. *om.* 4. — [10] *om.* 4. — [11] (mat.-virg.) semper virginis 4. semperque virginis Dei 6. semper virginis Dei 5. mat. Dom. n. semperque virginis Dei genitricis 7. — [12] (in-Tung.) urbis Tungrensis 4, 5. in *om.* 6, 7. — [13] *om.* 4. in tempore 5, 6, 7. — [14] ep. sui *om.* 4. — [15] ecclesiam 4, 5, 6, 7. — [16] (pro quibus) sed 4, 5, 6, 7. — [17] data est div. 4, 5, 6, 7. — [18] Alaricus 2. *corr.* Alaricus 3. — [19] ingessit 4. — [20] christianorum 4, 5, 6. — [21] afflictos 4, 5, 6, 7. — [22] sang. christiani 2. — [23] impl. eccl. 4. — [24] Gallia 1, 3. — [25] Igitur-prorumpere *om.* 4, 5, 6, 7. — [26] *om.* 4. — [27] t. t. *om.* 6, 7. — [28] Tungros oppidum 4, 5, 6, 7. — [29] Serv. nomine 4, 5, 6, 7. — [30] eximiæ 4, 5, 6, 7. — [31] *om.* 7. — [32] profusus 7. — [33] deprecabatur 4, 5, 6, 7. — [34] (hanc-incredulam) incredulam seque semper indignam 4, 5. incredulam Hunorum sibique semper indignam 6, 7. — [35] sui 5. — [36] esse 4. — [37] (quo scilicet) nam hoc credebat ut 2. ea scilicet causa ut 3, 4, 5, 6, 7. — [38] adjuncto sibi 3, 4. per adjuncta 6. per adjuncta sibi 7. — [39] patrocinia 6, 7.

qui [1] humiliter ad Dei misericordiam [2] flagitabat [3], mereretur facilius obtinere quod volebat [4].

4. Accedens ergo [5] ad beati apostoli Petri [6] tumulum, precabatur [7] auxilium bonitatis ejus, multa [8] abstinentia maximeque [9] inedia se [10] consumens [11], ita ut biduo triduoque sine ullo cibo potuque maneret [12] nec esset intervallum aliquod [13] in quo ab oratione cessaret. Cumque ibidem per multorum spatia dierum [14] in tali afflictione moraretur, fertur hoc a beato Petro apostolo accepisse responsum : *Quid me, sanctissime vir, inquietas? Ecce enim* [15] *apud Deum* [16] *deliberatione prorsus sancitum* [17] *est Hunos in Gallias* [18] *advenire* [19] *eosque* [20] *maxima tempestate* [21] *debere depopulari. Nunc igitur* [22] *sume consilium meum, accelera* [23] *velociter, ordina* [24] *domum tuam sepulturamque* [25] *compone; quære tibi pura* [26] *linteamina et* [27] *munda. Ecce enim migrabis a corpore, nec videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt Huni in Galliis* [28], *sicut* [29] *locutus est* [30] *Dominus Deus noster ad me* [31] *dicens* [32] *non remansuram esse* [33] *in Galliis urbem* [34] *illæsam, sed neque basilicam ullam* [35] *præter unum oratorium* [36] *in Mettensium* [37] *urbe propter pignora beati Stephani primi martyris.*

5. Hoc [38] pontifex responso [39] accepto [40] iter accelerat Galliasque velociter repetit. Veniensque ad urbem Tungrorum [41], quæ erant necessaria [42] secum ferenda [43] citius [44] tollit [45], valedicensque [46] sacerdotibus ac levitis et [47] clericis salutem [48] prædicando et docendo [49], osculans eos cum lacrymis [50], et commonendo in omnibus ut parati essent in die revelationis justi judicii Dei [51].

[1] quod 5. quæ 6, 7. — [2] (ad D. mis.) a D. misericordia 2. D. misericordiam 4, 5, 6, 7. — [3] flagrabat 3. — [4] quod vol. *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [5] *om.* 3. — [6] P. ap. 2, 4, 5. ap. *om.* 6, 7. — [7] deprecabatur 2, 4, 5, 6, 7. — [8] in multa 2, 4, 5, 6, 7. — [9] maximaque 3, 4. — [10] sese 3. se inedia 6. — [11] affligens 5. — [12] mansisset 2. — [13] aliquid 5, 6. — [14] dier. spat. 2, 4, 5, 6, 7. — [15] *om.* 4, 5, 6, 7. — [16] Dominum 2, 5, 6, 7. — [17] sanctitum 6. sanc. prors. 7. — [18] Galliis 6. Gallilis 7. — [19] adventuros 6, 7. — [20] easque 2, 4, 5, 7. — [21] temeritate 4, 5, 6, 7. — [22] autem 2. ergo 6. — [23] accelerare 2. — [24] ordinare 4. — [25] sepulturam 2, 4, 5, 6, 7. — [26] tibi pura *om.* 2, 4, 5, 6, 7 — [27] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [28] Galliam 2. — [29] et sicut 5. — [30] est mihi 6, 7. — [31] ad me *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [32] addens hoc sanctus Petrus 2. — [33] *om.* 4. — [34] urb. in G. 5. — [35] sed-ullam *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [36] or. un. 2, 4, 5, 6, 7. — [37] Mettensi 4. — [38] Hic 2, 4, 5, 7. *om.* 6. — [39] (pontifex responso) pont. autem vir sanctus Servatius hoc resp. 2. pont. vero sanctus resp. 4. pont. vero vir sanctus Servatius hoc resp. 5. pont. vero sanctus Servatius resp. 6, 7. — [40] suscepto 2. — [41] Tongrensium 2. — [42] nec. er. 2. — [43] ferenda *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [44] citissime 4. — [45] levat 2, 4, 5, 6, 7. — [46] valedicens 1. valedicensque fratribus 2. — [47] (sac.-et) *om.* 4. sac. et lev. ac 2, 5, 6. sac. et lev. et 7. — [48] (cler. sal.) cler. et osculans cum lacrymis et sal. 2, 5, 6, 7. cler. et osc. cum lacr. 4. cler. et sal. 3. — [49] et docendo 4. — [50] (osc.-lacr.) *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [51] (die-Dei) suarum animarum salutem 2. salutem animarum suarum 4, 5, 6, 7.

Tota autem civitate et plebe sibi commissa aggregata [1] in ecclesia sancta [2] beatæ [3] Mariæ semper virginis in urbe eadem [4], ipso tempore quo regressus [5] est [6] ab urbe [7] Roma [8], multa docuit [9], ut in præceptis Domini sine intermissione perseverent [10] semper [11]; etiam cum magno fletu et multa [12] lamentatione denuntiabat [13], dicens : *Jam non celare* [14] *possum quod dicturus sum vobis. Ab hodierna die* [15] *ultra* [16] *faciem meam* [17] *non videbitis, nec amplius* [18] *in hac urbe* [19] *conspicietis in carne; quia ego* [20] *jam iturus sum viam totius humi et huc ultra non reversurus. Fui quippe ad sepulchrum* [21] *sancti* [22] *Petri apostoli* [23], *et multum eum* [24] *flagitavi ut bonitate sua* [25] *esset mihi in* [26] *auxilium ad Deum* [27], *simul pro vobis et pro his provinciis precatione præmissa* [28] *ut piis ejus* [29] *petitionibus a Deo liberationem vestram impetrare mererer. Jejunando itaque* [30] *et flendo* [31] *Romam* [32] *circuivi* [33], *et* [34] *provolutis genibus orans* [35] *atque ad* [36] *sancti Petri tumulum* [37] *diutius in orationibus meis procumbens hoc responsum audire promerui* [38] *: Quid me, frater* [39], *inquietas* [40]*? Apud Dominum* [41] *definitum* [42] *est ut cuncta Gallia destruatur*

[1] (Tota-aggregata) hac tota civitate et plebe 2. cum tota civitate et plebe sibi aggregata 4. ac totam civitatem et plebem sibi aggregatam 5. ac tota civitate et (ac 7) plebe sibi aggregata 6, 7. — [2] sancta catholica 2, 5, 6, 7. *om*.4.— [3] sanctæ 5. — [4] (in urbe eadem) aggregata, eodem 2. — [5] egressus 5. — [6] *om*. 4. — [7] (ab urbe) a 2. — [8] Roma fuerat 4. — [9] docendo 2. docendo prædicabat 4. eis docendo prædicabat 5, 6, 7. — [10] perseverarent 2, 4, 5, 6, 7. — [11] *om*. 4, 6, 7.— [12] (etiam-multa) Post hæc cœpit cum multo fletu et multa 4. Post hæc cœpit vir Domini magno cum fletu et cum multa 5, 6, 7. — [13] denuntiat 2. denuntiare 4, 5, 6, 7. — [14] (non cel.) adhuc hoc cel. non 2. vobis cel. non 4. hoc vobis cel. non 5, 6. hoc vos cel. non 7. — [15] enim die 3. denique die 5, 6, 7. — [16] *om*. 3, 4. — [17] f. m. u. 2. — [18] amplius me 2, 5, 6, 7. — [19] i. h. u. me 4. i h. u. vivum 2, 5, 6, 7. — [20] *om*. 4. — [21] (iturus-sepulchrum) fui ad sacrum sep. 2. it. s. v. universæ carnis. Fui enim a. s. 4. it. s. v. totius terræ et in hunc locum nunquam reversurus. Jam enim fui ad sacrum sep. 5, 6. initurus sum viam totius terræ et in hoc loco nunquam reversurus. Jam enim fui ad sacrum sep. 7. — [22] sancti principis 7. — [23] (ap.) principis apostolorum 4, 5, 6. apostolorum 7. — [24] ab eo 2. — [25] (bon. sua) *om*. 4. bonitatis suæ causa 5, 6, 7. — [26] *om*. 7. — [27] (ad D.) *om*. 4. et Dominum 2, 5, 6. ad Dominum 7. — [28] (prec. præm.) prec. missa 2. prec. admissa 4. prec. emissa 6. precaretur et 5. — [29] *om*. 2, 4, 5, 6, 7. — [30] (a Deo-itaque) ad Deum imp. meruissemus. Qui jej. 2. ad Dominum impetraret. Et dum jej. 4. ad Deum imp. possem jej. 5. a Domino meruissem imp. jej. 6, 7. — [31] et flendo *om*. 6. — [32] urbem Rom. 2. sanctorum corpora 4, 5, 6, 7. — [33] circuirem 4. — [34] *om* 4. — [35] meis orando 2. *om*. 4, 5, 6, 7. — [36] (atque ad) ad 2. ante sepulchrum 4, 5, 6, 7. — [37] jacens 4. *om*. 5, 6, 7. — [38] (diutius-promerui) diu incumbendo in or. m. responsum hoc aud. merui, et dixit 2. d. in o. m. orans h. r. a. p. 3. audire promerui 4. audire talia merui 5. audire merui et dixit mihi 6, 7. — [39] *om*. 2, 4, 5, 6, 7. — [40] inq. sanctissime vir 4, 5. inq. sanctissime vir quia 2, 6, 7. — [41] Deum 2, 4, 5, 6. — [42] diffinitum 2. jam diffinitum 5, 6, 7.

et in manus Hunorum tradenda hostili exercitu vastetur[1], *et universæ civitates Europæ et castella igni cremanda exurantur*[2]: *cuncta quoque*[3] *sanctuaria erunt combusta*[4], *excepto altari sancti Stephani urbis Mettensium, ubi sanguis ejus pollet*[5]. *Ideo*[6] *non possum impetrare a Domino*[7] *ut ista vobis concedantur*[8]. *Sed tu, frater*[9] *Servati, audi consilium meum*[10]. *Velociter*[11] *perge ad domum tuam et ad populum tuum, et jube parari*[12] *sepulturam tuam et*[13] *quære tibi*[14] *pura et munda*[15] *linteamina ad tegendum corpusculum tuum: cito enim*[16] *migrabis a corpore cum parvo*[17] *dolore, et oculi tui non videbunt mala quæ facturi sunt*[18] *Huni in Gallia, sicut locutus est Dominus Deus noster ad me. Ideo, fratres*[19], *tam cito egressus ab urbe Roma*[20] *festinanter ad vos veni*[21], *ut nuntiarem*[22] *omnia ista*[23] *quæ ventura sunt in Galliis*[24]. *Ob*[25] *hoc notum vobis facio quia*[26] *si vivus in carne ista*[27] *precando*[28] *pro vobis*[29] *obtinere non potui, credo quod*[30] *jam defunctus pro*[31] *animabus vestris exorabo*[32] *Altissimum, qui me animarum vestrarum pastorem esse constituit*[33]; *et quia me monente ejus mandata implevistis*[34], *requiem sempiternam*[35] *vobis impetrare promerear*[36].

6. Deinde secutus[37] adjunxit: *Has*[38] *oves, Domine, quas redemisti et mihi in manus tradidisti*[39], *et me hodie in manus tuas*

[1] vastabitur 2. — [2] exurentur 2. sunt 4. *om.* 5, 6, 7. — [3] (c. q.) et cuncta 2, 4, 5, 6, 7. — [4] (e. c.) comburentur 4. — [5] pullulat 2, 4, 5, 6, 7. — [6] Adeo 4. Et ideo 5, 6, 7. — [7] (possum-Domino) possumus rogare Dominum 2, 4, 5, 6, 7. — [8] (vob. conc.) nobis orando concedat 2, 4, 5, 6, 7. — [9] (tu fr.) tu vir sanctissime et beatissime 2. tu vir sanctissime et beate 4, 5. et beate 6, 7. — [10] m. c. 4, 6, 7. — [11] et velociter 2, 4, 5, 6, 7. — [12] parare 7. — [13] et *cum reliquis usque ad* noster ad me *om.* 4. — [14] *om.* 5. — [15] et munda *om.* 5, 6, 7. — [16] (c. e.) et cito 2, 5, 6, 7. — [17] pauca 2, 5. pauco 6, 7. — [18] s. f. 2, 6, 7. — [19] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [20] ab u. R. e. 4, 6, 7. — [21] (f. a. v. v.) et tunc ad vos festinanter adveni 2. festinanter adveni 4. et nunc cito ab urbe Roma egressus festinanter adveni 5. adveni 6, 7. — [22] nuntiem 4. — [23] *om.* 5. — [24] Gallia 2, 5, 6, 7. Galliam 4. — [25] Et ob 4, 5, 6, 7. — [26] quod 4, 5, 6. *om.* 2. — [27] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [28] prædicando 3. — [29] vob. ista 2, 4, 5, 6, 7. — [30] quia 7. — [31] *om.* 4. in spiritu pro, 2, 5, 6, 7. — [32] apud 2, 4, 5. intercedam apud 6, 7. — [33] (qui me-constituit) qui me ad regendum animas vestras pastorem instituit 2. q. m. a. v. p. e. instituit 3. *om.* 4. qui me ad regendas animas vestras pastorem esse instituit interveniam 5. qui me ad regendum animas vestras pastorem esse instituit 6. qui me ad regendum animas vestras pastorem animarum vestrarum esse instituit 7. — [34] (quia-implevistis) qui me moriente ej. m. complevit 2. *om.* 4. his qui me moriente ej. m. complevit 5. illi qui me m. ej. m. complevit 6, 7. — [35] æternam 7. — [36] (vol. imp. prom.) possidendo promitto 2. promitto 4, 5. possidendam promitto 6, 7. — [37] simul 2. *om.* 4, 5. — [38] Et has 2, 5, 6, 7. — [39] (mihi-tradidisti) mihi manu propria credidisti 2. i. man. m. t. 4, 6, 7. in manus mihi te credidisti 5.

commendo [1] *deprecorque* [2] *te, alte* [3] *judex* [4], *humili et flebili prece* [5] *: exaudi me ad te clamantem* [6], *ut* [7] *gregem tuum lupi rapido* [8] *ore non* [9] *dilanient* [10], *deglutientes* [11] *carnes eorum; tu, Domine Jesu, qui animam tuam pro ovibus tuis* [12] *posuisti, animas* [13] *ovium mearum* [14] *ab ore leonis eripias, ut possim de eis ad te* [15] *portare manipulos, ut* [16] *sint mecum in ovili sancto tuo* [17] *gaudentes, sicut promisisti, dicens* [18] *: Ubi sum ego* [19], *illic* [20] *et minister meus erit* [21].

7. Et [22] his dictis, mox irrugiit [23] magnus clamor et [24] luctus a [25] turba, excrevitque [26] gemitus magnus [27] in viris [28] et ploratus multus in feminis [29], et omnes vociferabantur [30] in planctu [31]. At [32] vir Dei [33] sanctissimus [34] Servatius [35] exiit ab urbe Tungrensi [36] extra [37] portam civitatis progressus ad orientalem plagam [38] pedes, pergensque per [39] viam quæ respicit ad oppidum [40] Trajectensium [41]. At illi [42] cum ejulatu magno [43] et fletu [44] prosequentes eum [45] foras extra [46] civitatem [47], nimis [48] dolentes [49] supplicabant [50] humili voce, dicentes [51] : *Ne derelinquas nos, pater sancte, ne obliviscaris nostri* [52], *pastor bone. Nos enim* [53] *populus tuus et oves gregis tui : ne nos dimittas in faucibus* [54] *lupi*. Multi vero monachi [55] exeuntes de monasterio [56]

[1] (et me-commendo) et me et has hod. i. m. t. reddo eas et mihi commendo 2. in manus tuas reddo et commendo 4. et me et has hodie i. m. t. reddo et tibi commendo 5. et me et has oves tuas hodie i. m. t. reddo et tibi me et ipsas commendo 6,7. — [2] sed deprecor 2,4,6,7. sed precor 5. — [3] alme 2. altissime 4,5,6,7.— [4] *om.* 4. — [5] h. e. f. p. *om.* 4. — [6] voce clam. 2. — [7] ut si 2, 4, 5, 6, 7. — [8] rabido 4, 7. — [9] *om. alii cod. omnes.* — [10] dilaniant 2,3 (*corr.* dilaniantes), 5,6,7. dilaniaverint 4. — [11] glutientes 2,3,5,6,7. deglutientes *cum reliquis usque ad* posuisti *om.* 4. — [12] *om.* 2. — [13] te oramus ut an. 2. te oro ut an. 5, 6, 7. — [14] (o. m.) earum 2. eorum 4. eorum, hoc est ovium mearum 6,7. — [15] (ad te) tecum 2,4,6,7. tibi 5. — [16] et 4. — [17] tuo sancto 5. — [18] ut 2,5,7. et 6. *om.* 4. — [19] ego sum 2. — [20] ibi 2,4,5, 6,7. — [21] er. mecum 6,7. — [22] Et jam 2. *om.* 5. — [23] irruit 2,4,5,6, 7. irriguit 3. — [24] et *cum reliquis usque ad* viros *om.* 4. — [25] in 2,5,6,7. — [26] et exercuit 2. et excrevit 5,6,7. — [27] valde et nimis 2. nimius 5. nimius valde 6,7. — [28] viros 2,5,6,7. — [29] in fem. *om.* 4. — [30] vociferantes 2. vociferabant 3,6,7. — [31] planctum 2. — [32] At ille 3. — [33] Domini 4, 5. — [34] *om.* 4,6,7. — [35] *om.* 4. — [36] Tongros 2. Tungros 5. Tungris 4. — [37] extra *cum reliquis usque ad* plagam *om.* 4. — [38] partem 5,6,7. — [39] (pedes-per) ferens pedester pergens 2. pergens pedester per 4. pergens pedester ad 5. pergens pedester 6,7. — [40] populum 6, 7. — [41] Trejectensium 4. — [42] ille 2,5. — [43] et ululatu magno 2,4,6,7. — [44] lacrymis 2,4,5,6,7. — [45] (p. e.) omnisque populus persequens 2, 5. persequentes 4. omnisque populus prosequentes 6,7. — [46] *om.* 2,4,5,6,7. — [47] civitate 2,5. — [48] et post eum clamosa voce nimis 2, 5. post eum et clamosa voce nimis 6, 7. *om.* 4. — [49] dolentis 2, 5. *om.* 4. — [50] supplicat 5.— [51] dicens 5. — [52] nos 2,4,6,7. — [53] (Nos enim) nos autem 2. nos sumus 4. quia nos sumus 5, 6, 7. — [54] fauce 2, 7. fauces 6. — [55] (M. v. m.) Monachi vero et puellæ 2. Alii (At 4) vero monachi et puellæ 4, 5, 6, 7. — [56] monasteriis 4, 5, 6, 7.

et percutientes pectora sua [1], sequentes eum [2] et osculantes vestigia ejus [3], clamabant dicentes : *Cur tam cito nos deseris* [4], *vel quo vadis nunc* [5] *? Educ nos tecum. Ecce de adventu tuo eramus lætantes* [6], *quod ad nos reversus es de tam longinqua* [7] *peregrinatione, et jam sperabamus quod apud nos esse dignareris, et nunc* [8] *nec saltem* [9] *tres dies* [10] *sustines* [11] *manere* [12] *nobiscum. Dic nobis miseris quid facturi sumus* [13], *quid futurum sit* [14] *de nobis, qui sine te vivere non possumus, sed* [15] *pessimæ morti* [16] *traditi* [17] *sumus. Te* [18] *obsecramus vel* [19] *uno mense vel* [20] *una hebdomada aut saltem* [21] *hac nocte nobiscum maneas* [22]. Cuncti autem [23] senes ac debiles [24], pauperes peregrini [25], stabant super murum [26], lugentes post eum et dicentes [27] : *Quis nobis daturus est victum ? Quis* [28] *nobis tribuet vestitum ? Nudi sumus, et orphani et viduæ, et* [29] *quis consolator noster* [30] *erit ?* Sed cum eum fletibus [31] revocare non possent [32], accepta benedictione quieverunt [33].

8. Hic [34] vero ad Trajectensem [35] urbem accedens, modica febre pulsatus [36] recessit a corpore, curatusque [37] a fidelibus [38] juxta ipsum aggerem publicum est sepultus.

9. Cujus [39] sancta anima choris angelorum conjuncta [40] sine [41] fine lætatur ; et [42] corpus quidem [43] honorifice in [44] sarcofago est [45] positum [46], spiritus [47] ætheream [48] cœli concessit [49] in

[1] *om* 2, 4, 5, 6. — [2] (s. e.) post eum sequentes 2, 5, 6, 7. post eum sequebantur 4. — [3] pedum illius 2, 4, 5, 6, 7. — [4] (n. d.) nos *om.* 2. deseris, pater 5. deseris nos, pater 4, 6, 7. — [5] *om.* 4. — [6] (Ecce-lætantes) Adventu tuo gaudentes 2. quia ad te nunc gaudentes venimus 4, 6, 7. quia ad te gaudentes venimus 5. — [7] longa 2, 4, 5, 6, 7. — [8] *om.* 4. — [9] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [10] tribus diebus 4. — [11] vis 2, 4, 5, 6, 7. — [12] esse 6, 7. — [13] simus 3, 5, 6. — [14] (f. s.) ergo erit 2, 4, 5, 6, 7. — [15] et 4. — [16] in pessima morte 2, 6, 7. in pessimam mortem 4, 5. — [17] tradendi 2, 4, 5, 6, 7. — [18] Te *cum reliquis usque ad* maneas *om.* 4. — [19] ut vel 3, 5, 6, 7. — [20] aut 2, 5, 6, 7. — [21] (a. s.) aut etiam 2. vel 5. etiam vel 6, 7. — [22] maneas nobiscum 5. mansisses 6, 7. — [23] (C. a.) At illi 2, 7. At 4. Et 5. Illi 6. — [24] (a. d.) et claudi seu et 2, 6, 7. et claudi seu 4, 5. — [25] et per. 2, 4, 5, 6, 7. — [26] (s. s. m.) supervenerunt flentes et 2. super murum flentes et 4, 5, 6, 7. — [27] (p. e. e d.) post eum dicentes 2. post eum dicebant 4, 5. ejulabant post eum dicentes 6, 7. — [28] vel quis 5. — [29] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [30] *om.* 2, 5. — [31] flentes 4. — [32] possunt 2, 5. — [33] cum osculis redierunt 2, 4, 5, 6, 7. — [34] Sanctus 2. Ipse 5. — [35] Trajectensium 2, 5. Trejectensium 4. — [36] puls. est et 2, 5. — [37] ablatusque 2, 5, 6, 7. allatusque 4. — [38] fratribus 5. — [39] Cujus *cum reliquis usque ad* in aula *om.* 4. — [40] est conj. 2. — [41] et sine 2. — [42] *om.* 2, 5, 6, 7. — [43] *om.* 2 autem 5, 6, 7. — [44] *om.* 2. — [45] *om.* 2. — [46] pos. est 5, 7. — [47] anima vero 6, 7. — [48] ætherea 2, 6, 7. — [49] recessit 3. conscendit 5.

aulam [1]. Lapide [2] marmoreo ejus teguntur membra [3]; ipse vero [4] cum justis resurget [5] in gloria [6]. Cujus et [7] sanctum corpus renovandum [8] est [9], ut [10] dignam stolam [11] in judicio recipiat. Iste [12] enim [13] sanctus Servatius a [14] verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat supra [15] petram. Ortus de generosa stirpe, pontificale [16] decus gessit [17] et extitit pastor ovium. Ex cujus ovili latrones non gaudebant [18] de spoliis [19], nunc miris eum [20] Domini gratia decoravit [21] donis. Deposito enim [22] corpore, spiritus ejus excelsa præmia recepit [23]. Vir magnus vitæ [24] meritis [25] summusque sacerdos [26], qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus.

10. Hoc [27] pausant membra clari doctoris in antro, quem Deus merito in ulnis sanctorum angelicis [28] suffragiis suffultum [29] ad aulam cœli perduxit, ut in æternum [30] cum Christo regnans beata sorte [31] perpetuo fruatur gaudio. Hic, ut credimus, dante Deo [32] in ætheris arce [33] protinus intravit in domum omnipotentis, cunctorumque bonorum sine fine fruitur [34]. Vivax custos ecclesiæ, amator pietatis, angelico vultu splendebat fulgidus [35]; auctor nobilis virtutum lumine [36] clarus; vir venerandus [37], toto etiam [38] corpore pulcher secundum apostoli [39] dictum; sobrius et castus verbum Dei in multos [40] fundebat; relictis ergo terris culmina cœli ascendit [41]. Cujus beatum corpus post multorum spatia [42] temporum [43] translatum fuisse [44] Deo revelante, in [45] libro miraculorum ejus [46] scripsimus.

[1] aula 2, 6, 7.—[2] de lap. 2, 4, 5, 6, 7.—[3] (e. t. m.) membra teguntur 2. membra conteguntur 4, 5, 6. membra contegunt 7. — [4] (i. v.) et 2, 5, 6, 7. ipse *cum reliquis usque ad* gloria *om.* 4. — [5] surget 2, 5, 6, 7. — [6] sine fine in gl. 2. in gl. sine fine 5, 6, 7. — [7] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [8] et ren. 2, 6, 7. — [9] (est-recipiat) cum justis surget in gloria 4. — [10] *om.* 7. — [11] binas stolas 2. dignas stolas 5, 6, 7. — [12] Iste *cum reliquis usque ad* cœli ascendit *om.* 4. Ipse 5. — [13] *om.* 2, 5, 6, 7. — [14] *om.* 2. — [15] supra firmam 3. super 5. — [16] pontificali 2, 5, 7. — [17] d. g. p. 5. — [18] sunt gavisi 2. gaudebunt 6, 7. — [19] spolia 2. — [20] *om.* 2, 6, 7. illum 5. — [21] decoratur 2. — [22] *om.* 2, 5, 6, 7. — [23] suscepit 7. — [24] *om.* 2, 5, 6, 7. — [25] *om.* 5, 6, 7. — [26] sac. extitit 6, 7. — [27] Hic 2, 5, 6, 7. — [28] (merito-angelicis) pro meritis sanctorum angelorum 2. — [29] suffultus 7. — [30] æterno 1, 2. — [31] beatæ sortis 5, 6, 7. — [32] (Hic-Deo) qui, ut credo, Deo dante 2, 5. æternamque, ut credo, Deo dante 6, 7. — [33] arcem 6, 7. — [34] (s. f. f.) feliciter sine fine perfruitur 3. — [35] fulgidus *cum reliquis usque ad* clarus *om.* 5. — [36] in lumine 6, 7. — [37] ven. vir 7. — [38] jam 2, 5, 6, 7. — [39] apostolicum 5. — [40] (i. m.) multo studio 2. multum studio 5. multum 6, 7. — [41] (relictis-ascendit) rel. terrenis a culmina cœli ascendens 2. rel. terris conscendit culmina cœli 5. rel. terris et culmina cœli ascendens 6, 7. — [42] *om.* 2. — [43] t. s. 4, 5, 6, 7. — [44] fuit 2, 6, 7. est 4. fuit quod 5. — [45] sicut in 4. — [46] *om.* 2, 5, 6, 7.

11. Igitur Huni [1] post transitum sancti Servatii episcopi [2] vastaverunt [3] civitatem Tungrensem [4], reversique inde egressi [5] sunt ad [6] urbem Metensem in sancta vigilia paschæ, tradentes [7] omnem urbem [8] Metensem [9] incendio, et [10] ipsos sacerdotes Dei [11] ante sancta altaria trucidabant gladio, et non remansit ullus locus inustus nisi tantum oratorium [12] sancti Stephani primi martyris et levitæ [13]. De ipso [14] oratorio quæ [15] audivi ab his qui viderunt [16], non taceo [17]. Dixerunt [18] enim, antequam hostis de urbe Tungrensi ad [19] Mettensem civitatem [20] pervenisset, vidisse [21] virum fidelem quasi cum sanctis apostolis loquentem Petro et Paulo [22], dicentemque ad illos: *Oro, Domini mei, ut non permittatis urbem* [23] *Mettensem ab inimicis Dei exuri, quia locus est* [24] *in civitate ista clemens* [25] *parvis pigneribus dicatus* [26], *ut certe cognoscat* [27] *populus iste aliquid me cum* [28] *Deo posse impetrare. Sed tamen si tale pondus est de peccatis populi quod non possit* [29] *nisi civitas ista* [30] *exuri* [31], *deprecor vos ut hoc oratorium ab* [32] *incendio liberetur.* Cui illi dixerunt : *Dilectissime frater, vade in pace. De ista civitate* [33] *non possumus apud* [34] *Deum obtinere* [35], *quia judicium Dei est* [36] *super eam* [37]. *Jam enim præcessit* [38] *sententia Dei de civitate ista* [39]; *invaluit enim peccatum populi* [40], *et clamor malitiæ* [41] *ascendit* [42] *coram Deo. Ideo* [43] *civitas ista incendio tradetur* [44], *sed certe* [45] *oratorium tuum salvum permanebit* [46]. Unde sine dubio per auxilium sancti Petri oratorium sancti Stephani illæsum permansit. Sed de istis [47] satis est [48]. Ad ante dicta [49] redeamus.

12. Beatissimus [50] igitur Servatius bonæ memoriæ episcopus cum [51] summo honore [52] sepultus juxta pontem [53] aggeris pu-

[1] *om.* 2. — [2] (s. S. e.) ejus 4. — [3] vast. Huni 2. — [4] Tungrensium 2. — [5] ingressi 4. — [6] *om.* 4. — [7] tradentesque 4, 5, 6, 7. — [8] civitatem 2. — [9] *om.* 2, 4, 5. — [10] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [11] D. s. 4, 5, 6, 7. — [12] *om.* 2, 4, 5. — [13] et lev. *om.* 4. — [14] ipso autem 5, 6, 7. — [15] quod 2, 4, 5, 6, 7. — [16] (a. h. q. v.) *om.* 2. — [17] celabo 2, 5. — [18] Dicunt 4. Dicebant 5. — [19] *om.* 2, 5. — [20] *om.* 3. — [21] vidisse se 2, 4, 5, 6, 7. — [22] P. et P. loq. 5. — [23] vestro auxilio urb. 2, 4, 5, 6, 7. — [24] est consecratus 2. — [25] de meis 2, 4, 5, 6, 7. — [26] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [27] agnoscat 3. cognoscant 6. — [28] a 5. — [29] p. placari 4. p. deleri 5. p. alleviari 6. p. expiari 7. — [30] *om.* 7. — [31] exuratur 4, 5, 6, 7. — [32] de 2, 4, 5, 6, 7. — [33] c. i. 2, 4, 5, 6, 7. — [34] *om.* 2. — [35] impetrare 2. — [36] e. D. 1. — [37] s. e. *om.* 4. — [38] processit 3, 5. — [39] Jam-ista *om.* 4, 6, 7. — [40] *om.* 7. — [41] mal. eorum 2, 4, 5, 6, 7. — [42] *om.* 6, 7. — [43] Ideoque 5. — [44] traditur 6. — [45] *om.* 2. et 5. — [46] permanet 5, 6, 7. — [47] his 4. — [48] est dictum 4, 5, 6, 7. — [49] (A. a. d.) Nunc ad superiora 6, 7. — [50] Beatus 4, 5, 6, 7. — [51] sicut prædiximus, in hac urbe Trajectense (Trajectensi 6, 7) cum 2, 5, 6, 7. ut prædiximus, in urbe Trajectensi 4. — [52] est honore 4. honore est 5. — [53] ipsum p. 2, 4, 5, 6, 7.

blici. Circa cujus sepulcrum quamlibet [1] nix defluxisset, numquam tamen marmor quod super erat positum corpus sancti Servatii episcopi [2] ulla tempestas humectabat. Et cum loca [3] illa nimii frigoris gelu detinerentur [4], sicut legitur [5], glacies et nix quamvis [6] in trium et [7] quatuor pedum crassitudine [8] terram operiret [9], sepulcrum tamen [10] episcopi [11] nullatenus tetigit [12].

13. Possumus [13] enim [14] certe [15] intelligi [16] hunc virum esse [17] israhelitam in quo dolus non fuit, cujus oculi regem in decore [18] videbunt. Nam illos [19] inter muros aquæ [20] non sunt [21] perniciei [22] sed salutis [23], et circa hujus sancti tumulum nix cadens de [24] cœlo non est causa humoris sed salutis, quia magnus honor apparet super tumulum ejus [25]. Et, quod dictu [26] mirabile est, videas [27] in circuitu montes niveos elevari [28], sed tamen non possunt attingere [29] ad terminum sancti sepulchri [30]. Et [31] non miramur [32], fratres carissimi [33], si terra nive operiatur [34], sed hoc multum est mirabile [35], quod attingere non ausa [36] est ad [37] sepulchrum sancti summique [38] pontificis. Nam [39] plerorumque [40] ob devotionem [41] et studium [42] fidelium fratrum super sanctum pontificem [43] oratorium construebatur [44] de lignis levigatis, tabulisque pictis [45]; sed citius aut rapiebantur a [46] vento aut sponte ruebant ad [47] terram. Et ut [48] certe [49] fieri ista credo [50] quia digna tecta non fuerant ista [51] ad memoriam

[1] om. 1, 3. — [2] (super-episcopi) super corpus sanctum positum erat 4. Super corpus sancti Servatii erat positum 5. erat positum super s. S. e. 7. — [3] *om.* 1, 3, 4, 7. — [4] detinentur 2, 4, 5, 6, 7. — [5] (s. l.) et cum legatur quod 2. tamen 4, 5, 6, 7. — [6] usque 2, 5, 6, 7. quæ 4. — [7] aut 4, 5, 6, 7. — [8] crassitudinem 5, 6, 7. — [9] operiat 2. operit 4. operit et 5, 6, 7. — [10] sancti Servatii 2, 6, 7. sancti 4. sancti viri Servatii 5. — [11] *om.* 4, 6, 7. — [12] attingit 2, 4, 5, 6, 7. — [13] Possumus *cum reliquis usque ad* tumulum ejus *om.* 4. — [14] *om.* 5. — [15] *om.* 2. — [16] intelligere 6, 7. — [17] (v. e.) e. v. 2, 6, 7. esse verum 5. — [18] j. d. r. 7. — [19] illos-et circa *om.* 5. illi 2. illis 6, 7. — [20] aquarum aquæ 6, 7. — [21] possunt esse 6, 7. — [22] pernicies 7. — [23] causa sal. 7. — [24] e 5. — [25] *om.* 6. — [26] ut dictu 3. — [27] videasque 3, 6, 7. — [28] (m. n. e.) montis nimbum e. 2. montes el. niveos 4, 5, 6, 7. — [29] *om.* 2, 5, 6. — [30] sep. attingere 2. 5, 6. — [31] Et *cum reliquis usque ad* pontificis *om.* 4. — [32] miremur 6, 7. — [33] dilectissimi 2, 5. — [34] operitur 5. 6, 7. — [35] m. e. 2. — [36] a. n. 2, 5, 6, 7. — [37] *om.* 6, 7. — [38] (s. s.) summi ?, sancti 2. summi 5. summi sanctique 6, 7. — [39] *om.* 4. — [40] plerumque 2, 3. sæpe 4, 5, 6, 7. — [41] (o. d.) devotione 2 7. devotio 4, 5, 6. — [42] studio 2, 7. — [43] (s. p.) sancti pontificis 2. sancti pontificis corpus 4, 5, 6, 7. — [44] construebat 4, 5, 6. — [45] pictis impositis 2, 5, 6, 7. pictis et compositis 4. — [46] *om.* 4, 5. — [47] in 2. — [48] *om.* 2, 4, 5, 6, 7. — [49] certe ideo 4, 6, 7. ideo 5. — [50] c. i. f. 2, 4, 5, 6, 7. — [51] ista non erant 2. non fuerunt ista 4, 5, 6, 7.

sancti Servatii [1], donec veniret [2] missus a Deo qui dignam fabricam in honore antistitis gloriosi [3] erexisset [4].

14. Procedente vero [5] tempore adveniens in hac urbe [6] sanctus Monulfus [7] episcopus templum magnum in ejus construxit honore composuitque [8] et ornavit : in quo [9] nunc sanctum corpus cum summo studio et magna veneratione [10] translatum est. Ibi nunc magnis virtutibus pollet; Christus ibi [11] conditor [12] per se suosque multa signa [13] facit, et [14] mirabilia [15] suæ majestatis [16]. Ecce ex urbibus [17] peregrini et pauperes concurrunt [18], pia mente precantes a sancto pontifice sanitatem. Peracta [19] celebratione missarumque solemniis [20] omnes gaudentes redeunt in sua [21] sani, gratiarum actiones Deo dantes [22] qui [23] talem meruerunt patronum habere apud Deum. Iste [24] certe in medio ecclesiæ aperuit os suum [25] et [26] implevit illud [27] Dominus spiritu sapientiæ et intellectus, stolam [28] gloriæ induit eum. Jucunditatem et exultationem thesaurisavit [29] super eum [30] et nomine æterno honorificavit [31] illum. Iste certe meruit vocem Domini audire dicentem [32] : *Serve bone et fidelis, quia super* [33] *pauca* [34] *fuisti fidelis* [35], *supra multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui, quia* [36] *ministrasti* [37] *in tempore tritici mensuram.*

15. Isti [38] post victum [39] mundum triumphatumque seculum [40] nunc demum reddita est corona justitiæ, et inde [41] possumus nos habere magnum gaudium [42] quod digni sumus

[1] *om.* 4. — [2] venit 4. — [3] (a. g.) ejusdem 4. g. a. 5. — [4] erexit 4, 5, 6, 7. — [5] namque 4. — [6] hanc urbem 2, 4. — [7] Munulfus 2, 4, 5, 6. 7. — [8] composuit 4, 6. composuitque-ornavit *om.* 5. — [9] quod 4, 6, 7. — [10] (nunc-veneratione) cum multo studio et summa veneratione sanctum corpus 2,4,5,6, 7.— [11] i. C. 2,4. — [12] cond. noster 2. cond. Deus 5. *om.* 4. — [13] s. m. 2, 4, 6, 7. signa *om.* 5. — [14] *om.* 5, 6,7. — [15] miracula 2, 4, 5, 6, 7. — [16] m. s. 2, 5, 6, 7. m. s. qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. *Reliqua desunt* 4. — [17] urb. in civitates 2, 6, 7. urb. ad hanc civitatem 5. — [18] per catervas conc. 2, 5, 6, 7. — [19] Peracta autem 5, 6, 7. — [20] (c. m. s.) c. m. solemnitate 2, 6, 7. solemnitate missarumque celebratione 5.— [21] i. r. s. 7. — [22] donantes 2, 7. persolventes 5. — [23] quia 2, 5. quod 6. — [24] Isti 2. — [25] ejus 2. — [26] et-sapientiæ *om.* 5. — [27] illum 2, 6. — [28] stola 5, 6. — [29] thesaurisabit 3. — [30] illum 2.— [31] hæreditabit 5, 6. hæreditavit 7. — [32] (vocem-dicentem) v. D. sui a. d. 2. a. v. D. Dei sui 5. a. v. D. sui 6, 7.— [33] in 2, 5, 6, 7.— [34] pauco 6. — [35] fid. fuisti 6.— [36] quia bene 2, 5, 6, 7.— [37] militasti 3.— [38] Iste beato Servatio 2. Huic igitur beato Servatio 5. Isti autem beato Servatio 6. Iste autem beatus Servatius cui 7. — [39] *om.* 1, 2. devictum 5, 6, 7. — [40] (mundum-seculum) mundum triumphatum 2. triumphatumque mundum 5. — [41] de hoc 2. — [42] m. h. g. 2. m. g. h. 5, 6.

talem habere [1] patronum, qui consertus [2] est apostolis et prophetis [3] et, sicut [4] nos credimus [5], omnium sanctorum [6] paci [7] in illo grege justorum [8] et [9] junctus [10] est illis qui stolas suas laverunt in sanguine agni [11] ab omni labe ac integer agnum ducem comitatur [12]. Quia si in [13] tempore transitus ejus [14] per martyrium [15] non migravit [16] de mundo, gloria tamen martyrii [17] non carebit [18]. Sed nobis, fratres carissimi [19], magna [20] spes inde [21], quod nostra fragilitas obtinere non potest, saltem pro nobis illo intercedente [22], mereamur [23] partem [24] aliquam cum electis Dei [25] habere, et videre claritatem illius gloriæ [26] veri [27] Dei et Salvatoris nostri [28], qui regnat cum Patre in æthereo regno princeps in principe sine fine. Amen [29].

Explicit de sancto Servatio [30].

III. SERMO DE SANCTO SERVATIO

AUCTORE RADBODO EPISCOPO ULTRAJECTENSI.

Adhibiti sunt codices : 1. Namurcensis, quo jam usi sumus in edendo *Gesta Antiquiora*, et 2. Bruxellensis, n. 9289 olim S. Laurentii Leodiensis, membraneus (0m,382 × 0,285), descriptus seculo XII. — Facile autem constat quæcumque in hoc sermone leguntur de S. Servatio, desumpta esse ex *Vita Antiquissima*.

Sermo Radbodi sanctæ Trajectensis ecclesiæ famuli de gemina felicitate confessoris et episcopi Christi Servatii.

1. Vir pretiosus et Deo dignus Servatius, Tungrensis ecclesiæ pontifex, merito præcipuis cunctorum laudibus fidelium

[1] h. t. 7. — [2] conjunctus 2. consors 5, 6, 7. — [3] angelis et prophetis et apostolis 5, 6, 7. — [4] quod 2, 5, 6, 7. — [5] credidimus 7. — [6] omnibus sanctis 5. omni sanctorum 7. — [7] pace 6, 7. — [8] sanctorum 7. — [9] *om.* 7. — [10] adjunctus 7. — [11] *om.* 2. — [12] (ab-comitatur) *om.* 5. a. o. l. agno duce comitatus 2. et a. o. l. integer agno duce comitatur 6. et a. o. l. integri agno duce comitantur. — [13] (Quia si in) Quia etsi 2. Nam (Sed 6, 7.) licet ipse 5, 6, 7. — [14] sui 5, 6, 7. — [15] martyrii palmam 5, 6, 7. — [16] migraverit 5, 6, 7. — [17] t. m. g. 5. t. g. m. 6, 7. — [18] defuit 2. — [19] dilectissimi fr. 5. — [20] est magna 5. — [21] exinde 2. est inde 3, 6, 7. — [22] (pro-intercedente) p. n. int. beatissimo antistite Servatio 2. int. p. n. beato antistite Servatio 5. p. n. int. beato antistite Servatio 6, 7. — [23] mereatur Deo donante 2, 6, 7. mereamur Deo donante 5. — [24] pacem 6, 7. — [25] *om.* 7. — [26] g. i. 2, 6, 7. — [27] vere 5. — [28] *om.* 2. nostri Jesu Christi 5, 6, 7. — [29] (qui-Amen) *om.* 5. qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum Amen 2. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat nunc et semper et per infinita secula seculorum. Amen 6, 7. — [30] (Explicit-Servatio) *om.* 2, 3, 7. Finita est vita sancti Servatii episcopi 5 Explicit vita sancti Servatii episcopi et confessoris 6.

honoratur, quoniam quidem ipse a Domino et a sanctis angelis ejus in omnibus [1] honoratus esse cognoscitur. Etenim quis illum revera honore dignum non duxerit, quem Dominus noster Jesus Christus sua ineffabili benedictione sanctificavit? Aut quis ei spontaneum non dependet obsequium, quem choris angelorum non dubitat [2] aggregatum? Quisquis ergo vere christianum te appellari desideras, oportet ut christiani nominis doctorem et propagatorem sincero affectu diligas, eumque devotissime venereris, quem pro delictis tuis apud Deum intercedere posse non ambigis. Quod si hoc tibi animo sedet, habes profecto in isto Christi sacerdote quod quæris. Iste etenim quod ad regulam nostræ religionis pertinet, et fecit et docuit. Ideoque cum omnium ore laudandus sit, tum præcipue nostro quos ipse sacris institutionibus erudivit et pro quibus Christum continuata prece deposcit. Quocirca nos, fratres carissimi, ad laudes tam pii patris, tam egregii pastoris, tam gloriosi præsulis spirituali calore pectora nostra accendamus, quos ipse, dum esset in mundo, specialiter sibi delegatos, exemplorum splendidissimis quibus illum sequamur flammis accendit, quosque nunc in cœlo validissimis intercessionum suarum armis protegit, et ne ignitis diaboli telis usquequaque vulneremur, scuto fidei et lorica justitiæ galeaque salutis absque intermissione orando defendit.

2. Verum si per singula immorari cœperimus quæ aut vivens ac si angelus inter homines gessit, atque post dormitionem ejus, sive in loco ubi venerabile corpus ipsius conditorium habet, sive in multis aliis, ubi tantum memoria ejus agitur, mirabilia facta audivimus, immensitas est nobis extendenda voluminis, et fortasse minus proficiemus fastidiosis, dum studiosorum benivolentiæ satisfacere nimiæ lectionis copia voluerimus. Unde quia brevitas plerisque videtur utilior, dum tamen ædificatione non careat quod succincte narratur [3], nos omissis

[1] in omn. *om.* 2. — [2] non dub. *supra lin.* 1. — [3] (Verum-narratur) Ovium enim suarum non immemor, quas pavit spiritualis doctrinæ pabulo, nunc suffragiis tuetur et beneficiis prosequitur, et cum Domino continuam usque ad consummationem seculi suæ præsentiæ custodiam discipulis pollicente, nobiscum etsi præsens exanimi corpore jugiter præsentior commoratur opitulatione. Quidquid enim vitiosum antiquus hostis nobis seducendo immurmurat, quo nos fascinet ne

plurimis quæ in regestis [1] nostris continentur, duo tantum illius memoratu dignissima prosequamur, quibus vel maxime quanti ei fuerit sanctitas, quantaque ei successerit felicitas commendatur. Dicimus autem de visione admirabili, qua Galliarum plagas prænoscere meruit, et de sacrosancto ejus transitu [2] in quo de terris ad cœlos ascendit : quorum alterum demonstrat ejus conversationem [3] fuisse angelicam, alterum perspicue facit intelligi jam exinde eum pretiosam in conspectu Domini possidere coronam.

3. Hæc autem, sicut relatu fidelium comperimus et ex libelli cujusdam lectione didicimus, ita gesta sunt. Cum beatus Servatius curam sibi commissi gregis apud Tungrensem ecclesiam sollicitus ageret, filiisque suis, ne tempestatibus mundi opprimerentur, tamquam pius pater portum salutis vigilantissime provideret per continuas orationum victimas et profusissimos lacrimarum imbres, a Spiritu Sancto mysteria prædiscere meruit, quod scilicet Galliarum populis Dei vindicta proxima foret, qui in tantum scelus effluxerant ut ipsos [4] etiam cœlos videretur pulsare iniquitas quam patrarant. Qua revelatione vir Dei propter virium suarum detrimenta conterritus, quotidiana se abstinentia macerabat, si quo modo posset sibi subditas plebes ab imminenti liberare discrimine. Considerans autem magnis calamitatibus maximas preces esse opponendas, prudenti deliberavit consilio expetenda fore Romæ limina apostolorum, credens nihil illis impossibile fieri quos ligandi atque solvendi auctoritate noverat sublimatos. Cumque diu circa hanc intentionem pietatis tramite duceretur, compertum est ei ferocissimos Hunnos cum ingentibus copiis Galliarum fines velle irrumpere, atque ob invidiam christiani nominis omnia devastare. Hoc audito, clementissimus pastor gregi suo metuens, votum acceleravit, Romam adiit, sanctorum qui ibidem requiescunt et præcipue apostolorum Petri et Pauli patrocinia flagitavit, id semper orans, id semper exposcens [5], ut naviculam Tungrensis ecclesiæ a tanto Christus naufragio [6] tutam facere dignaretur.

proventu fœtuum exuberemus, ille suis meritis evacuat, et vitio de cordibus nostris excluso, virtutes sanctas inducit, non sufferens nos auxilii sui esse exsortes. De quo quidem 2. — [1] gestis 2. — [2] ejus transitu ejus 1. transitu ejus 2. — [3] conv. ej. 2. — [4] *om.* 2. — [5] (semper-exposcens) summopere exorans 2. — [6] n. C. 2.

4. Postquam vero multa se inedia afflixit, postquam se uberrimo lacrimarum fonte perfudit, apparuit ei [1] claviger cœlorum [2] Petrus [3], qui eum blando vultu ex nomine appellans: *Noli*, inquit, *frater mi Servati, noli pulsare januam, quam Deus omnipotens clausam esse ad tempus [4] voluit; noli pro his rogare pro quibus exaudiri non possis. Sententia ista in cœlo decreta est, consilium Domini manet in æternum [5]. Quod si ad præsens sola Gallia divino verbere flagellatur, orbis tamen universitatem id commeruisse ne [6] dubites. Veniet, veniet, mihi crede, tempus cum ex alia parte mundus eamdem sentiet iram. Nihil igitur nunc [7] apud Gallias remanebit intactum, excepto una [8] quæ in Metensium [9] urbe est basilica, cui id [10] protomartyr Stephanus ob sui corporis pignora quæ ibidem servantur [11], apud Christum Dominum Deum nostrum [12], quem pro se ad dexteram Patris stantem vidit, indeptus est [13]. Nec immerito : nempe is solus vel maxime ipsum in cruce pendentem imitatus, eadem pene voce pro persecutoribus suis exoravit. Et quis umquam justius tali honore dignus habitus est quam is qui hujus admirabilis patientiæ exemplum et primus post Christum exhibuit et primus ceteris dereliquit? Tu igitur, frater, æquo animo esto, quia tempus tuæ resolutionis instat. Quapropter his cognitis, opportuna tibi ratione suadeo [14], ut ad tuos quantocius revertaris; atque ubi omnia quæ ad pastoralem attinent curam, competenter fueris executus, ad locum sepulturæ tuæ cum alacritate properato, certissimus de corona quam repromisit Deus diligentibus se. Vale in Domino, mi dilectissime frater.*

5. Hanc itaque sermocinationem inter sanctos Dei homines fuisse, ipsa ratio persuadet. Ceterum temere quilibet præsumit arcana illa quæ mutuo contulerunt, ita ut ab eis [15] dicta sunt, se quoque [16] posse effari, cum nec Petrus ea alteri quam Servatio dixerit, nec Servatius ulli omnia publicare voluerit [17]. Sic et Paulus arcana [18], quæ in paradiso audierat, homini loqui illicitum esse testatur, eodemque modo Johannes secreta quæ in cœlo viderat, scribere prohibetur, ne videlicet mortalium fra-

[1] illi 2. — [2] (clav. c.) beatissimus 2. — [3] apostolus *add.* 2. — [4] a. t. e. 2. — [5] (m. in æt.) dissolvi non potest. 2. — [6] non 2. — [7] *om.* 2. — [8] (exc. una) excepta ea 2. — [9] Mettensi 2. — [10] *om.* 2. — [11] hujus turbinis jacturam evadere *add.* 2. — [12] Dom. D. n. *om.* 2. — [13] (ind. est) obtinuit. 2. — [14] consule 2. — [15] illis 2. — [16] s. q. *om.* 2. — [17] (publ. v.) publicaverit 2. — [18] *add. al. man.* verba 2.

gilitatem mysteriorum cœlestium opprimeret magnitudo, quoniam carnalis infirmitas admodum contabescit, cum ad eam quod supra carnem est cum vi suæ majestatis accesserit. Denique Moyses postquam sibi Dominum loquentem audivit, impeditioris et tardioris linguæ se esse professus est, et Hieremias nescire se loqui divinæ voci respondit. Unde liquido apparet sanctos viros ea tantum de revelatis sibi mysteriis palam facere, quæ norunt parvulorum infirmitatibus convenire. Sicut hunc patronum nostrum, virum spiritu Dei plenum, fecisse cognoscimus : qui cum diu multumque cum apostolo loquens, plurima ab eo peccatoribus ineffabilia accepisset, reversus ad propria, nihil ex his amplius publicavit nisi quod filiorum suorum saluti necessarium esse duxit.

6. Ad sedem igitur suam regressus, fratres illico convocavit, de visione quantum commodum erat aperuit, pœnitentiam omnibus agendam esse præmonuit, ne dies vindictæ, de qua superius diximus, dormitantes[1] et lascivientes inveniret. Post hæc populum omnem collegit, periculum imminens prænuntiavit, atque ut more Ninivitarum placare Dominum niterentur, hortatus est. Deinde non immemor apostolicæ admonitionis, benedicens valedicensque cunctis, ad locum in quo sepeliendus erat, cum alacritate perrexit. Sed ecce ad primum ejus egressum tota ei civitas Tungrorum obviam ruens, clamore miserabili camporum vasta complevit. Omnis ætas omnisque sexus agmine confuso incomparabili ejulatu proclamat se derelinqui, se pastore destitui, se luporum morsibus tradi. Viduæ quoque et orphani flentes et futuram miseriam veluti jam præsentem diro ululatu vaticinantes[2], currebant post illum, ita ut quasi venientes[3] ad Petrum, ostenderent ei tunicas quas fecerat illis Dorcas. Clericorum vero monachorumque non modica multitudo planctu eum spirituali prosecuta est, donec cum illo ad Trajectense oppidum pervenirent.

7. In quo cum sanctissimus pontifex plena divinis operibus munia populo exhiberet, conscius sibi quam bene cucurrerit, quam legitime certaverit, atque ideo securus de corona justitiæ, jam cœlos apertos intuens, jamque Dominum se vocantem

[1] dormientes 2. — [2] v.d. u. 2. — [3] v. q. 2.

videns, oves quas in hoc mundo pascendas susceperat, ipsi commendavit, dicens : *Domine Jesu Christe, pastor bone, certantium palma, vincentium corona, salus et vita omnium, tibi commendo oves quas tradidisti mihi, ut ipse eas defendas et ipse tuearis secundum beneplacitum tuum.* Et cum hæc dixisset, obdormivit in Domino, statimque sacratissimum ejus corpus humo opertum est, multis interea [1] missarum celebrationibus, multaque psalmodiæ modulatione completa, ad laudem et gloriam nominis Dei, cujus ineffabili clementia et bonitate in eodem loco quam plurima ob meritum servi sui præstantur [2] beneficia usque in hodiernum diem.

8. En, fratres carissimi, duas illas patroni nostri beatissimi Servatii felicitates, quæ superius breviter annotatæ sunt, plenius commemoratas audivimus. Nunc ad laudis ejus præconium tota nostræ mentis intentio dirigatur, totus animi nostri affectus assurgat, tota linguarum nostrarum sonoritas harmonia [3] cœlesti conjubilet. Quid enim nostræ infirmitati salubrius, quid nostræ anxietati jocundius, quid porro placabilius Christo inveniri potest, quam ut ipsum in sanctis ejus sine intermissione laudemus? Nam dum sacris ecclesiæ principibus debitum venerationis officium reddimus, procul dubio ipsi hoc facimus cujus eos capitis membra esse non dubitamus. Sed refert nosse quam plurimum qualem unicuique sub hoc capite membro liceat gratiarum habere mensuram : quid sit esse oculum, quid aurem, quid manum, quid pedem, quid postremo aliquod [4] tale quod magis necessarium quam videatur honestum. Porro autem [5] si quis hanc diversitatem recte perpenderit, dona Sancti Spiritus multiplicia esse pariter [6] considerabit. Alioquin frustra leget apostolum, si divisiones gratiarum per hujus corporis membra distributas, signato sibi libro nondum intellexerit.

ΑΠΟΣΤΡΟΦΑ.

9. Age ergo, prudens lector, inquire sapienter cujus in hoc corpore membri qualitatem beatum Servatium habuisse pro-

[1] interim 2. — [2] *cod.* præstantia. — [3] *corr.* harmoniæ 2. — [4] *corr.* aliquid 2. — [5] *om.* 2. — [6] *om.* 2.

nunties. Quod si dialecticus es, cave ne fallaris. Est enim tibi facienda connexio, quemadmodum si flos flori cohæreat, ne coronæ ambitus dissolvatur. Hoc autem idcirco dicimus, ne aut istum uni aut unum isti dumtaxat adscripseris. Nam si tantum dixeris oculum, ubi auditus? si tantum aurem, ubi odoratus et cetera? Redi ergo ad tuam fragilitatem, ne omnino amittas simplicitatem, et quod græce dicitur Knoti ce aytum [1], hoc est intellige te ipsum. Melius est enim te inertiam tuam confiteri, quam quod nescias ostentando [2] proferre. Sane quia alterum humilitatis, alterum est erroris, hoc prudentiæ, illud dementiæ. Quod si ita est, immo quia ita est, sociare nobis et fatere nobiscum omnia sanctum de quo loquimur habuisse [3] quæ Christo capiti adhærent membrorum officia, quippe quia per ipsum idem Christus bona operabatur [4] universa. Nam dum vir iste mitissimus ad preces pauperum devotissime aures inclinaret [5], nonne per eum Dominus audiebat? Dum vero necessitates singulorum diligenter inspiceret, nonne per eum Dominus videbat? Porro dum esurientibus cibum, sitientibus potum offerret, nonne per eum Christus suavissimas epulas degustabat? Nimirum ipse in judicio bonis bona, malis autem imputans mala, hoc testimonium confirmabit, cum istis satietatem, illis suam improperarit esuriem. Sed et de reliquis sensibus, nisi forte fallor, ita accipi potest. Denique per deliberantem quid melius, quid justius, quid magis necessarium esset, Dominus discernebat. Per [6] charitatis munia largiter exercentem, itemque per ecclesias ut doceret, ut corrigeret, ut in bonis subditos confirmaret, discurrentem, Dominus manum porrigebat, Dominus inter homines ambulabat.

10. Cetera quoque in eumdem sensum proficiunt. Etenim [7] honestis clara, inhonestis vilia si [8] compares, invenies continuo quod quærebas. Nam sicut eminentibus ecclesiæ columnis opportunum exhibebat [9] honorem, ita languidis quibusque ac debilibus, sauciis atque ulcerosis piam impendebat miserationem. Quæ quanto viliora apud homines, tanto pretiosiora

[1] *supra hæc verba forte alia manu* Knoti se auton; *item in cod. Brux.*, *sed pro* auton *in eo legitur* aiton. — [2] *prius* ostendendo, *corr.* ostentando 2. — [3] habere 2. — [4] operatur 2. — [5] (aures in.) inclinaretur 2. — [6] hæc *add.* 2. — [7] si *add.* 2. — [8] *om.* 2. — [9] *prius* exhibeat, *corr.* exhibebat 2.

sunt apud Deum. Cujus iste beatissimus præsul vestigia efficaciter sequens, aut omnino nulla, aut admodum pauca neglexit, quæ ad cultum christianæ religionis pertinere didicerat [1]. Itaque inter illa felicissima supernorum civium agmina jure nunc omnium sanctorum contubernio fruitur; utpote quos in hac peregrinatione usque adeo imitatus est ut nullius propositum, nullius virtutem deseruisse probetur. Quin immo istorum fide roboratus, illorum spe suffultus, utrorumque autem caritate plenus, postremo in omnium virtutum genere admirandus existens, sic peregit legitimum agonis sui cursum, quo nec ad superos deferret noxam, nec apud homines derelinqueret querelam, per Jesum Christum Dominum nostrum [2], qui vivit et regnat [3] per infinita secula seculorum. Amen.

[1] d. p. 2— [2] (J. C. D. n.) D. N. J. C. 2. — [3] Deus *add.* 2.

SANCTI ROPHILLI

EPISCOPI FOROPOPILIENSIS

MIRACULA POST MORTEM.

Acta S. Rophilli, Foropopiliensis seculo IV episcopi et deinceps præcipui patroni, cujus corpus usque ad seculum XIV in monasterio ipsius nomine ibidem dedicato religiosissime asservatum, destructa civitate anno 1360, dein anno 1364 Forum-Livii translatum fuit (1), ediderunt Ughelli (2) et Papebrochius (3). Documenti tamen quod nunc proferimus ex codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis 64, olim monasterii Scotorum Herbipoli, seculo XI descripti (4), nec ipsi nec alius quisquam, ut videtur, notitiam hactenus assecuti sunt. Quod quamvis inscriptum sit *Incipit Vita sancti Rophilli*, etc., nihil tamen de historia vitæ continet, sed solum miracula post mortem.

Haud ægre definire licet quo tempore illud sit concinnatum. Non certe ante finem seculi X. Memoratur enim ab ejus scriptore (5) *abbas qui illic* (in monasterio S. Rophilli) *primus omnium ordinatus* FUERAT, *nomine Leo :* unde colligitur Leonem jam in vivis tunc non fuisse ubi hæc notabantur. Porro habemus diploma ab Ottone III ad Leonem datum sub anno 995 (6). Neque etiam diu post illud tempus fuisse elucubratum (quod ceteroquin et ipsius codicis ætas docet), ostendit ejus exordium (7), ubi auctor miracula refert quæ ante conditum monasterium contigerunt, eaque se cognovisse ait *aliquibus ejusdem patris ecclesiæ reverendis monachis* attestantibus, quiproinde et ante conditum monasterium ea viderunt. Monasterium autem constructum est Honesto archiepiscopo Ravennate (8), ac proinde post annum 971, quo is Ravennatem sedem obtinuit, sed ante annum 983, quo obiit (9) ; immo ante annum 980, quum alterum diploma habeamus hoc anno datum ad Leonem abbatem S. Rophilli a Benedicto Papa VII (10). Unde tamen et illud commodi ex documento nostro referimus, quod historiam fundationis monasterii S. Rophilli, hactenus, ni fallimur, tenebris obsitam, in eo habemus descriptam ab auctore coævo et forsan teste oculato aut certe testium oculatorum narratione edocto. Scriptionem autem illius, quoad miracula post ædificatum monasterium consecuta, in fine mutilam nostro codice exhiberi, dolemus.

(1) Ughelli, *Italia sacra*. Ed. Coleti, tom. II, p. 607, 608. — (2) Ibid., p. 594-598. — (3) *Act. SS.*, tom. IV Julii, p. 379-382. — (4) Hujus codicis accuratiorem descriptionem reservamus alicui fasciculo sequenti. — (5) Num. 4. — (6) Ughelli, tom. cit., p. 599-600. — (7) Num. 1-2. — (8) Num. 3 extr. — (9) Ughelli, tom. cit., p. 351. — (10) Ibid., p. 607.

Incipit vita sancti Rophilli confessoris atque episcopi qui in urbe Popiliensi requiescit et ejus festa colitur XV kl. augusti.

S. Rophillus mortuus punit violantes ipsius ecclesiam,

1. Beatissimi patris nostri Rophilli pontificis natalitia celebrantes, pauca ex pluribus quæ post illius sacratissimi corporis depositionem, aliquibus ejusdem patris ecclesiæ reverendis monachis attestantibus, miracula quæ per eum Dominum fecisse cognovimus, referamus. Igitur antequam apud eamdem ecclesiam monasterium, quod nunc est valde venerabile, ædificaretur, contigit ut illic pauperculus presbyter, Romanus nomine, ad exercenda divina mysteria ab ejusdem civitatis episcopo locaretur. Tunc temporis adveniens quidam dives vir occidentalis, ex ultramontanis partibus versus orientem proficiscens, prope beati jam dicti viri ecclesiam in quadam domuncula sibi hospitium præparavit. Tunc circumquaque aliquos de suis mittens, quo sibi vinum quod nimis illo in loco carum fuerat, adquirere studuissent. Cumque illi ab incolis loci illius fuisset nuntiatum quod in sancti Rophilli ecclesia juxta altare in quodam vase quod *veies* nuncupatur, vini quid parum occultaretur, præcepit servis suis ut etiam sibi vinum ab ecclesia reportarent. Obsequentes igitur duo ex ipsis, ecclesiam cum austeritate ingressi, vinum furibundi a vase haurire nitebantur. Pauperculus vero presbyter tantum lacrimans, quo sibi vinum non raperent, precabatur; sed Deus omnipotens illorum procacitatem istiusque pauperiem contemplatus, servi sui sacerdotis misertus est, ita ut beati Rophilli merita fidelibus patescerent, ecclesiaque ejus ampliori veneraretur honore. Servi igitur illi utrique tamquam divino jaculo perculsi, subito obmutuerunt, nec se loco movere, nec vinum haurire, nec sibi mutuo loqui potuere; sed velut lapides vix oculis palpitantes mirabiliter obriguerunt. Videntes autem conservi eos tantam moram fecisse, aliquibus casibus perculsos æstimantes, concite ad ecclesiam pervenerunt. Conspicientes vero intus, eos taliter obriguisse mirabantur. At illi tantummodo oculis non vocibus annuebant; et quia se movere non poterant, eorum immobilitas ostendebat. Quam rem eorum dominus audiens, ad ecclesiam venit, eique de suis bonis sancto Rophillo satisfaciens

obtulit, atque ita servos suos miserante Deo sanos atque incolumes recepit.

vel vexantes ipsius sacerdotem.

2. Ex illo ergo die oraculum sancti Rophilli a Popiliensi populo paulo cœpit amplius venerari. Cumque ibidem supradictus presbyter moraretur, accidit quemdam clericum Bobiensis patriæ, Honestum nomine, cum suo episcopo illic ad susceptionem hospitii devenisse. Pauper vero presbyter se illos pro rerum suarum penuria non posse suscipere humiliter testabatur. Iratus autem clericus, aliquibus presbyterum verberibus multavit; et ad illius injuriam ibidem hospitium fecit. Redeuntibus ad patriam cunctis, sequenti nocte jam dicto clerico sanctus Rophillus cum coepiscopo suo Vicinio terribiliter apparuit, eique mortem gladium manu ferens cœpit interminari crudelem. Sanctus vero Vicinius Rophillum patrem deprecans, ne clerico suo tam insperatam mortem inferret, sed ad dignam illius satisfactionem illum cogeret revocari. Tunc sanctissimus Rophillus ejus precibus adquiescens, respondit se nullomodo parciturum, nisi quantocius ad injuriam presbyteri sui vestigia supplex rediret, et ab eo veniam deposceret delictorum. Tremefactus vero clericus, illucescente die, episcopo suo quod sibi nocte contigerat, enarravit, subitoque viam arripiens Popiliensem presbyterum humiliter repetivit, atque de bonis suis ad tumulum sancti Rophilli deferens, veniam a prædicto presbytero petiit et accepit.

Puniens item negligentem sacra episcopum, causa est erecti sub suo nomine monasterii,

3. Audiens autem hoc universus Popiliensis patriæ populus, a prædicto episcopo flagitare cœpit quo ad honorem sanctissimi Rophilli ibidem monasterium construeret, atque reverendos cœnobitas ad Dei servitium et ad protectionem totius patriæ collocaret. Quam rem episcopus dure suscipiens, se id facturum, omnino prohibuit. Cumque dies beati Rophilli natalitius immineret, episcopus cum omni clero suo a sua sede procedens, ad sacratissimum illius corpus quo missam celebraret, advenit. Sed quia eadem ecclesia heu! male custodita bubus aliisque pecudibus quasi stabulum conculcanda tradebatur, cænoso pavimento, quod dici horribile est, intrantibus turpiter fœtebat; quædam trabs parvula ponebatur, quæ ubi beati Rophilli corpus jacebat, transitum præbebat ad aram. Sed dum prædictus pontifex per eamdem trabem infulatus ad altare

procederet, cœlitus actum est, subito de trabe procidens in cænum quod subtus nimis grave fuerat, turpiter corruit, totumque se ab eodem cæno cum omnibus sacerdotalibus indumentis, verecundiam videntibus præbens, fœdatum excussit. Mox sese in lacrimas dans, pœnituit eum non egisse quod populus unanimiter postulabat. Statimque amicos, coepiscopos, abbates, ipsumque etiam venerabilem archiepiscopum Ravennatem, Honestum nomine, convocans, devotissime ad honorem beati Rophilli monasterium construens fabricavit, monachos constituit, de bonis ecclesiæ suæ monasterio dotem dedit. Sicque divinitus actum est ut quod prius cænosum fuerat habitaculum bestiarum, postmodum religiosorum fieret oratorium monachorum. Tunc longe lateque evidentibus signis claruit, sanctum Rophillum episcopo populoque fuisse placatum.

4. Aliud quoque miraculum consecutum est quod opere pretium credimus referendum. Cumque abbas qui illic primus omnium ordinatus fuerat, nomine Leo, pro restauratione ecclesiæ circa frequens ministerium anhelaret, veterrimas trabes quæ ab exordio ejusdem primitivæ ecclesiæ ibidem positæ fuerant, quo novas imponeret, cœpit excludere. Inter hujuscemodi operis exercitia, quoddam vas vinarium, quod propter laborantium bibitionem ad summum ecclesiæ cacumem fuerat deportatum, ab ipso tecti fastigio accedente casu dilapsum est. Sicque factum est ut nec ipsum vas in pavimento fractum, nec vini damnum aliquod quo plenum fuerat, fecisse videretur. Sed quia de beatissimi Rophilli miraculis disposuimus enarrare, justum credimus ut quoddam insigne quod fidelibus venerandum, infidelibus formidandum est, exponamus. cujus ædifica tionem novo tuetur signo

5. Apud Ariminensem urbem orta est quædam sæva seditio contra quemdam monachum, Rodulfum nomine, propter aliquas causas, de quibus tractare nostrum non est. Cumque universi cives, omnes populi cunctaque multitudo adversus præfatum monachum quo illum occiderent, irrationabiliter concitarentur, monachus imminentis periculi paululum præscius, in ecclesia beati Gaudentii cito sibi confugium fecit, atque sub ipsa ara in qua beatissimum corpus quiescebat, sibi latibulum præparavit. Quod furiosi populi cognoscentes, irrationabili furore sævientes, prædictum monachum ab ipso latibulo contraxerunt. Ad ejus sepu crum miro modo

Atque, quod horrendum est referre, crudeliter, illum minutatim secantes, gladiis, fustibus, lapidibus, inhumano more necaverunt. Et seipsum morte dignissimum judicabat, quisquis in eum manus injicere retardabat. Quod sanctus Gaudentius graviter sustulit, atque, sicut post quibusdam patuit, tale mortalibus miraculum ostendit.

accedit S. Gaudentius, episcopus Ariminensis, jam mortuus,

6. Post hæc paululum temporis contigit quemdam virum a Popiliensi urbe ad Ariminensem transitum habuisse, atque in eodem itinere alium quemdam sibi obvium vidisse, alba canitie decoratum, veste candidum, vultu modestum, sermone jocundum et universæ faciei specie præfulgentem, atque, ut majus dicam, consimilibus agminibus longa serie constipatum. Obstupescens igitur jam dictus vir, multa circa semetipsum corde volutans, quid diceret, quid ageret, penitus ignorabat. Tunc paululum timore amoto, sollicite ab eo sciscitari cœpit, quis talis ac tantus vir esset, quem tanta candidatorum agmina conspexerat comitari, vel unde procederet, aut quo iter faceret, quidve causæ esset quod ab orientali parte occidentem versus tam veloci cursu unanimiter commigrarent. Quod præfatus vir audiens, velut dolorem ab intus cum suspiriis trahens, prorupit in vocem. *Sum*, inquit, *Gaudentius, episcopus Ariminensis patriæ, qui tantas furiosorum illatas injurias æquanimiter ferre non possum, quos multis temporibus apud Deum meis precibus protexi, alui, ab impiorum jugo eripui. Nunc vero adversus me impetum* [1] *facientes, et quia me a cœlestibus sedibus extrahere nequiverunt, famulum meum Rodulfum monachum, sub umbra corporis mei latitantem, ad meam injuriam extrahentes, inaudita miseria necaverunt. Nunc vero illorum persecutiones fugiens, ad confratris et coepiscopi mei Rophilli tumulum pergo, ut cum eo in eodem tumulo perpetualiter conquiescam.* Quo dicto, evanuit.

idque videntibus monasterii incolis.

7. Eodem itaque die eademque hora, sicut post ex referentium indiciis patuit, apud eamdem ecclesiam beati Rophilli tale insigne fratres fuisse memorantur. Nam cunctis fratribus qui eidem ecclesiæ deserviebant, meridiano calore quiescentibus, omnibusque regulariter atque ordinabiliter dormientibus, cunctis ecclesiæ foribus obseratis, nullis claustrorum ostiis patefactis, nemine monachorum aut laicorum illuc circumquaque va-

[1] *cod.* impetu.

gante, subito in ecclesia magna luminaria fulgere cœperunt. Candelabra vitrea quæ tantummodo paschalibus diebus accendi solebant, lumina inenarrabilia produxerunt. Tintinnabula ejusdem ecclesiæ et magna et parva nullo cogente quasi lætabundis vocibus sonuere. Ad quorum tam protelatos sonitus cuncti fratres insperate a somno excitati, manibus et pedibus discurrendo perstrepentes, ore silentium conservantes, quid hoc fieret, penitus ignorabant. Tandem quam festini potuerunt citissime omnes simul ad obseratum ecclesiæ ostium properantes, quid hoc fieret, cognoscere gestiebant. Per fenestras ecclesiæ contuentes, ostium aperuerunt, totaque illa luminaria conspexerunt. Sed dum unanimiter per ostium tumultuatim, ut talia plenissime cernerent, ingrederentur, subito momento lumina extincta sunt, et tintinnabula siluerunt. Sed dum fratres nimis exterriti, tantam suavissimi odoris fragrantiam [1] naribus exceperunt, ut omnium generum aromata illic redoleri, credere potuissent. Cœperunt itaque fratres hæc atque illa variis autumationibus proferre; omnes una voce uno modo se tintinnabula audisse, luminaria vidisse testabantur, sed unde hæc fierent, aut quid boni malive portenderent, ignorabant. Sed post paululum temporis, cum talium signorum fama vulgo percrebrescere cœpisset, ille jam dictus virqu obvium in itinere Gaudentium habuit, venit in medium, quidque sibi in itinere videre contigerat, quo die, quave hora indubitanter cœpit proferre. Ex convenientibus ergo causis in unum fecimus conjecturam, beatum Gaudentium iniquæ plebis injuriam devitasse, atque ad monachorum ordinem, dignum sibi famulitium exhibentem, fiducialiter advenisse. Et quia cum beato Rophillo in cœlestibus habitaculis perpetualiter gloriatur, in terris etiam cum eodem a subjectis famulis pariter veneretur. Sed istius miraculi finem facientes, ad aliud quod tractatu est dignissimum, veniamus.

8. Muliercula namque quædam fuerat, quæ universæ pauperiei subjiciebatur: oculis utrisque privata, civitates, patrias, vicos, castella, cum unico filio suo, qui eam ducebat, mendicando circuibat; quam ferunt a nativitate cæcatam; quæ, ut ita dixerim, dupliciter mendicabat. Hæc audiens famam beatissimi Rophilli, quod talia per eum Deus omnipotens fidelibus

Apud idem sepulcrum mulier cæca visum recipit

[1] *cod.* flagrantiam.

ostendisset, deprecabatur filium suum ut eam ad aram sancti Rophilli perduceret, ut forsitan miserante Deo de jam desperato lumine gratiam reciperet sanitatis. Paruit itaque ejus imperiis filius, traxitque eam palpitantem baculo ad tumulum sancti Rophilli, ibique diutius orare permisit. Quæ dum ab oratione surrexisset, quasi tremulos ocellos aperiens, paululis luminibus circumstantes cœperat intueri, primoque omnium excelsissimum Deum jubila voce laudare, sanctum Rophillum suppliciter sibi adjutorem exposcere, delictorum veniam postulare. Tunc amabundo pectore circumstantes cœpit exposcere, ut quis eorum suus filius esset, ostenderent. Filius vero suus ejus pedibus provolutus, atque eam utrum verissime oculorum lumen haberet, anxie sciscitabatur ut diceret. Quo audito, agnitoque filio mater, lacrimis mixta famina proferebat. *Tu*, inquit, *filius meus es unice quem in utero gestavi, mamillis non visis lacte edito educavi, nec te utrum pulcher an rusticus esses, noveram ; tamen te omnium pulcherrimum æstimabam. Tu mihi semper, fili, unica fueras consolatio : fueram tibi mater, tu mihi filius et pater. Semper mecum a nativitate fueras, numquam tamen te nisi barbatum aspexi. Nunc ergo, fili, utrique pro mei luminis receptione omnipotenti Domino gratias referamus, famuloque suo sancto Rophillo, dum nobis vita comes fuerit, humiliter serviamus.* Hæc et alia muliercula voce tremula referente, omnes circum adstantes monachi atque laici utriusque sexus, immensas Deo laudes excelsis vocibus protulerunt. Sicque factum est ut mulier quæ prius curvo pectore ab alio trahebatur, postmodum erecta, reddito lumine, per se firmis gressibus ambularet.

Homo paralyticus...

9. Non post multum vero hujus temporis spatium, erat quidam homo cujus manus cum brachio annis plurimis aruerat, officiumque illius manus et brachii cum toto corpore perdiderat, adeo ut dextera costis corporis adhæreret. Gemitu dolore sine intermissione cruciabatur, nec fuerat sibi spes ulla redeundæ sanitatis. Hic causa devotæ orationis ad aram sancti Rophilli propius accedens, toto corpore in terram protensus, toto corde devotus, tota mente aram osculans, altissimum Dominum deprecabatur, quo sibi et animæ et corpori misereri festinaret. Tunc fratres qui ibi aderant, missam pro eo aliisque devotissime celebrare cœperunt...... *Reliqua desunt.*

TRANSLATIO
SANCTI CASTORIS
PRESBYTERI.

Hanc translationem brevissime refert Vita sancti edita a nostris ad diem 13 Februarii (1). Quam autem nunc edimus ejusdem historia, longe distinctius et notas temporis et quinam ei interfuerint, prodit. Annum 836 indigitat tum annus Ludovici Pii imperatoris vigesimus tertius, utpote qui mense januario anni 814 imperium regendum acceperit, tum quod posteram festi S. Martini diem, id est duodecimam Novembris, et XIII Calendas Decembres, id est decimam nonam ejusdem mensis, in dominicas incidisse scriptor significat : quod utique anno bissextili 836, qui litteras dominicales habuit BA, apprime quadrat.

Ex hac vel simili relatione hausisse manifestum est quæ de translatione S. Castoris tradiderunt Gesta Trevirorum, Browerus et alii (2). Sed perperam consecrationem ecclesiæ die V Idus Decembres peractam aiunt : levius errat auctor Vitæ, dum ossa S. Castoris translata scribit *pridie Idium Novembrium* (3), id est die duodecima ejus mensis. Docemur enim ex instrumento nostro, — haud enim absurde genus aliquod instrumenti dixeris, — corpus sanctum in festo S. Martini, id est tertio Idus, Confluentiam pervenisse, ecclesia vero postridie consecrata, tertio decimo denique Calendas Decembres in eamdem advectum esse. Docemur etiam, quod ad regesta Ludovici Pii illustranda confert, imperatorem ex ipsa die decima nona Novembris Confluentiam venisse et ibidem *duos dies cum totidem* noctibus commoratum, reliquam deinde hiemem transegisse Aquisgrani.

Documentum istud nobis exhibuit codex bibliothecæ regiæ Bruxellensis 98-100, membraneus (0^m, 50 × 0,35), foliorum 236, seculo XIII exaratus.

De translatione sancti Castoris confessoris.

Anno XXIII° regni pii imperatoris Ludewici, Hitto beatus Treverensis archiepiscopus divino instinctu[1] asportavit corpus

(1) *Act. SS.*, tom. II Feb., p. 666, nn. 12, 14. — (2) Cit. ibid., p. 663, nn. 8, 9. — (3) Ibid., p. 666, n. 14.

[1] *corr.* divino jussu instinctus.

sancti Castoris de loco in quo antea requiescebat, qui vocatur Caradona, ad locum qui vocatur Confluentia, ubi Mosella Rhenum intrat, ad monasterium quod ipse supradictus pontifex a fundamento construxerat, sicut ei in visu præceperat sanctus Maternus, qui erat tertius Treverensis archiepiscopus. Et in festo sancti Martini venit sanctum corpus ad Confluentiam cum magno honore. Et in crastinum, die dominico, consecravit supradictus pontifex illam ecclesiam in honore sancti Castoris et omnium sanctorum confessorum. Et post consecrationem suscepit episcopus sanctum corpus et collocavit illud in ecclesia honorifice, sicut dignum erat. Octavo vero die post consecrationem, quod est XIII° Kal. Decembres, die dominico, venit domnus imperator cum conjuge et liberis, et post missarum sollemnia obtulit ibi maxima dona in auro et in argento. Et mansit ibi duos dies cum totidem noctibus ; et honoravit eum supradictus pontifex cum conjuge et liberis et omni familia sua donis innumeris. Domnus vero imperator rediit Aquis ad sedem suam et ibi totam hiemem permansit.

SANCTI CHRISTOPHORI

MARTYRIS

ACTA GRÆCA ANTIQUA

NUNC PRIMUM EDITA.

Sancti Christophori Acta græca publicæ luci tradimus. Daniel Papebrochius olim reperta in bibliotheca Vaticana ejusdem martyris Acta transcribere exorsus, quum fabulis referta cognovisset, ab incepto opere manum amovit (1). Quæ hic damus Acta, quamquam nævo non carent, fabulosa non sunt. Et primo quidem notæ Christophorianæ fabulæ absunt ; adsunt tamen elementa e quibus luxuriantis phantasiæ homines prodigiosam Christophori vitam cuderunt.

Argumentum hujus Passionis, demptis quibusdam apocryphorum somniis, satis simile est Passioni latinæ quam Bollandiani (2) aliique typis expresserunt. Pro ignoto rege Dagno hic habemus notissimum Decium; pro fabuloso Petro Italiæ episcopo hic legitur Petrus Attaliæ episcopus. Geographiæ ac chronologiæ satis imperitum se auctor ostendit, et homonymarum urbium nomina confundit. Librarii oscitantia grave mendum irrepsit, ubi pro mense Aprili substituit Julium in media martyrii historia. Longiores in fine preces martyri attribuit, quas sancto jure et merito abjudicamus, narratorique adscribimus. Quibus rebus aliisque quas supra innuimus nævis efficitur ut genuina hæc Acta non sint ; aliæ tamen notæ sinceram narrationem indicant, opinamurque totius martyrii substantiam veram tandem teneri.

Quare ex præclaro codice Perizoniano fol. n. 10 bibliothecæ Academiæ Lugduno-Batavæ, sæculi XI, eximia sancti Christophori Acta sedulo studio transcripta, lectori exhibemus. Codicem accurate describemus postea.

In usum doctorum hominum, textum codicis cum omnibus mendis, talem qualis est, typis damus. Iota tamen subscripsimus, quod codex hic omittit ; personarum ac locorum nomina, et capita sententiarum majoribus litteris distinximus. Adjicitur versio latina quæ verbum fere e verbo fida interpres reddit, ut iis quoque lectoribus qui linguam græcam minus callent, sciendi cupiditatem explere possit.

(1) Videsis *Acta SS. Julii*, tom. VI, p. 143. — (2) Ibid., p. 146-149.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΕΓΑΛΟΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΧΡΙΣΤΟΦΟΡΟΥ.

1. Ἔτους τετάρτου τῆς βασιλείας Δεκίου, ἦν πολλὴ κατὰ χριστιανῶν ἡ τῶν ἀσεβούντων μανία· πανταχοῦ γὰρ τοῖς ἄρχουσιν πρόσταγμα κατεπέμφθη, ὅπως ἅπαντα τὸν θρησκεύοντα τῇ εὐσεβῇ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν θρησκείᾳ μιαρῶν ἐδεσμάτων ἀπογευσαμένους σώζεσθαι· τοὺς δὲ τοῦτο μὴ πειθομένους, ἀλλ' ἐνμένοντας τῇ θρησκείᾳ αὐτῶν, μετὰ πολλὰς τὰς βασάνους καὶ τιμωρίας τῇ τελευταίᾳ τοῦ θανάτου ὑπάγεσθαι ψήφῳ. Ἦν οὖν ἰδεῖν τοὺς ἄρχοντας τὸ τοῦ τυράννου πρόσταγμα ἐξακολουθοῦντας, κατὰ τόπον λοιμαινομένους τὰς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, καὶ δίκην λύκων τὰ τοῦ Χριστοῦ κατασπαράσσοντας πρόβατα. Ἐν ταῖς ἡμέραις δὲ ἐκείναις ἦν τίς τῶν λεγομένων κομήτων συλλαβόμενος τὸν μακάριον Ῥέπρεβον

MARTYRIUM

SANCTI MARTYRIS

CHRISTOPHORI.

1. Anno quarto imperii Decii, magnus impiorum adversus christianos furor exarserat : ubique enim præfectis mandatum transmissum erat, ut omnibus pio Dei nostri cultui deditis hæc una salutis via reliqua esset, pollutas gustare dapes ; qui vero hoc persuaderi non possent, sed cultui suo addicti permanerent, post multa tormenta multasque pœnas capitali tandem sententiæ subjicerentur. Erat igitur videre præfectos tyranni mandatum exsequentes, ecclesias per diversa loca polluentes, et luporum ad instar Christi oves dilacerantes. Illis vero diebus quidam ex comitibus, sic enim vocantur, beatum Reprebum bello ceperat et in marmari-

ἐν πολέμῳ, καὶ στρατεύσας αὐτὸν ἐν τῷ νουμέρῳ τῶν μαρμαριτῶν (1). Ἦν δὲ ὁ ἀνὴρ οὗτος φρόνημος σφόδρα· ἵνα γνῶτε πάντες ὅτι ὁ φοβούμενος τὸν Θεὸν ἐν παντὶ ἔθνει δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν, καὶ δοκήμους αὐτοὺς καθιστᾷ πρὸς τὴν αὐτοῦ γνώμην· εἰ γὰρ ἐκ τοῦ γένους τῶν κυνοκεφάλων ὑπῆρχεν, γῆς δὲ τῶν ἀνθρωποφάγων, ἀλλὰ πιστὸς ἦν τῷ φρονήματι καὶ ἀεὶ τὰ λόγια μελετῶν τοῦ Θεοῦ. Οὐκ ἠδύνατο δὲ τῇ ἡμετέρᾳ διαλέκτῳ λαλεῖν.

2. Εἰδὼν οὖν τὴν γινομένην καθεκάστην παρὰ τῶν ἀσεβῶν κατάτομὴν τῶν χριστιανῶν, ἐλυπεῖτο σφόδρα. Ἐξελθὼν δὲ ἔξω τῆς πόλεως, ἔρριψεν ἑαυτὸν ἐπὶ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν καὶ πρὸσηύξατο σὺν δάκρυσιν, λέγων· Κύριε, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ἐπάκουσόν μου τοῦ ταπεινοῦ, καὶ δεῖξον τὴν εὐσπλαγχνίαν σου ἐπὲμὲ τὸν ἀνάξιον, καὶ δός μοι ὁμοίως τούτοις λαλεῖν, ὅπως ἀπελθὼν ἐλέγξω τὸν τύραννον. Ταῦτα αὐτοῦ εὐξαμένου, ἰδοὺ παρέστη αὐτῷ ἀνὴρ λαμπρὸς τῷ εἴδει, ἐν εσθῆτι ἀστραπούσῃ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ῥέπρεβε, ἀνά-

tarum numero exercitui adscripserat. Erat autem hic vir sapiens valde : ut cognoscatis omnes quod qui timet Deum, in omni gente acceptus est illi, et secundum voluntatem suam probatos ipsos constituit. Quamquam enim ex cynocephalorum genere et anthropophagorum regione oriundus erat, mente tamen fidelis Dei sermones jugiter meditabatur. Sed non poterat nostra lingua uti loquendo.

2. Videns igitur quotidie ab impiis cædi christianos, vehementer indoluit. Egressusque ex urbe, projecit se facie super terram et oravit cum lacrymis, dicens : *Domine, Deus omnipotens, exaudi me humilem hominem, et monstra misericordiam tuam in me indignum, et da mihi similiter illis loqui, ut abiens tyrannum coarguam*. Hæc ipso orante, ecce adstitit ipsi vir splendidus specie, in habitu fulgido, dixitque ei : *Reprebe, assurge ;*

(1) Legionis *Marmaritarum* mentio fit in Actis S. Theodori Tironis, ubi legitur: « Quum in Orientis regione militaret, cum multis aliis ductus est ad legionem quæ vocabatur Marmaritarum, sub præside Brinca. » (Cfr. *Acta SS. Feb.*, tom. II, p. 23, n. 1.) In *Notitia* quoque *dignitatum* in partibus Orientis, cap. 32 de duce Syriæ, inter ea quæ de minore laterculo emittuntur, invenitur nº 5 : « Cohors tertia Valeria Marmantarum. » In hac voce « Marmantarum » doctissimus Eduardus Böcking annotavit manuscriptos codices omnes habere *Marmantarum, Mārmātarum, Māmātarum*, editos vero *Marmaræ*. Pancirolus etiam testatur manuscriptos codices habere *Marmatarum*. Vox *Marmātarum*, extensa per superpositam lineolam syllaba, *Marmaritarum* legi posse videtur.

στηθι· εἰσηκούσθη ἡ δέησις σου· καὶ ἀναστάντος ἥψατο εὐθὺς τῶν χειλέων αὐτοῦ τῇ χειρί, ἐνφυσίσας τρισσῶς· ἐδόθη δὲ αὐτῷ εὐθὺς ὁμηλία καθὼς ἠθέλησεν. Ἀναστὰς οὖν ἦλθεν εἰς τὴν πόλιν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ· καὶ πρὸσεγγίσας τῷ δεσμωτηρίῳ, εἶδεν ἐκεῖσε χριστιανοῦς, ποικίλαις βασάνοις κατεχομένους· καὶ ὥσπερ αὐτὸς μᾶλλον ἐκείνων πληττόμενος, ἤρξατο λέγειν· Ὦ τῆς ἀνόμου καὶ ἀκαταστάτου σκευῆς ὑπηρέται, ὦ τοῦ σκότους ὁδηγοί· ὦ πάσης ἀνομίας μεστοί, εἰς τί ὑμεῖς τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς τῷ σατανᾷ ἐξεδώκατε καὶ ἡμᾶς τοὺς τὸν Θεὸν φοβουμένους σὺν ὑμῖν ἀπολέσθαι σπουδάζεται; Ἐγὼ χριστιανός εἰμι, καὶ θῦσαι κιβδήλοις καὶ ματαίοις θεοῖς οὐκ ἀνέχομαι. Ἀνὴρ δέ τις τῶν τῆς ἀκολασίας τῶν δαιμόνων ὑπηρέτης, ἀκούσας αὐτοῦ ταῦτα λέγοντος, ἐγγίσας ἤρξατο τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα. Ὁ δὲ μακάρως πρὸσσχὼν αὐτῷ, εἶπεν· Κατέχομαι ὑπὸ τῆς ἐντολῆς τοῦ Χριστοῦ μου, καὶ οὐ δύναμαί σοι τί ποιῆσαι· ἐὰν δὲ ἔτι πικράνῃς μου τὴν καρδίαν, σὺ παρὲμοὶ οὐχ ὑπάρξεις.

3. Ἀναχωρήσας δὲ ἀπὸ τοῦ ἁγίου ὁ τύψας αὐτὸν, ἦλθεν πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ λέγει αὐτῷ· Βασιλεῦ, εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι· κατὰ τὸ θέσπισμα τοῦ κράτους σου ἐπιδεικνύοντος τοῦ ἄρχοντος τὸ θεῖον σου πρόσταγμα, καὶ πάντων τὴν ὑπακοὴν ποιουμένων, ἐφάνη ἐνώπιον τοῦ λαοῦ ἀνὴρ νεανίας, φοβερὸς τῷ εἴδει, καὶ ὑπὲρμεγέθης τῷ σώματι καὶ τῷ πάχει· οἱ ὀφθαλμοὶ

exaudita est petitio tua, surgentisque labia statim manu tetigit, ter insufflans. Illico datus est ei sermo sicut voluerat. Surgens itaque ivit ad urbem eadem hora; accedensque ad carcerem, vidit ibi christianos variis tormentis detentos, et quasi plus illis percussus cœpit dicere : *O iniqui ac turbulenti apparatus ministri, o tenebrarum duces, o omnimodæ perversitatis pleni, quam ob causam animas vestras satanæ tradidistis et nos Deum timentes una vobiscum perdere studetis? Ego christianus sum, diisque spuriis ac vanis sacrificare non sustineo*. Vir autem quidam, impurorum dæmonum servus, ista dicentem audiens, accessit cœpitque ipsius os obtundere. Beatus vero intendens ipsi, dixit : *Cohibeor mandato Christi mei, nec possum tibi quidquam facere. Quodsi vero adhuc cor meum exacerbaveris, tu apud me non consistes*.

3. Recedens igitur a sancto is qui eum verberaverat, adiit ad regem, dixitque ei : *Rex, in æternum vive! Juxta præceptum potestatis tuæ, exhibente præfecto divinum tuum jussum, cunctisque obedientiam præstantibus, apparuit coram populo homo quidam juvenis, horrendus specie, immensus corpore*

αὐτοῦ ὡς ἀστὴρ ὁ πρωῒ ἀνατέλλων, καὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ὡς συάγρου ἐξέχοντες· καί τα λοιπὰ τοῦ εἴδους τῆς ὁράσεως αὐτοῦ διηγήσασθαί σοι οὐ δύναμαι. Οὗτος λαλεῖ ῥήματα βλάσφημα κατὰ τῶν θεῶν, καὶ τῆς θειότητός σου οὐχ ὑπακούει τὸ πρόσταγμα. Τότε ὁ βασιλεὺς Δέκιος χολέσας εἶπεν· Μὴ δαιμόνιον ἔχει, καὶ οὕτως σοι ἐφάνη; Καὶ ἐκέλευσεν διακοσίους στρατιώτας ἀπελθόντας πιᾶσαι αὐτόν· ἐὰν δέ, φησιν, ἀντιστῇ ὑμῖν, κρεοκοπήσατε αὐτόν· μόνον τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐνέγκατέ μοι, ἵνα ἴδω ὁποῖα ἐστιν, ἐπειδὴ οὕτως ἐφάνη ὑμῖν θαυμαστὸς καὶ δύναμιν ἔχων πολλήν.

4. Αὐτῶν δὲ ταῦτα σκεπτομένων, ὁ μακάριος Ῥέπρεβος ἀπελθὼν, τῆς ἐκκλησίας τῆς θυρίδος ἐκάθησεν. Ἐμπήξας τῇ ῥάβδῳ αὐτοῦ ἐν τῇ γῇ, τὰς δὲ τρίχας αὐτοῦ διαρρίψας ἔνθεν καὶ ἔνθεν, καὶ τὴν ὄψιν δὲ ἐπὶ τὰ γόνατα θεὶς, προσηύχετο λέγων· Κύριε, ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ἐπάκουσόν μου τοῦ ἀναξίου,ὁ επακούσας τῶν τριῶν σου παίδων ἐν τῷ πυρί· ὁ ἐν οὐρανοῖς ὑπὸ τῶν σῶν λειτουργῶν προσκυνούμενος καὶ ἐπὶ γῆς ὑπὸ τῶν ἁγίων σου ἀνυμνούμενος, ὁ ὑπὸ τῶν ἁγίων σου χερουβεὶμ προσκυνούμενος καὶ ἐπὶ τῇ κινήσει αὐτῶν εὐφραινόμενος, ἐπάκουσόν μου τοῦ δούλου σου εἰς ἀγαθὸν, ἵνα γνωσθῇ σου πᾶσιν ἡ πολλὴ ἀγαθότης καὶ ἐπὲμοὶ τῷ ἀλόγῳ· καὶ δὸς, Κύριε, βλαστῆσαι τὴν ῥάβδον ταύτην ὡς τὴν ῥάβδον τοῦ Ἀαρὼν· ὅπως καγὼ προθυμοτέρως εἰς τὴν δόξαν σου προσέλθω καὶ δοξάσω σε

crassitieque immanis, cujus oculi ut stella mane exoriens, dentesque veluti apri eminentes. Reliqua vero figuræ ac conspectus ejus enarrare tibi non valeo. Hic loquitur verba contumeliosa in deos, et divinitatis tuæ præcepto non obedit. Tunc Decius imperator ira accensus, dixit : *Numquid dæmonium habet, et ita tibi apparuit ?* Jussitque ducentos milites ire ad comprimendum eum : *Si vero,* inquit, *resistat vobis, in partes concidite ; solummodo caput ejus afferte mihi, ut videam quantum sit, quum vobis visus sit tam stupendus tantoque præditus robore.*

4. Quibus de hisce rebus deliberantibus, beatus Reprebus abierat, ac prope ecclesiæ ostiolum consedit. Infixo terræ baculo, crines hinc inde discriminavit, vultum super genua posuit, orabatque dicens : *Domine, Deus omnipotens, exaudi me indignum, qui exaudisti tres pueros in igne ; qui in cœlis a ministris tuis adoraris, cui in terris sancti tui hymnos concinunt, quem sancti tui cherubim adorant, qui motu ipsorum delectaris ; exaudi me servum tuum in bonum, ut cognoscatur ab omnibus bonitas tua etiam in me insipientem ; et concede, Domine, ut germinet virga ista ut virga Aaron, ut et ego animosius procedam ad glo-*

τὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Καὶ ἐν τῷ ταῦτα πρὸσεύχεσθαι αὐτὸν, ἰδοὺ ἡ ῥάϐδος ἐϐλάστησεν καὶ ἰσχυροποίησεν τὸν ἄνδρα τοῦ Θεοῦ· ἰδὼν γὰρ, τῷ θαύματι εὐθέως θερμώτερός τε καὶ προθυμότερος γέγονεν· καὶ πάλιν πρὸσηύξατο λέγων· Τὸ τέλειον φρόνημα τῶν χριστιανῶν καὶ γνωστικὸν μυστήριον τῆς ἀθανάτου σου ζωῆς συνέτησόν με, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, τῷ δούλῳ σου, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

5. Αὐτοῦ δὲ πρὸσευχομένου, κόρη τίς συνήθειαν ἔχουσα συλλέγειν ῥόδα, εἰσείη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ τοῦτον ἰδοῦσα καθήμενον καὶ κλαίοντα, ὄπισθεν ἔδωκεν ἑαυτὴν ὑποστρέψασα, καὶ διηγήσατο τοῖς γείτωσιν, λέγουσα· Ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ τοῦ Θεοῦ εἶδον ἄνδρα φοϐερὸν κλαίοντα· ὃν φοϐηθεῖσα ἔφυγον ὡς ἀπὸ προσώπου δράκοντος. Ταῦτα αὐτῆς λεγούσης ὡς ἤκουσαν οἱ ἀποσταλέντες στρατιῶται, εἶπον αὐτῇ ὑποδεῖξαι αὐτοῖς τὸν τόπον ὅπου τὸν ἅγιον εθεάσατο· καὶ ὑπέδειξεν αὐτοῖς. Διὰ δὲ τὴν φήμην τοῦ ἀνδρὸς, οὐκ ετόλμουν κολλᾶσθαι αὐτῷ, διετέρου δὲ τόπου καταδραμόντες, ἐσκόπουν τὸν ἄνδρα. Ὥσδε εἶδον αὐτὸν καθήμενον καὶ κλαίοντα, εἶπον πρὸς ἀλλήλους· Τί τοσοῦτον ἐφοϐήθημεν τὸν ἄνδρα; Γυμνός ἐστιν, ὅπλον γὰρ οὐχ ὑπάρχει αὐτῷ. Καὶ πρὸσελθόντες λέγουσιν αὐτῷ· Τίς εἶ σὺ καὶ τί κλαίεις οὕτως ἰσχυρῶς; Καὶ τῇ μὲν λαλιᾷ ἀπεκρίνατο

riam tuam et glorificem te Patrem et Filium et Sanctum Spiritum in sæcula sæculorum. Amen. Atque ipso hæc orante, ecce virga germinavit, roburque addidit viro Dei : nam quum hoc vidisset, miraculo statim ardentior factus est atque alacrior ; et rursus oravit dicens : *Perfectam sapientiam christianorum et cognoscibile mysterium immortalis vitæ tuæ doce me, Domine Jesu Christe, servum tuum, quoniam tibi est gloria in sæcula. Amen.*

5. Ipso vero preces fundente, puella quædam rosas colligere solita intravit in hortum, vidensque eum sedentem ac flentem, retro recessit aversa, narravitque vicinis dicens : *Ante templum Dei vidi virum terribilem flentem ; quo conspecto metu perculsa fugi ut a facie draconis.* Quam quum ista dicentem emissi milites audivissent, dixerunt ei ut monstraret sibi locum ubi sanctum viderat ; monstravitque illis. Sed propter ea quæ de hoc viro audierant, non audebant ipsi appropinquare ; per alium vero locum cito circumeuntes, eminus hominem aspiciebant. Ut autem viderunt eum sedentem ac flentem, dixerunt ad invicem : *Quare tantopere timemus hunc virum? Inermis est; telum enim non est illi;* et procedentes dicunt illi : *Quis es tu? et quid fles tam vehe-*

αὐτοῖς, πρόσωπον δὲ οὐκ ἐπῆρεν ἰδεῖν αὐτούς. Εἶπεν δὲ αὐτοῖς· Κλαῦσαι δεῖ μαι ὑπὲρ πάντα ἄνθρωπον, ὅτι μὴ εἰδὼς Θεὸν οὐκ ἐνεκλήθην ποτέ· νῦν δὲ ἐπιγνοὺς τὸν Θεὸν τυραννοῦμαι· καὶ δια τοῦτο κλαίω, ὅτι τὸ καλὸν ὄνομα ἐπιγνοὺς ἀδικοῦμαι. Οἱ δὲ ἀκούσαντες ᾐσχύνοντο ἔτι λαλεῖν μεταυτοῦ. Ὁ γὰρ Θεὸς ἐδόξασεν τὸν παῖδα αὐτοῦ.

6. Εἶπον δὲ πρὸς τὸν μακάριον οἱ στρατιῶται· Ἡμεῖς πρὸς σὲ ἀπεστάλημεν ἀπάξαι σε δέσμιον πρὸς τὸν ἡμέτερον βασιλέα, ἵνα μάθῃς θεοὺς σέβειν, καὶ μὴ θεὸν ὃν οὐκ οἴδαμεν. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτοὺς ὁ τοῦ Χριστοῦ ἀθλητής· Ἐὰν μὲν αὐτὸ θελῇ, ἐάσατέ με ἔλθω μεθύμῶν. Ἐπεὶ δέσμιον οὐκ ἀπάξεταί με· ὁ γὰρ Θεός μου παρὼν ἐν σαρκὶ τὰ δεσμὰ τῶν ἁμαρτιῶν ἔλυσεν, καὶ ἐρρύσατο ἡμᾶς ἐκ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ σατανᾶ. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ στρατιῶται· Εἰ μὴ θέλεις ἐλθεῖν μεθήμῶν, ἡμεῖς ἀπελθόντες λέγομεν τῷ βασιλεῖ ὅτι οὐχ εὕρομεν αὐτὸν, καὶ σὺ ὑποχωρήσας ποίει ὡς βούλει. Ὁ δὲ μακάριος Ῥέπρεβος εἶπεν αὐτοῖς· Οὐχὶ, ἀλλὰ κατέλθω μεθύμῶν, καὶ ὑποδείξω ὑμῖν τὴν τοῦ Θεοῦ μου δύναμιν· μόνον ἐκδέξασθαί με μικρόν. Εἶπον δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ στρατιῶται· Αἱ δαπάναι ἡμῶν ἐπληρώθησαν ἀπὸ τοῦ χρόνου οὗ ἐζητοῦμεν σε, καὶ οὐ δυνάμεθα περιμένην. Τότε ὁ μακάριος πλησθεὶς Πνεύματος ἁγίου, εἶπεν πρὸς αὐτούς· Ἀδελφοί μου, εἰσακούσεταί μου, καὶ φάγεσθε ἀγαθὰ, ὄψεσθε δὲ καὶ τὴν

menter? Et sermone quidem respondit eis, vultum vero non erexit ad videndum eos. Dixit autem illis : *Flere me oportet super omnem hominem, quia dum ignorarem Deum, nunquam in crimen vocatus fui, nunc vero postquam agnovi Deum, tyrannis in me exercetur; et propterea fleo, quia pulchrum nomen agnoscens, injustam vim patior*. Ipsi vero audientes, pudore prohibiti sunt quominus cum ipso loquerentur amplius. Deus enim glorificabat puerum suum.

6. Dixerunt autem ad beatum milites : *Nos missi sumus ad te, abacturi te vinctum ad regem nostrum, ut discas venerari deos, et non Deum quem non novimus*. Dixit vero ad illos Christi athleta : *Si quidem illud vult, sinite me, ibo vobiscum. Vinctum porro ne abducite me; Deus enim præsens in carne vincula peccatorum solvit, et liberavit nos ex potestate patris vestri satanæ*. Dicunt ei milites : *Si non vis ire nobiscum, nos abimus, dicimusque regi quod non invenimus illum, et tu recede et fac quod vis*. Beatus vero Reprebus dixit illis : *Nequaquam, sed ibo vobiscum, et monstrabo vobis virtutem Dei mei. Tantum exspectate me paululum*. Dixerunt ad eum milites : *Sumptus*

δύναμιν τοῦ Κυρίου. Λέγουσιν αὐτῷ προθύμως ἅπαντες· Ὃ θέλεις λέγε ἡμῖν καὶ ποιῶμεν. Λέγει αὐτοῖς ὁ ἅγιος· Θήσετε τὰ καταλειφθέντα ὑμῖν βραχία ὅσα εἰσὶν μεθύμῶν ἐνώπιόν μου, καὶ πρόσεὔξομαι ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὄψεσθε τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ μου. Οἱ δὲ ἀγαγόντες ἔθηκαν αὐτὰ προ προσώπου αὐτοῦ. Ὁ δὲ μακαριος Ῥέπρεβος πρόσηὔξατο λέγων· Ὁ τοὺς πέντε ἄρτους εὐλογήσας καὶ πλήθη ἱκανὰ χορτάσας, καὶ νῦν αὐτὸς εἶ, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ὁ και τότε, ἐπάκουσόν μου τοῦ δούλου σου καὶ τὸ αἴτημά μου πλήρωσον, ὅπως πιστεύσωσιν οὗτοι, τὰ θαυμάσια σου ἰδόντες, ὅτι δοῦλός σου εἰμί.

7. Ταῦτα αὐτοῦ πρὸσευχομένου, ἰδοὺ Ῥαφαὴλ ὁ ἄγγελος Κυρίου παρέστη αὐτῷ, λέγων· Θάρσει, Ῥέπρεβε· ἐγὼ γὰρ ἀπεστάλην εἰς βοήθειάν σου, ὅπως πάντα τὰ αἰτήματά σου πληρώσω· καὶ παραχρῆμα εὐλόγησεν τοὺς ἄρτους, καὶ ἐπληθύνθησαν σφόδρα. Ὁ δὲ μακάριος Ῥέπρεβος εἶπεν· Λάβετε, φάγετε, καὶ γνῶτε τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ μου· αὐτὸς γὰρ οὐ μονον τὰ ἐπὶ γῆς δωρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς πάντα τοῖς πιστεύουσιν αὐτῷ παρέχει. Οἱ δὲ στρατιῶται ἰδόντες τὰ θαυμάσια τοῦ Κυρίου, εἶπον ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος· Δόξα σοι, ὁ Θεός· καὶ ἡμεῖς σοὶ πιστεύομεν, τῷ δυναμένῳ σῶσαι τοὺς ἐλπίζοντας ἐπι σέ. Τότε ὁ μακάριος περιχαρὴς γενόμενος, εἶπεν· Ἀδελφοί μου, εἰ ἐν ἀληθείᾳ τοῦτο φρονεῖται, εἴπατε μοι. Οἱ

nostri impleti sunt tempore quo quæsivimus te, nec possumus exspectare. Tunc beatus repletus Spiritu Sancto, dixit ad eos : *Fratres, exaudite me, et manducabitis bona ; videbitis etiam virtutem Domini.* Dicunt ei alacriter omnes : *Quod vis dic nobis et facimus.* Dixit illis sanctus : *Ponite relicta vobis fragmenta, quotquot vobis sunt, coram me, et orabo pro vobis et videbitis potentiam Christi mei.* Ipsi vero attulerunt et posuerunt ea ante faciem ejus. Beatus autem Reprebus oravit, dicens : *Qui quinque panibus benedixisti et multitudinem magnam satiasti, et nunc idem ipse es, o Domine Jesu Christe, qui tunc eras ; exaudi me servum tuum, et petitionem meam imple, ut credant isti, videntes mirabilia tua, quod servus tuus sum.*

7. Hæc ipso orante, ecce Raphael angelus Domini adstitit ei, dicens : *Euge, Reprebe ; ego enim missus sum in auxilium tuum, cunctas tuas petitiones impleturus :* et statim benedixit panibus, qui valde multiplicati sunt. Beatus autem Reprebus dixit : *Sumite, edite, et agnoscite virtutem Christi mei : ipse enim non modo quæ super terram sunt dona, dat ; sed etiam omnia quæ in cœlis sunt, credentibus in se largitur.* Milites vero videntes mira-

δὲ ἀποκριθέντες εἶπον · Δοῦλε τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ἐν σκότει ἡμῶν ὄντων, λύχνος γέγονας, τὸν Θεὸν ἡμῖν ὑποδείξας τὸν ἀληθεῖ. Ὁ δὲ μακάριος παραλαβὼν αὐτοὺς ἤγαγεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ πόλει πρὸς τὸν μακάριον ἐπίσκοπον Βαβύλαν. Καὶ ἐφωτίσθη αὐτὸς καὶ οἱ διακόσιοι μεταὐτοῦ · ἐκλήθη δὲ τὸ ὄνομα τοῦ ἁγίου Χριστοφόρος.

8. Πάντων δὲ ὁμοῦ εἰσερχομένων εἰς τὸ παλάτιον, ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν ὁ ἅγιος · Τεκνία μου, οἴδατε τίνα Θεὸν ἐκτησάμεθα; μᾶλλον δὲ ἐκεῖνος ἐκτήσατο ἡμᾶς. Βλέπετε ἐπιγείους πληγάς, μὴ φοβηθέντες ἀρνησόμεθα τὸν Θεὸν ἡμῶν, καὶ ἀρνήσετε κακεῖνος ἡμᾶς. Καὶ ὅταν προσάγετέ μαι εἰς τὸν βασιλέα Δέκιον, πάντα ὅσα ὑμῖν προσέταξεν, ποιήσατε · καὶ ἐγὼ προσεύξομαι περὶ ὑμῶν. Καὶ ὅτ' ἂν καλέσω εξ ὑμῶν δύο πρὸς τὸν Κύριον, τότε καὶ ὑμεῖς ἔλθετε, καὶ ἐγὼ πρεσβεύσω ὑπὲρ ὑμῶν. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἤγγισαν τῷ παλατίῳ, λέγει αὐτοῖς · Ἀδελφοί μου, δήσατέ με, ἵνα μή τις ἰδών με λυτόν, κατηγορήσῃ ὑμῶν, καὶ μέλλετε ἐγκαλεῖσθαι διεμέ · καὶ ὑμεῖς ἀπελθόντες σκέψασθε περὶ τῆς σωτηρίας ὑμῶν. Οἱ δὲ μετὰ πολλῶν δακρύων προσήνεγκαν αὐτῷ τὴν ἡρμοσμένην ἅλυσιν, καὶ οὕτως προσήγαγον αὐτὸν τῷ βασιλεῖ.

bilia Domini, dixerunt quasi ex uno ore : *Gloria tibi, Deus ; et nos credimus in te, qui vales servare sperantes in te.* Tunc beatus Reprebus exhilaratus dixit : *Fratres mei, si in veritate hæc cogitatis, dicite mihi.* Ipsi vero respondentes dixerunt : *Serve Dei altissimi, in tenebris sedentibus nobis lucerna factus es, Deum verum nobis demonstrans.* Beatus autem assumptos illos duxit Antiochiam in urbem ad beatum Babylam episcopum. Et illuminatus (baptizatus) est ipse et ducenti cum eo ; et vocatum est nomen sancti Christophorus.

8. Cunctis vero simul una euntibus ad palatium, cœpit sanctus dicere illis : *Filioli mei, scitis quemnam Deum acquisierimus? Immo vero ipse potius acquisivit nos. Aspicite terrenas plagas, ne timore concussi Deum nostrum abnegemus : et ipse nos abnegabit. Et quando me adducitis ad imperatorem Decium, omnia quæ vobis mandavit, facite : et ego orabo pro vobis ; et quando vocavero ex vobis duos ad Dominum, tunc et vos ite, et ego causam vestram agam.* Factumque est, quum appropinquarent palatio, dixit eis : *Fratres mei, vincite me, ne quis videns me solutum, coarguat vos, et in accusationem veniatis propter me ; et vos abeuntes prospicite saluti vestræ.* Ipsi vero cum multis lacrymis injecerunt ei aptam catenam,et sic adduxerunt eum ad regem.

9. Ὡς δὲ εἶδεν ὁ βασιλεὺς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ οὕτως φοβερὸν, ὄπισθεν ἑαυτὸν ἔδωκεν· καὶ ἀνατραπεὶς καὶ ταραχθεὶς ἤγγισεν ἀπὸ τοῦ θρόνου αὐτοῦ πεσεῖν· καὶ κατεσχέθη ὑπὸ τῶν δορυφόρων αὐτοῦ· Ὁ δὲ μακάριος εἶπεν· Ὦ ἀτυχέστατον βασίλειον καὶ κατεφθαρμένον, εἰ εμὲ τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ οὕτως ἐφοβήθης, τῷ Θεῷ πῶς ἀπολογήσει ὑπὲρ ὧν ἀπώλεσας ἁγίων; Διὰ τοῦτο κολάσαί σε ἔχει ὁ Θεὸς αἰωνίως. Λέγει ὁ βασιλεύς· Ποίας θρησκείας εἶ, καὶ ποίας τύχης καὶ γένους, καί τί τὸ ὄνομά σου; Ὁ δὲ μακάριος Χριστοφόρος εἶπεν· Χριστιανός εἰμι· τὸ οὖν ἐπιτεθὲν μοι ὄνομα παρὰ τῶν γονέων Ῥέπρεβος ἐκαλούμην· μετὰ δὲ τὸ ἅγιον βάπτισμα Χριστοφόρος κέκλημαι. Τὸ δὲ γένος μου τὸ πρόσωπόν μου κατηγορεῖ· Δέκιος βασιλεὺς εἶπεν· Ψυχρὰν ἐπεκλήθης ἐπωνυμίαν, ἥτις οὐκ ὠφελήσει σε. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Ψυχρά ἐστιν ἡ ὑμετέρα προςονυμία, ὅτι τὸν Θεὸν ἀφέντες λίθοις προσκυνεῖτε. Λέγει ὁ βασιλεύς· Φεῖσαι τοῦ σώματός σου καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ γράψω πασιν ἵνα τῶν θεῶν ἱερέα σε καταστήσωσι. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Φείδομαι τῆς ψυχῆς μου, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύω τῷ ἀληθεῖ Θεῷ· θεοὶ γὰρ οἱ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν, ἀπολέσθωσαν.

10. Δέκιος εἶπεν· Κρεμάσατε αὐτὸν ἀπὸ τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς, καὶ λίθον μέγαν δήσατε περὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ λέγετε αὐτῷ· Θῦσον τοῖς θεοῖς, ἵνα ζήσῃς. Ὁ δὲ εἶπεν· Οὐ θύω. Τότε ἐκέλευσεν αὐτὸν σπαθί-

9. Ut autem vidit rex vultum ejus ita terribilem, retro recessit et aversus turbatusque in eo erat ut a throno suo decideret, et a lancieariis suis tenebatur. Beatus vero dixit : *O infelicissime regule ac perditissime, si me servum Dei ita expavescis, quomodo Deo rationem reddes de sanctis quos exterminasti? Propterea punire te habet Deus in æternum.* Dixit imperator : *Cujus religionis es, cujusque fortunæ et generis? Et quodnam nomen tibi?* Beatus vero Christophorus dixit : *Christianus sum; nomine porro a parentibus imposito Reprebus vocabar; sed post sanctum baptisma Christophorus appellor. Genus autem meum facies mea indicat.* Decius imperator dixit : *Frigido cognominaris cognomine, quod nihil tibi proderit.* Sanctus dixit : *Frigidum est cognomen vestrum, quia Deum abjicientes lapides adoratis.* Imperator dixit : *Parce corpori tuo et sacrifica diis, et scribam omnibus ut deorum sacerdotem te constituant.* Sanctus dixit : *Parco animæ meæ, et propterea credo in verum Deum. Dii enim qui cœlum et terram non fecerunt, pereant.*

10. Decius dixit : *Suspendite ipsum e crinibus capitis, et lapidem magnum circumligate pedibus ejus, et dicite ei : Sacri-*

ζεσθαι, λέγων · Μὴ μωρίᾳ χρῶ, ἀλλὰ θῦσον τοῖς θεοῖς. Ὁ ἅγιος Χριστοφόρος εἶπεν · Ἡ τοῦ κόσμου τούτου βάσανος πρόσκαιρός ἐστιν, σοὶ δὲ, ἄνομε, τὸ αἰώνιον πῦρ ἀναμένει. Τότε χολέσας ὁ βασιλεὺς ἐκέλευσεν τρεῖς λαμπάδας πυρὸς προσάψαι τῷ σώματι αὐτοῦ. Τινὲς δὲ τῶν ἐν τέλει εἶπον τῷ βασιλεῖ · Δεόμεθα τοῦ κράτους [σ]ου · μὴ ἐν τοιαύταις βασάνοις ἀνάλισκε τὸν ἄνδρα, ὅτι τερπνὸς ἡμῖν ἐστιν · ἀλλὰ μετὰ ἠπιότητος προσενέχθητι αὐτῷ. Ὁ βασιλεὺς λέγει · Κατενέγκατε αὐτῷ ἀπὸ τῶν δεσμῶν · καὶ εἶθ' οὕτως λέγει αὐτῷ · Δεῦρο, κάλλιστε ἀνδρῶν · ὁμολόγησον τοὺς Θεοὺς καὶ πάντα σου τὰ θελήματα καλῶς ἐκπληρώσω. Βούλομαι γάρ σε εἶναι εἰς τὸ ἅρμα μου στράτοραν. Ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς ἔφησεν · Εἰ τοῦτο θέλεις, γενοῦ ὡς καγὼ χριστιανός. Ὁ δὲ Δέκιος εἶπεν · Ἐγώ σε προετρεψάμην θῦσαι τοῖς θεοῖς, καὶ σὺ καταναγκάζεις ἐμὲ καταλιπεῖν αὐτούς;

11. Ἡ τάξις εἶπεν · Δεόμεθα τῆς θειότητός σου · θεωροῦμεν τὸν ἄνδρα ὅτι ἀλλόφυλός ἐστιν · κέλευσον οὖν ἐνεχθῆναι αὐτῷ τὰς εὐκάλους γυναῖκας, ὅπως τῇ τούτων φιλίᾳ ἑλκόμενος θύσῃ τοῖς θεοῖς. Καὶ ἤρεσεν ὁ λόγος οὗτος τῷ βασιλεῖ, καὶ ἐποίησεν ζητηθῆναι δύο γυναῖκας πόρνας, ἃς καὶ κατεκόσμησεν ἱματίοις τερπνοῖς, καὶ ὑπέσχετο δοῦναι αὐταῖς πολλὰ, εἰ δυνήσονται πεῖσαι τὸν ἅγιον θῦσαι τοῖς θεοῖς · καὶ οὕτως κατέκλεισεν

fica diis, ut vivas. Ipse vero dixit : *Non sacrifico.* Tunc jussit ipsum spathula agitari, dicens : *Ne utere stultitia, sed sacrifica diis.* Sanctus Christophorus dixit : *Mundi hujus tormentum temporale est ; te vero, inique, ignis æternus manet.* Tunc iratus imperator jussit tres lampades ardentes admoveri corpori ejus. Quidam ex magistratibus dixerunt imperatori : *Rogamus potestatem tuam, ne in tantis tormentis perdas hominem, quia delectamur ipso ; sed cum mansuetudine aggredere illum.* Imperator dixit : *Deponite ipsum solutum a vinculis ;* et dein sic dixit : *Adesdum, o pulcherrime virorum. Confitere deos, et omnia desideria tua præclare implebo. Volo enim te esse currus mei aurigam.* Christi vero martyr dixit : *Si hoc vis, fias ut ego christianus.* Decius dixit : *Ego te hortabar sacrificare diis, et tu cogis me relinquere eos ?*

11. Officium dixit : *Oramus divinitatem tuam : videmus virum alienigenam esse ; jube ergo adduci ad ipsum pulchra forma mulieres, ut earum amore illectus sacrificet diis.* Et placuit sermo iste imperatori, quærendasque curavit duas mulieres meretrices, quas exornavit vestibus aspectu jucundis, et promisit se ipsis daturum multa

αὐτὰς μεταὐτοῦ ἐν οἰκίσκῳ μικρῷ. Ὁ δὲ μακάριος κλίνας τὰ γόνατα, πρόσηύξατο λέγων· Ἴδε, Κύριε, ὅτι διέτειναν σχοινίοις παγίδα τοῖς ποσί μου, καὶ ἔχόμενα τρίβους σκάνδαλα ἔθεντό με· φύλαξόν με, Κύριε, ἐκ χειρὸς ἁμαρτωλοῦ, ἀπὸ ἀνθρώπου ἀδίκου καὶ δολίου ῥῦσαί με. Διελογήσαντο κατεμοῦ· μὴ εγκαταλείπῃς με, μή ποτε ὑψωθῶσιν· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Καὶ ἀναστὰς ἔστη ἐπὶ τοῦ τόπου οὗ ἦν πρόσευχόμενος· καὶ ἐπιστραφεὶς πρὸς τὰς γυναῖκας εἶπεν· Τί ζητεῖτε πρός με; Αἱ δὲ ἰδοῦσαι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ διεταράχθησαν, καὶ ἐκρύπτετο μία πρὸς τὴν μίαν πρὸς τὸν τύχον.

12. Ὁ δὲ εἶπεν πάλιν αὐταῖς· Τί ἥκατε πρός με; Αἱ δὲ εἶπον· Δεόμεθά σου· ὁ βασιλεὺς ἡμᾶς πρὸς σὲ ἔπεμψεν, ὅπως θελήσεις τῇ ἡμετέρᾳ καταθέσθαι βουλῇ καὶ ζήσεις. Ὁ δὲ μακάριος εἶπεν πρὸς αὐτάς· Ἄρτι ὑμεῖς τί λέγετε; πείθεσθέ μοι καὶ ὁμολογεῖτε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν; Αἱ δὲ εἶπον· Οὐαὶ ἡμῖν, ὅτι σκληρὸν ἡμῖν πρᾶγμα κατέφθασεν· ἐὰν γὰρ εἴπωμεν ὅτι οὐ πιστεύομεν τῷ Χριστῷ, ἀποκτένει ἡμᾶς οὗτος· ἐὰν δὲ εἴπωμεν ὅτι πιστεύομεν, ἀποκτένει ἡμᾶς ὁ βασιλεύς. Καὶ τοῦ ἁγίου ἐκδεχομένου αὐτὰς τί ἄρα εἴπωσιν, αὗται εἶπαν πρὸς ἑαυτάς· Καλὸν ἡμᾶς τοῦτο μᾶλλον πεισθῆναι· ἀκηκόαμεν γάρ ποτε διακόνου τινὸς φιλολογοῦντος ὅτι ὁ

dona, si valeant persuadere sancto ut sacrificet diis. Et sic conclusit eas cum ipso in cubiculo parvo. Beatus vero flexis genibus oravit, dicens : *Vide, Domine, quod tortis funibus tetenderunt decipulas pedibus meis, et operientia semitas offendicula posuerunt mihi. Serva me, Domine, e manu peccatoris ; a viro iniquo et doloso erue me. Consilia inierunt contra me ; ne derelinquas me, ne quando exaltentur ; quoniam tibi est gloria in sæcula. Amen.* Et surgens stetit in loco ubi oraverat : et conversus ad mulieres dixit : *Quid quæritis apud me ?* Ipsæ vero videntes faciem ejus, conturbatæ sunt, et occultabant se una in sinu alterius, sicut poterant.

12. Ipse vero iterum dixit eis : *Quem in finem venistis ad me ?* Ipsæ autem dixerunt : *Oramus te, imperator nos ad te misit, ut velis nostro consentire consilio et vivas.* Beatus vero dixit ad eas : *Modo vos quid dicitis ? Auscultatis mihi et confitemini Dominum nostrum Jesum Christum ?* Ipsæ dixerunt : *Væ nobis ! eo quod asperum nos negotium occupavit. Si enim dicamus quod non credimus in Christum, occidet nos hic ; si vero dicamus quod credimus, occidet nos imperator.* Et sancto interpellante eas quid loquerentur, ipsæ dixerunt ad invicem : *Multo melius est nos hoc persuaderi ; audivimus enim aliquando diaconum quemdam dicentem quod Christus*

Χριστὸς οὐ μόνον τὰ ἐπὶ γῆς δωρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τοῖς πιστεύουσιν αὐτῷ ζωὴν αἰώνιον δίδωσιν.

13. Καὶ εἶπεν αὐτῷ μία τῶν γυναικῶν, ὀνόματι Καλληνίκη· Πιστεύωμεν τῷ Χριστῷ ὃ λέγεις· μόνον εὖξαι ἵνα ἐπιλάθηται τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ὅτι πολλαί εἰσιν. Εἶπεν ὁ μακάριος πρὸς αὐτάς· Ἐν ποίαις ἁμαρτίαις πέρίκεισθαι; ἐν φόνῳ ἢ ἐν μαγείαις; εἴπατέ μοι καὶ εὔξομαι περὶ ὑμῶν. Αἱ δὲ εἶπαν· Μηδαμῶς, κύριε· ἡμεῖς γὰρ μᾶλλον φονευομένους ἐρρυσάμεθα, καὶ δούλους πιπρασκομένους ἠλευθερώσαμεν τοῦ αὐτοῦ χρυσίου τῆς πορνείας ἡμῶν. Ὁ δὲ μακάριος τύπον σταυροῦ ποιήσας, τὰς χεῖρας ἐπέθηκεν ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν καὶ προσηύξατο λέγων· Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, περιποίησαι τὰς δούλας σου, καὶ ποίησον αὐτὰς πρόβατα τῆς λογικῆς σου ποίμνης, ὅπως συνκαταριθμηθῶσιν μετὰ πάντων τῶν ἁγίων σου. Ἀμήν. Αὐτῶν δὲ συνθεμένων τὰ παρα τοῦ ἁγίου αὐταῖς μετὰ τὴν εὐχὴν διδαχθέντα, εἰσῆλθεν ὁ δεσμοφύλαξ καὶ λέγει· Καλεῖ ὑμᾶς ὁ βασιλεύς· καὶ προλαβὼν λέγει τῷ βασιλεῖ· Τάχα, ὡς ὑπολαμβάνω, ἔπεισαν τὸν ἄνδρα· ὁμοῦ γὰρ εἰσελθὼν εὗρων αὐτοὺς κατεζομένους καὶ ὁμηλοῦντας. Ὁ δὲ βασιλεὺς εἰσάγει τὰς δύο γυναῖκας πρῶτον, καὶ λέγει αὐταῖς· Ἐπείσατε τὸν ἄνδρα θῦσαι τοῖς θεοῖς; Αἱ δὲ εἶπαν· Ἐπείσθημεν καὶ ἡμεῖς μᾶλλον τῷ ἀνδρί· καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ σωτηρία, εἰ μὶ ὃ λέγει Θεῷ ὁ

non solum terrena sed etiam cœlestia donat, et credentibus in se vitam æternam largitur.

13. Et dixit ei una mulierum, nomine Callinice : *Volumus credere Christo quem dicis ; solummodo ora ut obliviscatur peccata nostra, quia multa sunt.* Dixit beatus ad ipsas : *Quibusnam in peccatis versamini ? in homicidiis an in magicis artibus? Dicite mihi et orabo pro vobis.* Ipsæ vero dixerunt : *Nequaquam, Domine ; nos enim potius ab homicidis male multatos eruimus, et mancipia venum exposita libertati restituimus, ipso auro fornicationis nostræ.* Beatus,signo crucis facto, manus imposuit capitibus ipsarum, oravitque dicens : *Domine Jesu Christe, tuere ancillas tuas, et fac eas oves rationalis gregis tui, ut connumerentur cum omnibus sanctis tuis. Amen.* Ipsis vero audientibus quæ a sancto post orationem docebantur, carceris præfectus intravit, et dixit : *Vocat vos imperator ;* et prior ingressus dixit imperatori : *Brevi negotio, uti suspicor, persuaserunt virum : intravi enim illuc et inveni sedentes et colloquentes.* Imperator introduxit primum mulieres, et dixit illis : *Persuasistis homini ut sacrificet diis ?* Ipsæ vero dixerunt : *Immo nobis potius ab hoc viro persuasum est ; et non est in ullo*

δοῦλος αὐτοῦ Χριστοφόρος. Τότε λέγει αὐταῖς ὁ βασιλεύς· Ἐμαγεύθητε καὶ ἡμεῖς καὶ ἀπέστητε ἀπο τῶν θεῶν ;

14. Ἀκυλίνα εἶπεν· Εἷς ἐστι Θεὸς, ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· οἱ δὲ θεοί σου τέφρα εἰσὶν, καὶ οὐδενὶ δύνανται βοηθῆσαι. Δέκιος εἶπεν· Οὐκ εἶπον ὅτι ἐμαγεύθητε καὶ δια τοῦτο ἀπέστητε ἀπεμοῦ ; Ἀκυλίνα εἶπεν· Οὐκ ἐμαγεύθημεν, ἀλλὰ Θεῷ πιστεύουσαι θέλομεν ἀποθανεῖν. Τότε ὁ βασιλεὺς θυμωθεὶς, ἐκέλευσεν κρεμασθῆναι αὐτὴν ἀπο τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς, καὶ δύο μυλικοὺς λίθους περὶ τοὺς πόδας αὐτῆς κρεμασθῆναι. Ὡς δὲ ἐποίησαν οἱ ὑπηρέται ἐν πολλῷ τάχει τὸ προσταχθὲν, ἐκ τοῦ βάρους τῶν λίθων τὰ σπλάγχνα αὐτῆς διελύετο· ἔβλεψεν δὲ εἰς τὸν ἅγιον καὶ λέγει αὐτῷ· Δέομαί σου, δοῦλε τοῦ Θεοῦ, εὖξε ὑπὲρ ἐμοῦ. Ὁ δὲ ἅγιος Χριστοφόρος πρὸσηύξατο οὕτως· Κύριε Ιησοῦ Χριστὲ, δέομαί σου, ἵλεως γενοῦ τῆς δούλης σου Ἀκυλίνης, καὶ πρόσδεξαι τὸ πνεῦμα αὐτῆς ἐν εἰρήνῃ, καὶ μὴ συγχωρήσῃς αὐτὴν ἐπιπλεῖον τιμωρηθῆναι. Ταῦτα αὐτοῦ εὐξαμένου, ἡ τοῦ Θεοῦ δούλη ἐκοιμήθη καλῷ ὕπνῳ, τὸ πνεῦμα αὐτῆς εἰς χεῖρας Θεοῦ παραθεμένη, τῇ πρώτῃ τοῦ ἀπριλλίου μηνός.

15. Ἐκέλευσεν δὲ ὁ βασιλεὺς τὸ σῶμα τῆς μακαρίας Ἀκυλίνης ἔμπροσθεν Καλληνίκης ῥιφῆναι, καὶ λέγει αὐτῇ· Ἐλέησον, Καλληνίκη, σεαυτὴν, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς· τί γὰρ ὄφελος τῇ ἀθλίᾳ ταύτῃ, ὅτι ἐστέρησεν ἑαυτὴν

alio salus nisi in Deo quem dicit servus ejus Christophorus. Tunc dixit eis imperator : *Artibus magicis seductæ estis et vos, et defecistis a diis ?*

14. Aquilina dixit : *Unus est Deus, creator cœli et terræ : dii tui cinis sunt, et nemini valent auxiliari.* Decius dixit : *Nonne dicebam quod magicis artibus estis illusæ, et propterea defecistis a me ?* Aquilina dixit : *Nulla arte magica illusæ sumus, sed in Deum credentes volumus mortem obire.* Tum imperator iratus jussit suspendi eam a crinibus capitis, et duos molares lapides circum pedes ejus pendi. Quumque ministri promptissime fecissent quod jussi erant, pondere lapidum viscera ejus dissolvebantur; aspexitque ad sanctum et dixit ei : *Oro te, serve Dei, ora pro me.* Sanctus vero Christophorus oravit in hunc modum : *Domine Jesu Christe, supplico tibi, miserere ancillæ tuæ Aquilinæ, et suscipe spiritum ejus in pace, neve permittas ipsam amplius puniri.* Quumque ipse hæc orasset, Dei ancilla obdormivit pulchro somno, spiritu suo in manus Dei tradito, prima die mensis aprilis.

15. Jussit autem imperator corpus beatæ Aquilinæ ante pedes Callinices projici, et dixit ei : *Miserere, Callinice, tui ipsius, et sacri-*

τοῦ γλυκητάτου φωτός; Νῦν οὖν σε παρακαλῶ ὡς σώφρονα καὶ φίλην τῶν θεῶν· ἧξον καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ φεῖσαι σεαυτῆς, ἵνα μὴ ἀναγκάσῃς με τὸ κάλλος σου ἀφανῆσαι. Ἡ δὲ εἶπεν· Ποίοις οὖν θεοῖς, ὦ βασιλεῦ, κελεύεις με θῦσαι; Ὁ δὲ εἶπεν· Τῷ Διῒ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῷ Ἡρακλῇ. Καλλινίκη εἶπεν· Καὶ ποῦ εἰσιν οἱ θεοί; Συγχαρὴς δὲ γενόμενος ὁ βασιλεὺς, ἐκέλευσεν ἁπλωθῆναι ὀθώνην ἀπὸ τοῦ παλατίου ἕως τοῦ ναοῦ, καὶ μύροις διαφόροις καταραίνεσθαι τὸν λαόν· τὸν δὲ στέφανον ἐπὶ δίσκου ἐβάσταζεν ὁ ἱερεὺς, καὶ οἱ κήρυκες τρανῶς ἐβόων· Καλλινίκη, ἡ φίλη τῶν θεῶν, θύει τοῖς θεοῖς. Ἡ δὲ ἀμνὰς τοῦ Κυρίου εἰσῄει εἰς τὸν ναὸν τῶν εἰδώλων, καὶ λέγει· Ποῖος ἐστιν ὁ μέγιστος τῶν θεῶν ὑμῶν; Οἱ δὲ ἱερεῖς θεασάμενοι ἐχάρησαν σφόδρα, νομίζοντες ὅτι προσκυνῆσαι αὐτὸν βούλεται· καὶ ὑπέδειξαν αὐτὴν τὸ ἄγαλμα τοῦ Διός. Ἡ δε Καλλινίκη ἀτενίσασα τοῖς ἱερεῦσιν καὶ πᾶσιν τοῖς ἑστῶσιν, εἶπεν· Ἐμϐλέψατε εἰς ἐμὲ, καὶ ἴδετε οἵαν θυσίαν θύω τῷ μεγάλῳ θεῷ· καὶ ἀτενήσασα εἰς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Διὸς, τῇ δεξιᾷ χειρὶ κατασίσασα αὐτόν, εἶπεν· Εἰ θεὸς εἶ, λάλησόν μοι· δουλεῦσαι γάρ σοι προσῆλθον· τί οὖν κελευεις ποιῆσαί με; Καὶ οὐκ ἦν φωνῆ, καὶ οὐκ ἦν ἀκρόασις. Καὶ πάλιν εἶπεν· Ὁ θεὸς τῶν ἑλλήνων, λάλησόν μοι. Καὶ γελοιάζουσα εἶπεν· Οὐαί μοι τῇ ἁμαρτωλῷ· οἱ θεοὶ ἐν ὀργῇ μοι

fica diis : quid enim prodest miseræ isti, spoliasse seipsam dulcissima luce? Nunc ergo hortor te ut sapientem amicamque deorum : veni et sacrifica diis, et parce tibi, ne cogas me pulchritudinem tuam abolere. Ipsa vero dixit : *Quibusnam ergo diis, o imperator, jubes me sacrificare?* Ille dixit : *Jovi, et Apollini et Herculi.* Callinice dixit : *Et ubi sunt dii?* Exhilaratus autem imperator jussit expandi velum a palatio usque ad templum, et variis odoramentis aspergi populum : coronam vero in disco portabat sacerdos, et præcones clara voce clamabant : *Callinice, amica deorum, sacrificat diis.* Agna vero Domini ingressa est templum idolorum, et dixit : *Quis est maximus deorum vestrorum?* Sacerdotes vero videntes gaudebant vehementer, putantes quod adorare ipsum vellet, et monstrabant ei statuam Jovis. Callinice autem intuita sacerdotes et omnes adstantes, dixit : *Aspicite in me, et videte qualem hostiam sacrificem magno deo;* et fixis oculis in statuam Jovis, dextera manu concutiens eam, dixit : *Si Deus es, loquere mihi : ad serviendum enim tibi accessi; quid ergo jubes facere me?* Et non erat sonus, et non erat auditus. Et iterum dixit : *Deus græcorum, loquere mihi.* Et deridens dixit : *Væ mihi peccatrici, dii irati sunt mihi. Propterea*

εἰσίν. Δια τοῦτο δὲ καὶ οὐ λαλοῦσιν μοι, ὅτι ἠθέτησα αὐτούς. Μὴ ἄρα ὕπνῳ κατέχονται;

16. Οἱ δὲ ἱερεῖς εἶπον· Ἐξ ὅλης ψυχῆς μετανόησον· Ἡ δε ἁγία φησὶ πρὸς αὐτούς· Ἀλλ εἰ καὶ ἐγὼ πολλὰ αὐτοὺς παίσασα ἀπόκρησιν οὐ λαμβάνω, ἀλλά γε ὑμεῖς ἀδιαλείπτως αὐτοῖς ἐκδουλεύοντες, συγγνώμην αἰτήσασθαι, ὡς ἂν αὐτοὺς ὁμηλοῦντας ὑμᾶς ἰδοῦσα τὴν ἐμὴν τὲ δεξαμένους μετάνοιαν, γνῶ ἀληθῶς εἶναι θεοὺς, οὕτως ὑπάρχοντας φιλανθρώπους. Οἱ δὲ ἱερεῖς ὅλως πρὸς τοῦτο ἀπορήσαντες, ἡ ἁγία πρὸς τὰ εἴδωλα στραφεῖσα εἶπεν· Οἱ θεοὶ τῶν ἑλλήνων, ἀκούσατέ μου, καὶ εἴπατέ μοι εἰ ἄρα μετανοοῦσαν με δέχεσθαι· εἰ δὲ καὶ θεοὶ οὐκ ἐστὲ, τί ἐν πλάνῃ ἐστήκατε τοὺς ἀνθρώπους φαντάζουτες; καὶ ἀποδυσαμένη τὸ σουδάριον σὺν τῇ ζώνῃ, περιέθηκεν τῷ ἀγάλματι τοῦ Διος, καὶ περὶειλήξασα ἀνέβλεψεν εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ πρὸσηύξατο λέγουσα· Ὁ Θεὸς ὁ πάσης ἀγαθότητος δωτὴρ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν σωτὴρ, βοήθησόν μοι, Κύριε, ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ· καὶ ἑλκύσασα ἐν ἰσχύϊ πολλῇ τὸ τοῦ Διὸς ἄγαλμα, συνέτριψεν αὐτό. Καὶ δραμοῦσα πρὸς τὸν Ἡρακλέα, ἔρριψεν καὶ αὐτὸν πολύκλαστον. Πρὸσὲρχομένη δὲ τῷ Ἀπόλλωνι, εἶπεν· Φύγε, ὁ θεὸς τῶν ἑλλήνων, εἰ δύνασαι· ἐγὼ γὰρ ἐν θυμῷ ἔρχομαι πρὸς σέ· καὶ περιθήσασα αὐτῷ τὰς χεῖρας, ἑλκύσασα ἔρριψεν αὐτὸν εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ δευτερώσασα συνέτρι-

non loquuntur mihi, quod spurios eos judicavi. An fortasse somno premuntur?

16. Sacerdotes vero dixerunt: *Ex tota anima tua resipisce.* Sancta autem dixit ad illos: *At si ego multa in eos jocata responsum non fero, vos saltem qui indesinenter ipsis deservitis, veniam petite, ut videns ipsos vobiscum colloquentes et meam suscipientes resipiscentiam, agnoscam vere esse deos, qui tanta erga homines benignitate utantur.* Sacerdotes vero quid in hisce rerum adjunctis agerent, nesciebant. Sancta ad idola conversa, dixit: *O dii græcorum, audite me, et dicite mihi utrum resipiscentem me suscipiatis. Si vero dii non estis, quid in errore constituitis homines phantasiis illusos?* exutumque sudarium cum zona Jovi statuæ circumdedit. Quo circumvoluto, aspexit in cœlum oravitque dicens: *O Deus, omnis bonitatis dator et animarum nostrarum servator, auxiliare mihi, Domine, in hac hora;* et trahens vi multa Jovis statuam, contrivit illam. Currensque ad Herculem, projecit, redegitque ipsum in frusta innumera. Accedens vero Apollini, dixit: *Fuge, deus græcorum, si vales: ego enim ira fervens venio ad te;* et circumponens ei manus, traxit misitque eum in pavimentum, rursusque aggre-

ψεν. Καὶ εἶπεν τοῖς ἱερεῦσιν· Συλλέξατε τὰ ὀστὰ τῶν θεῶν ὑμῶν, καὶ ἐλαίῳ καὶ ἅλατι καταδήσατε ταῦτα· ἄρα οὖν ὁ μὴ δυνάμενος βοηθεῖν ἑαυτὸν, πῶς ἄλλον δυνήσεται σῶσαι;

17. Κρατήσαντες δὲ ταύτην οἱ ἱερεῖς προσήγαγον τῷ βασιλεῖ, λέγοντες· Ταύτην, ὦ βασιλεῦ, τὴν μαινομένην πόθεν ἡμῖν ἐπήγαγες, ἥτις τοὺς μεγίστους θεοὺς καθελοῦσα ἐλέπτυνεν; Εἰ μὴ γὰρ αὐτὴν ἐκρατήσαμεν, οὐκ ἂν εἴασεν ἕνα τῶν θεῶν εἶναι. Δέκιος εἶπεν· Οὐ συνέθου μοι, κάκιστον καὶ πονηρότατον γύναιον, θύειν τοῖς θεοῖς; Καὶ πῶς τουτο ἐτόλμησας, καὶ ἀντὶ τοῦ σπῖσαι καὶ μύρα προσενέγκαι καθελοῦσα ἐλέπτυνας αὐτούς; Καλλινίκη εἶπεν· Ἐγὼ τοὺς λαχοντάς μοι ἔθυσα· εἰ δὲ θέλεις, ἀπόλυσόν με καὶ δια τὸν Θεόν μου ἕνα αὐτῶν οὐκ εάσω εἶναι. Ἐγὼ δὲ λίθους ἐκίνησα ὡς πρὸς οἰκοδομήν· τοιοῦτοι οὖν εἰσὶν οἱ θεοὶ ὑμῶν, ὅτι ὑπο γυναικῶν ἐνικήθησαν; Ἐκεῖνον γὰρ ὁμολογῶ εἶναι Θεὸν ἐγὼ, τὸν ὑπ' οὐδενὸς νικούμενον. Θυμοῦ δὲ ὅλως γενόμενος ὁ βασιλεὺς, λέγει· Ταχέως καλέσατέ μοι λεπτουργὸν τῇ τέχνῃ. Καὶ τούτου εὐθὺς παραγενομένου, εἶπεν αὐτῷ Δέκιος· Ποίησόν μοι ταχέως ξύλον τετράγονον ἰσχυρὸν πάνυ, πηχυέον· καὶ πρίσας αὐτὸ μέσον· καὶ ὑπὸ δύο στύλων κρέμασον αὐτὸ, καὶ ἔνεγκαί μοι· ὅπως πικρῷ θανάτῳ τοῦ ζῆν αὐτὴν ἀπαλλάξω. Ἡ τάξις εἶπεν· Ἀπηρτίσθη τὸ ἔργον· καὶ ἤνεγκαν αὐτὸ ἐνώπιον τοῦ βασιλέως.

diens contrivit. Et dixit sacerdotibus: *Colligite ossa deorum vestrorum, et oleo saleque conglutinate ea : videtis enim, qui non potuit seipsum juvare, quomodo alium servare poterit?*

17. Captam vero eam sacerdotes adduxerunt ad regem, dicentes: *Furiosam hanc, imperator, unde nobis adduxisti, quæ maximos deos detractos comminuerit? Nisi enim vi cepissemus, haud siverat vel unum deorum existere.* Decius dixit : *Non consentis mihi, pessima ac nequissima muliercula, sacrificare diis? Et quomodo hoc ausa es, ac nedum libares et odoramenta offerres, humi tractos comminuisti?* Callinice dixit : *Ego sorte mihi obtingentes mactavi. Si vis, solve me, et per Deum meum ne unum quidem eorum sinam existere. Ego autem lapides movi, quasi ad ædificandum : tales ergo sunt dii vestri ut a mulieribus vincantur? Illum enim confiteor esse Deum ego, qui a nemine vincitur.* Ira vero omnino succensus imperator, dixit : *Cito vocate mihi subtilium operum artificem.* Cui extemplo accedenti dixit Decius : *Fac mihi cito lignum quadrangulum, robustum valde, cubitale, serraque sectum medium. Sub duabus columnis suspende et affer mihi, ut amara morte e vita ipsam abigam.* Officium di-

18. Καὶ ἐκέλευσεν σούβλαν μακρὰν ἐμπαρῆναι ἀπὸ τῆς πτέρνης αὐτῆς ἕως τοῦ ὤμου · καὶ δια μαγγάνων κρεμασθῆναι αὐτὴν πλαγίαν · δύο δε λίθους μεγάλους πρὸσέταξεν κρεμασθῆναι εἰς τὸν πόδα αὐτῆς καὶ εἰς τὴν χεῖρα, ὅπως μέσον διασπασθῇ. Αὕτη δὲ πρὸς τὸν μακάριον Χριστοφόρον ἐπιβλεψασα, εἶπεν · Δεήθητι, δοῦλε τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, περὶ ἐμοῦ. Καὶ πρὸσηὔξατο λέγων · Ὁ Θεὸς πάντων τῶν ἁγίων σου, πρόσδεξαι τὸν τῆς δούλης σου κάματον εἰς δικαιοσύνην · ὅτι σὺ μόνος ὑπάρχεις φιλάνθρωπος καὶ ἐλεήμων εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Ταῦτα αὐτοῦ εὐξαμένου, ἡ τοῦ Θεοῦ δούλη Καλλινίκη εἶπεν · Κύριε, εἰς χεῖρας σου παρατίθημι τὸ πνεῦμα μου · ἐλυθρώσω με, Κύριε ὁ Θεὸς τῆς ἀληθείας. Καὶ τοῦτο εἰποῦσα, καλῷ ἐκοιμήθη ὕπνῳ μηνὶ ἀπριλλίῳ δευτέρᾳ. Ἐκέλευσεν δὲ ὁ βασιλεὺς φυλάσσεσθαι τὰ σώματα τῶν ἁγίων, ἕως οὗ τῇ ἑξῆς προσέλθῃ καὶ ὁ ἅγιος Χριστοφόρος. Ἐστεφανώθησαν δὲ Ἀκυλίνα καὶ Καλλινίκη ἐν Χριστῷ Ιησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν · ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

19. Τῇ ἑξῆς ὁ βασιλεὺς καθήσας ἐπι τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν πρὸσαχθῆναι τὸν ἅγιον καὶ λεγει αὐτῷ · Ἀπὸνενοημένε, κακοπρόσωπε, κακόνυμε, ἀλλοτριόμορφε, οὐκ ἠρκέσθης ἐπὶ τῇ σῇ ἀπολεία, ἀλλὰ καὶ τὰς περικαλλῆς τῆς πόλεως δια μαγείας ἠπάτησας; Ἔδει σὲ μόνον ἀναλωθῆναι ἢ τὴν περικράτησιν τῆς πόλεως Καλλινίκην. Νῦν οὖν ἕνα λόγον εἰπέ · θύεις τοῖς θεοῖς

xit : *Aptatum est opus*, et portarunt illud ante imperatorem.

18. Et jussit veru longum transigi ab extremitatibus ejus usque ad humerum, et ope pessulorum suspendi obliquam ; duo vero lapides magni præcepit ut suspenderentur ad pedem ejus atque ad manum, ut media distraheretur. Illa vero ad beatum Christophorum aspiciens, dixit : *Ora, serve Dei summi, pro me*. Et orabat dicens : *O Deus omnium sanctorum tuorum, suscipe ancillæ tuæ laborem ad justitiam, quia tu solus amas hominem et misericors es in sæcula. Amen*. Quum ipse hæc orasset, Dei ancilla Callinice dixit : *Domine, in manus tuas trado spiritum meum. Liberasti me, Domine Deus veritatis*. Et hoc locuta pulchro obdormivit somno, mense aprili die secunda. Jussit autem imperator custodiri corpora sanctarum, donec sequenti die prodiret etiam sanctus Christophorus. Coronatæ sunt Aquilina et Callinice in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

19. Sequenti die imperator sedens pro tribunali jussit produci sanctum, et dixit ei : *Insensate, vultuose, mali nominis homo, facies aliena, non sufficit tibi tua perditio, sed etiam pulcherrimas urbis mulieres magicis artibus decepisti? Oportuerat te solum perire*

ἢ οὔ; Γελάσας δὲ ὁ μακάριος Χριστοφόρος, εἶπεν· Δικαίως ἐκλήθης Δέκιος· δεκτικὸς γὰρ εἶ τῆς ἐνεργείας τοῦ διαβόλου· καὶ γὰρ ἀληθῶς τῇ ἐκείνου. συνεργείᾳ περιελαυνόμενος οὔπω ἐπιστώθης ὅτι οὐ θύω ἀναισθήτοις ὁμοίοις σου καὶ κωφοῖς ξοάνοις. Πάντως πλειστάκις σε εἶπον ὅτι οὐ μόνον ἐγὼ οὐ θύσω, ἀλλ' οὐδὲ σέ, εἰ ἦν δυνατόν, κατέλειψα θῦσαι αὐτοῖς τοῦ λοιποῦ· ἀλλ' ὡς ἑοικεν, οὐκ εἶ ἄξιος γνῶναι τὴν ἀληθῆ ταύτην πίστιν τὴν εἰς τὸν Χριστόν μου. Ἀνδρίζου οὖν, ἀντίπαλε· πολλοὺς γὰρ ἐργάτας θέλω σοι παραστῆσαι δια τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

20. Αὐτὸς δὲ διαλεγόμενος ταῦτα, ὁρᾷ εὐθέως τοὺς διακοσίους στρατιώτας ἐξ ἀποδημίας ἐλθόντας καὶ παρεστῶτας, καὶ λέγει αὐτοῖς· Δεῦτε, τέκνα, ἀκούσατέ μου, φόβον Κυρίου διδάξω ὑμᾶς. Οἱ οὖν στρατιῶται τὰ ἑαυτῶν εὐθὺς ῥιψάντες ὅπλα, προσέπεσαν τοῖς τοῦ μακαρίου Χριστοφόρου ποσίν, καὶ ἠσπάζοντο λέγοντες· Χαῖρε, καλὲ ἡμῶν φωτὴρ καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ὁδηγέ· οὐ φοβηθησόμεθα οὖν τὰ κακά, ὅτι ὁ Θεὸς δια σοῦ μεθήμῶν ἐστιν. Εἰδὼν δὲ τουτοὺς ὁ βασιλεὺς ὑφ ἓν προσκυνοῦντας τῷ μάρτυρι, ἔκραξε λέγων· Ἀντάρτης μοι γέγονας; Ἀπεκρίθη ὁ ἅγιος· Μὴ φοβοῦ, βασιλεῦ· τοῦ γὰρ ἀποκειμένου σοι πυρος οὐδεὶς ἀντάρτης γενήσεται· μόνος γὰρ σοὶ κληρονομήσεις αὐτό. Καὶ οἱ στρατιῶται εἶπαν· Ἡμεῖς, γίνωσκε, βασιλεῦ, χριστιανοί εσμεν· ἀφ οὗ γὰρ ἔπεμψας ἡμᾶς

potius quam tota urbe supereminentem Callinicen. Nunc igitur unum verbum loquere: sacrificas diis an non? Ridens vero beatus Christophorus dixit: *Jure vocatus es Decius* (capax): *aptus enim es ad recipiendam operationem diaboli; nam quia vere illius adjutorio circumduceris, nondum novisti quod non sacrifico sensu carentibus, tui similibus ac surdis statuis. Omnino sæpius tibi dixi quod non solum ego non sacrificabo, sed neque te, si fieri poterat, permitterem sacrificare iis deinceps. Verum, uti videtur, non es dignus qui cognoscas veram hanc fidem in Christum meum. Vires igitur intende, o hostis; multas enim operas volo tibi ostendere per Dominum nostrum Jesum Christum.*

20. Ipse autem hæc loquens, videt illico ducentos milites ex itinere redeuntes et præsentes, dixitque eis: *Adeste, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Milites igitur sua statim abjicientes arma, prociderunt ad beati Christophori pedes, et salutabant dicentes: *Salve, præclare illuminator noster et ad veritatem viæ dux. Non timebimus ergo mala, quia Deus per te nobiscum est.* Videns eos imperator una simul martyrem adorantes, exclamavit dicens: *Adversarius mihi factus es?* Respondit sanctus: *Ne ti-*

πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ, οὐράνιον ἄρτον ἐσθίωμεν μέχρι τοῦ νῦν· καὶ οὐκ ἀρνούμεθα τὸν Θεὸν, ἔχοντες ὁδηγὸν καὶ ποιμένα καλὸν τὸν κύριον ἡμῶν Χριστοφόρον.

21. Τότε ὁ βασιλεὺς ἀθυμίᾳ περιπεσὼν, ἤρξατο παρακαλεῖν τοὺς στρατιώτας καὶ λέγειν· Τί ἥμαρτον εἰς ὑμᾶς, ποθεινότατοί μου στρατιῶται, ὅτι ἀπέστητε ἀπεμοῦ· μὴ οἱ ἵπποι ὑμῶν ἠλαττόνησαν, ἢ τὰ βέστια ὑμῶν ἐκόπησαν; Εἰ δὲ καί τι ὑμῖν ἐλύπησα ἀγνοῶν, δεῦτε παρακαλῶ, σύγγνωτέ μοι· καὶ ὃ ἐὰν ὑστέρησα, ἀποδίδωμι διπλοῦν. Μόνον μὴ εγκαταλίπητέ με. Οἱ δὲ στρατιῶται ὡς ἐκ μιᾶς φωνῆς εἶπον πάντες· Τὴν ἐπίνοιάν σου βδελυσώμεθα· καὶ τοὺς ἵππους ἡμῶν σὺ ἔχε· καὶ τὰς ἀνόνας ἡμῶν σὺ ἔσθιε· καὶ τὰ βέστια ἡμῶν σὺ ἐνδύου ἐν τῷ ταρτάρῳ τῷ μέλοντί σε ὑποδέχεσθαι· ἡμεῖς γὰρ ἀφοῦ συνετύχομεν τῷ τοῦ Θεοῦ δούλῳ, τέλειοι ἐγενόμεθα· καὶ στερεᾶς μετειληφότες τροφῆς, οὐ φροντίζομέν σου τῶν βασάνων οὔτε μὴν τῶν ψευδονύμων σου θεῶν· ἡμεῖς γὰρ ζῶντα ὁμολογοῦντες Θεὸν, καταφρονεῖν σου δυνάμεθα. Τότε χολέσας ὁ βασιλεὺς, μᾶλλον δὲ καὶ φοβηθεὶς μὴ τούτους καὶ ἄλλοι βλέποντες προσέλθωσιν τῷ Χριστῷ, δίδωσιν ἀπόφασιν καταὐτῶν. Καὶ οὕτως συνδεθέντες οἱ διακόσιοι τῇ τοῦ ἀνόμου προστάξει, ξίφει τὰς τιμίας αὐτῶν ἐτμήθησαν κεφαλάς· καμήνου δὲ ἐκκαυθείσης μεγάλης, ἐκέλευσεν ἐν αὐτῇ τὰ σώματα τῶν ἁγίων βληθῆναι·

meas, imperator; nemo enim adversabitur tibi, ut manentis te ignis particeps fiat; nam solus tibi hæreditabis illum. Et ~~milites~~ dixerunt: *Nos, agnosce illud, imperator, christiani sumus. Ex quo enim misisti nos ad servum Dei, cœlestem panem manducavimus usque in hunc diem; et non negamus Deum, habentes ducem et pastorem præclarum dominum nostrum Christophorum.*

21. Tunc imperator in tristitiam incidens, cœpit cohortari milites et dicere : *Quid peccavi contra vos, desideratissimi milites mei, quod a me defecistis? Num equi vestri deteriores facti sunt, an vestimenta vestra trita? Si qua vero in re vos contristavi inscius, venite, quæso, ignoscite mihi ; et si qua in re tardior fui, reddo duplum. Solum ne derelinquite me.* Milites vero quasi ex uno ore dixerunt omnes: *Commentum tuum abominamur; et equos nostros tu habe, et cibaria nostra tu comede, et vestimenta nostra tu indue in tartaro te mox suscepturo : nos enim ex quo in Dei servum incidimus, perfecti facti sumus. Et solidi participes cibi, non curamus tua tormenta neque falsi nominis Deos tuos. Nos enim viventem confitentes Deum, contemnere te possumus.* Tunc iratus imperator, aut potius timens ne et alii hos videntes accedant ad Christum, dedit

καὶ ἐτελειώθησαν μηνὶ ἀπριλλίῳ· ζ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

22. Ἐκέλευσεν οὖν ὁ βασιλεὺς πρὸσάχθῆναι τὸν ἅγιον Χριστοφόρον, καὶ λέγει αὐτῷ· Ἀπονενοημένε καὶ ἐχθρὲ τῶν θεῶν, τίς ἡ τοσαύτη σου παρρησία, ὅτι ἀστρατοπέδευτόν με ἐποίησας; Εἶπεν δὲ ὁ ἀθλητὴς τοῦ Χριστοῦ· Ἐγὼ αἴτιος τούτων οὐκ εἰμὶ, ἀλλ' ὁ Χριστὸς ὁ ἐκλεγόμενος τὸν χρυσὸν ἀπὸ τῆς κόπρου καὶ τοὺς ἀξίους στρατεύων εἰς τὸ ἴδιον τάγμα, καὶ σώζων τοὺς ἐλπίζοντας ἐπαυτόν· ἀνδρίζου οὖν ἵνα δυνηθῇς ἀντιστῆναι τοῖς ἐρχομένοις ἐπὶ τὸν Κύριον μου Ἰησοῦν Χριστόν· ἐὰν γὰρ ἐπιμείνῃ ἡ ζωή μου ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, πολλοὺς πρὸσάξῃς διεμοῦ τῷ Κυρίῳ. Ὁ βασιλεὺς εἶπεν· Ἕως πότε ἀνέχομέ σου; Εἰ μὴ θέλεις θῦσαι τοῖς θεοῖς, τιμωρίαις πολαῖς πρὸσάξω σοι, καὶ πικραῖς κολάσεσι βασανιζόμενος πεισθήσῃ καὶ πρὸσκυνήσεις τοῖς θεοῖς. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἅγιος Χριστοφόρος εἶπεν· Ἄνομε καὶ υἱὲ διαβόλου, κληρονόμε τοῦ σκότους καὶ ὁδηγὲ τῆς ἀπολείας, μὴ νομίσῃς με ἐκφοβεῖν διὰ τῶν ἀπειλῶν σου· ἔχω γὰρ τὸν Θεόν μου ὑπερασπίζοντά με, καὶ οὐ δέδοικα τὰς ἀπειλάς σου. Τότε θυμωθεὶς ὁ βασιλεὺς εἶπεν τοῖς ὑπηρέταις· Ποιήσατε σὺνψέλλιον χαλκοῦν καὶ τρήσατε αὐτὸ μέσον ἐκ τῶν τεσσάρων μερῶν, κακεῖ αὐτὸν καθηλώσατε. Καὶ ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι ἑκατὸν ἑβδομήκοντα φορτία ξυλῶν, καὶ πρὸσέταξεν κυκλωθημονίαν γενέσθαι

sententiam in illos. Et ita vinctis ducentis juxta iniqui mandatum, gladio veneranda capita abscissa sunt. Camino succenso magno, jussit eo corpora sanctorum mitti. Et martyrium subierunt mense aprili die septimo, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

22. Jussit itaque imperator adduci sanctum Christophorum, et dixit ei: *Insensate atque hostis deorum, quæ tanta tua audacia ut absque exercitu me feceris?* Dixit autem athleta Christi : *Ego causa horum non sum, sed Christus, qui eligit aurum e sterquilinio; et qui digni reperti sunt, eos introducit in propriam aciem, servatque sperantes in se. Vires ergo intende, ut valeas resistere venientibus ad Dominum meum Jesum Christum; si enim permaneat vita mea in mundo hoc, multos adduces per me ad Dominum.* Imperator dixit: *Quousque sustineo te? Si non vis sacrificare diis, pœnas multas adducam tibi, et amaris suppliciis tortus obedies et adorabis deos.* Respondens autem sanctus Christophorus, dixit : *Inique et fili diaboli, hæres tenebrarum et dux perditionis, ne arbitreris me terrere minis tuis : habeo enim Deum meum clypeo tegentem me, et non timeo minas tuas.* Tunc ira repletus imperator, dixit ministris : *Facite scamnum æneum et perforate illud medium a*

καὶ καλυφθῆναι αὐτὸν ὡς σκηνὴν, καὶ ἐκέλευσεν ἐλαίου ὑδρίας εἴκοσι ἐνεχθῆναι καὶ ἀντληθῆναι ἐπάνω τῶν ξυλων, καὶ ἀφθῆναι εἰς ἀρχὰς τρεῖς.

23. Καυθέντος δὲ τοῦ χαλκόματος καὶ στίλβοντος ὑπὲρ τὴν φλόγα, καὶ πάντων τῶν χριστιανῶν ἅμα δὲ καὶ τῶν ἑλλήνων ἑστώτων καὶ τηρούντων · τῶν μὲν χριστιανῶν ὅπως ἂν καταξιωθῶσιν τῶν ἁγίων αὐτοῦ λειψάνων · τῶν δὲ ἑλλήνων τὸν θάνατον αὐτοῦ κατεπειγόντων ἰδεῖν, ὁ μέγας τοῦ Χριστοῦ ἀθλοφόρος εἰσελθὼν ἐν τῇ καμήνῳ, ἐκαθέζετο ὡς ἐπι σκάμνου μέσον αὐτῆς. Καὶ διηγεῖτο τοῖς ἑστῶσιν ὄχλοις, λέγων · Ἐθεώρουν ἀνα μέσον τῆς ἀγορᾶς τῆς πόλεως ἄνδρα ὑψηλὸν τῷ εἴδει καὶ ὡραῖον · οὗ τὸ πρόσωπον ἔλαμπεν ὡς ὁ ἥλιος · τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ λευκὰ ὡσει χιὼν · ὁ δὲ στέφανος τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ὑπέρκαλλος σφόδρα, οὗ τὴν δόξαν διηγήσασθαι οὐ δύναμαι. Στρατιῶται δὲ ὀλίγοι σὺν αὐτῷ καὶ αὐτοὶ ἔνδοξοι σφόδρα. Καὶ ἄλλον ἐθεώρουν μέλανα ἐν μελανίᾳ πολλῇ, καὶ πολλοὶ στρατιῶται ὅμοιοι αὐτοῦ μέλανες, ὧν ἡ θρὶξ ὡς ἄλυσις πεπλεγμένη, καὶ πολλὴ πανοπλία μεταύτόν · συνέρρηξεν τοιγὰρ οὖν πόλεμον ὁ ἔνδοξος, καὶ κατεπράξατο αὐτὸν ὁ ἄτιμος, καὶ τὸν στρατὸν αὐτοῦ ἀπέκτεινεν, καὶ ἐκαυχᾶτο χρόνον τινὰ ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ. Μετὰ τοῦτο δὲ ἐπεστράφη ὁ ἔνδοξος ἐν θυμῷ καὶ ὀργῇ, καὶ ἐδιχοτόμησεν τὸν στρατὸν αὐτοῦ, καὶ τὸν ἄτιμον ἐκεῖνον βασιλέα κρατήσας ἔδησεν ἁλύσεις πεπυρωμέναις, καὶ ἐγένετο ὁ ἔνδοξος καταλύων τὰς ἐκείνου οἰκίας τὰς πρότερον, καὶ τὴν κοίτην αὐτοῦ ἀνέσκαψεν.

quatuor partibus, ibique illum clavis affigite. Jussitque afferri centum septuaginta fasces lignorum,et præcepit ut in circulum accumularentur, ipsumque abscondi ut tentorio, et jussit olei hydrias viginti afferri effundique super ligna, et accendi a tribus partibus.

23. Candenteque præ calore ferramento et scintillante supra flammam, cunctisque christianis una cum græcis stantibus et observantibus, christianis quidem ut digni fierent sacras ejus reliquias capessere,græcis vero mortem ejus cupidis videndi, magnus Christi decertator ingressus in caminum, sedit ut in scamno medius. Et narrabat adstantibus turbis, dicens: *Videbam in medio urbis foro virum sublimem specie ac decorum, cujus facies lucebat ut sol, vestes vero eius candidæ ut nix. Corona autem capitis ejus supra modum pulchra valde, cujus gloriam enarrare non valeo. Milites vero pauci cum eo, atque ipsi gloriosi valde. Et alium videbam nigrum nigredine multa; et multi milites similes illi nigri,quorum crines ut catena plexi erant, et multa arma sequebantur. Commisit ergo bellum gloriosus, et debellavit eum turpis, et exercitum ejus occidit, et gloriatus est aliquamdiu super throno suo. Post hæc*

24. Οἱ δὲ ὄχλοι ταῦτα ἀκούοντες καὶ βλέποντες ἀϐλαϐῆ αὐτὸν φυλαττόμενον ἐκ τῆς φοϐερᾶς ἐκείνης βασάνου, ὡς μηδὲ θρὶξ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἀπολεσθῆναι ἢ ὀσμὴν πυρὸς γενέσθαι ἐν αὐτῷ, μεγάλῃ τῇ φωνῇ χίλιοι ἄνδρες ἐκ τοῦ ὄχλου ἀνέκραξαν, λέγοντες· Δόξα σοι, ὁ Θεὸς Χριστοφόρου, βασιλεῦ οὐράνιε, δόξα σοι· καὶ ἡμεῖς πάντες σοὶ πιστεύωμεν τῷ δυναμένῳ σώζειν τοὺς ἐλπίζοντας ἐπι σοί· ἀληθῶς οἶδεν οὗτος ὁ δοῦλος σου καὶ ἐπίστευσεν ὡς οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν σοῦ Θεός. Καὶ εἰπόντες ἅμα· Ὁ Θεὸς τῶν θεῶν, ὁ ποιῶν μεγάλα θαυμάσια, βοήθησον καὶ ἡμῖν ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ, εἰσῆλθον εἰς τὸ πῦρ καὶ ἐξέβαλον τὸν ἀθλητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἔκραξαν ἅπαντες ὁμοῦ· Αἰσχύνθητι, Δέκιε· ὁ Χριστὸς γὰρ ἐνίκησέν σε, καὶ πᾶσα ἡ παράταξίς σου κατήργηται. Ἀκούσας δὲ τὴν κραυγὴν ταύτην ὁ βασιλεὺς, πτωηθεὶς ἀνεχώρησεν τοῦ σεκρέτου καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ παλάτιον. Τότε ὁ διάβολος μετασχηματισθεὶς εἰς ἄνθρωπον, εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως, λέγων τῷ βασιλεῖ· Ἐξέλειπεν, ὦ βασιλεῦ, ἡ θρησκεία ἡμῶν, ἐὰν μὴ ἑαυτῷ βοηθήσῃς· ἰδοὺ γαρ τηλικούτου ἐκκαύματος γενομένου, αὐτὸς δια μαγείας τὸ πῦρ ἐχαλίνωσεν· καὶ ὑφὲν τοσοῦτοι ἐπίστευσαν τῷ λόγῳ αὐτοῦ· καὶ ἀκήκοα αὐτῶν σκεπτομένων ἀνελεῖν σε.

conversus est gloriosus cum ira ac furore, et medium cecidit exercitum ipsius; turpem istum regem captum vinxit catenis ignitis, cœpitque gloriosus destruere domos ejus quas antea possederat, et lectum ejus exscidit.

24. Turbæ vero hæc audientes et videntes illæsum eum conservatum ex tremendo illo tormento, ita ut ne capillus quidem capitis ejus periisset, vel odor ignis esset in eo, magna voce mille viri ex turba exclamaverunt dicentes : *Gloria tibi, Deus Christophori, rex cœlestis, gloria tibi; etiam nos omnes in te credimus, valentem servare sperantes in te. Vere novit hic servus tuus et credidit quod non est alius præter te Deus.* Et una simul dicentes : *Deus deorum, faciens magna mirabilia, auxiliare et nobis in hora hac,* ingressi sunt in ignem et ejecerunt athletam Christi, et clamaverunt omnes simul : *Pudeat te, Deci ; Christus enim vicit te, et tota acies quam instruxisti, inutilis facta est.* Audiens autem clamorem istum imperator, perterritus e secretario recedens, introivit in palatium. Tunc diabolus transfiguratus in hominem, ingressus est domum imperatoris, dicens imperatori : *Concidit, o imperator, cultus noster, nisi tibi subvenias; ecce enim tanto incendio facto, ipse per magiam ignem freno compescuit, et repente tot crediderunt verbo ejus, et audivi ipsos deliberantes te de medio tollere.*

25. Πρωΐας δὲ γενομένης, ἐκέλευσεν ὁ Δέκιος θυσίαν γενέσθαι τοῖς εἰδώλοις, καὶ τοὺς κήρυκας ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν ἑστῶτας πρὸσφωνεῖν· Σήμερον θυσία πρὸσφέρεται τοῖς θεοῖς, καὶ πάντες πρὸσέλθατε· ὅστις δὲ μὴ συνέλθῃ, τῷ ξίφει τιμωρηθήσεται. Πάντων δὲ συνερχομένων ἐπὶ τῇ τῶν δαιμόνων θυσίᾳ, ὁ μακάριος Χριστοφόρος παραλαβὼν τὸ πλῆθος τῶν πιστευσάντων τῷ Χριστῷ, ἦλθεν ἐπὶ τὸν προκείμενον τόπον, ὅπου ἡ κάμηνος γέγονεν, καὶ ἤρξατο ψάλλειν αὐτὸς οὕτως· Λαμπρὸς ὁ στέφανος· φαιδρὸς ὁ παράδεισος· ἔλαιόν ἐστιν ἡ καύστρα· μικρὸν ὑπομείνομεν, ἵνα στεφανωθῶμεν. Καὶ οὕτως ὑπέψαλεν αὐτὸ πᾶν τὸ πλῆθος· ὥστε ἀπο τῆς ἡδύτητος τῶν ψαλλόντων τῆς φωνῆς πολλοὺς τῶν ἑλλήνων ἔρχεσθαι πρὸς αὐτούς. Τινες οὖν τῶν θερμοτέρων τῆς ἑλληνικῆς θρησκείας, ἐμήνυσαν τῷ βασιλεῖ, λέγοντες· Ἐπήρθη, βασιλεῦ, ἡ θρησκεία ἡμῶν· ἐὰν γὰρ μὴ ἑαυτῷ βοηθήσῃς, ἀποθνήσκῃς. Ἐκπηδήσας δὲ ὁ βασιλεὺς ἀπὸ τοῦ παλατίου ἔνοπλος, καὶ καθίσας ἐπι τοῦ βήματος πλήθους στρατιωτῶν παρισταμένων αὐτῷ μετὰ ὅπλων· οἵτινες προστάξει τοῦ τυράννου κυκλώσαντες τοὺς ἁγίους εἰς ἀρχὰς ἑπτὰ, ἤρξαντο τέμνειν αὐτούς· ὁ δὲ μακάριος Χριστοφόρος μέσον αὐτῶν ἱστάμενος, παρεθάρυνεν λέγων· Ὑπομείνατε, ἀδελφοί μου, ὑπομείνατε· ἡ γὰρ τοῦ παραδείσου διαγωγὴ ὑμετέρα ἐστὶν· ἡ δὲ τοῦ αἰωνίου πυρὸς ἐκείνων. Οἱ δὲ τοῦ ἁγίου ἀκούοντες, ἔδιδον ἑαυτοὺς προθύμως εἰς τὸ ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ·

25. Mane autem facto, jussit Decius sacrificium fieri idolis, et præcones in sublimi stantes proclamare : *Hodie sacrificium offertur diis, cunctique procedite ; qui vero non processerit, gladio punietur*. Omnibusque convenientibus ad dæmonum sacrificium, beatus Christophorus, assumpta multitudine eorum qui in Christum crediderant, ivit in subjectum locum ubi caminus fuerat. Cœpitque psallere ipse in hunc modum : *Splendida corona, illustris paradisus ; oleum est ustio ; paululum sustinemus ut coronemur*. Et sic subcinuit ipsa tota multitudo, ita ut propter suavitatem vocis psallentium multi græcorum irent ad eos. Quidam igitur ex studiosioribus græcanici cultus suggerebant regi dicentes : *Sublatus est, imperator, cultus noster ; nisi enim tibi ipsi auxilio sis, periisti*. Exsiliens autem imperator ex palatio armatus, pro tribunali sedit, copia militum adstante ipsi sub armis. Qui præcipiente tyranno, circumdantes sanctos a septem partibus, cœperunt cædere eos. Beatus vero Christophorus medius inter eos constitutus, animos addebat, dicens : *Sustinete, fratres mei, sustinete ; paradisi enim mansio vestra est, æterni vero ignis, istorum*. Ipsi vero sancto obedientes tradiderunt sese alacriter in mortem pro Christo, atque ita

καὶ οὕτως λοιπὸν ἀνελεημόνως κατετμήθησαν · οὐ γὰρ ἀπεκεφάλισεν αὐτούς, ἀλλ' ὡς λύκος ἐν μάνδρᾳ ὅταν μὴ ἕυρῃ ποιμένα, οὕτως αὐτοὺς ἀχρείως κατέτεμνεν.

26. Τούτων οὖν οὕτως ἀναλωθέντων μηνὸς ἰουλίου ἐννάτῃ, συλλαβόμενος ὁ βασιλεὺς τὸν ἅγιον Χριστοφόρον, ἀπήει εἰς τὸ παλάτιον · ἐκέλευσεν δὲ λίθον μέγα ὃν τριάκοντα ἄνδρες μόλις ἤνεγκαν, τρηθῆναι τὸ ἓν μέρος αὐτοῦ καὶ βληθῆναι ἅλυσιν καὶ περιτεθῆναι εἰς τὸν τράχηλον τοῦ ἁγίου, καὶ ῥιφῆναι εἰς φρέαρ ξηρὸν ὃ ἦν ἐκεῖσε βαθύτατον, λέγων · ὅτι οὕτως ποιήσω αὐτὸν, ὥστε μηδὲ ὀστοῦν αὐτοῦ εὑρεθῆναι ποτέ. Τοῦ δὲ ἁγίου Χριστοφόρου μετὰ τοῦ λίθου ῥιφέντος κατὰ τοῦ βαθυτάτου ἐκείνου φρέατος, ὁ μὲν λίθος περιφερόμενος συνετρίβη καὶ ἐγένετο ὡσεὶ κονιορτός · ὁ δὲ ἅγιος ὑπὸ ἀγγέλων ἀναρπασθεὶς, ἦλθεν εὐθὺς ἔμπροσθεν τοῦ παλατίου. Ἐμηνυθὴ οὖν αὐτίκα τῷ βασιλεῖ, καὶ κελεύει κρατηθῆναι αὐτὸν καὶ λέγει πρὸς αὐτόν · Διατί ταῦτα ποιεῖς ταῖς μαγείαις σου τὰ παράδοξα ; Ὡς οὖν οὐκ απεκρίθη αὐτῷ ὁ ἅγιος, θυμωθεὶς πάλιν ὁ τύραννος κελεύει χαλκοῦν γενέσθαι καράκαλον καὶ πυρωθέντα ἐνδυθῆναι τὸν ἅγιον. Ὡς δὲ καὶ μετὰ τὴν σφοδρὰν ταύτην βάσανον ἀβλαβὴς ἐτηρεῖτο ὁ ἅγιος, πάλιν ανεδίᾳ χρησάμενος εἶπεν πρὸς αὐτόν · Κἂν ἄρτι ἄκουσόν μου καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς. Ὁ δὲ ἔφη · Κύριε παντοκράτωρ, Ἰησοῦ Χριστὲ, δέξαι τὸ πνεῦμα μου λοιπὸν, ὅπως καγὼ ἀναπαύσομαι ἐν τῇ δόξει

deinde crudeliter concisi sunt. Non enim capita ipsis amputabat, sed velut lupus in ovili, quando non reperit pastorem, sic eos temere trucidavit.

26. His ergo hoc modo deletis, mensis julii die nona, assumpto imperator sancto Christophoro, abiit in palatium. Jussit autem lapidem magnum quem triginta viri vix portare poterant, ab una parte perforari, immittique catenam eamque circumponi collo sancti, et jactari hunc in puteum siccum qui erat ibi, profundissimus quidem, dicens se ita facturum ei ut ne os quidem ejus inveniretur aliquando. Sancto vero Christophoro cum lapide misso in profundissimum istum puteum, lapis in ima delatus contritus est et factus est uti pulvis. Sanctus vero ab angelis ereptus, ivit recta via in conspectum palatii. Indicatum est itaque statim imperatori, et jubet eum capi et dicit ad eum : *Quare hæc facis artibus magicis tuis paradoxa?* Ut ergo non respondit ipsi sanctus, iratus iterum tyrannus jubet ex ære fieri caracallam, ignitamque indui sancto. Quum vero etiam post vehemens istud tormentum illæsus inveniretur sanctus, iterum impudentia usus, dixit ad eum : *Nunc saltem audi me et sacrifica diis.* Ipse vero dixit : *Domine omnipotens, Jesu Christe, suscipe spiritum*

σου· καὶ ταῦτα εἰπὼν, πάλιν κύψας προσηύξατο. Ἰδὼν δὲ ὁ βασιλεὺς τὴν ἔνστασιν τοῦ ἁγίου καὶ ὡς ἀμετάθετός ἐστιν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ αὐτοῦ, ἔδωκεν κατ' αὐτοῦ τὴν ἀπόφασιν, εἰπών· Χριστοφόρον ἀθετήσαντα τοὺς θεοὺς καὶ τὰ προστάγματά μου, κεφαλικὴν τιμωρίαν ὑποστῆναι κελεύω.

27. *Λαβὼν οὖν ὁ ἅγιος τὴν ἀπόφασιν, ἐξῆλθεν τοῦ παλατίου, καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν τῆς τελειώσεως αὐτοῦ τόπον, καὶ εἰδὼν πολλοὺς τῶν χριστιανῶν ἀκολουθοῦντας καὶ δακρύοντας, εἶπεν τῷ κατέχοντι αὐτῷ στρατιώτῃ· Μεῖνον, ὅπως πρὸσεύξομαι. Καὶ ἑστὼς προσηύξατο οὕτως· Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ πλειστάκις μοι βοηθήσας, ἀπόδος τῷ βασιλεῖ τὸν μισθὸν, ἵνα ὑπο δαιμόνων τιμωρούμενος καὶ ἀντὶ ἄρτου τὰς σάρκας αὐτοῦ ἐσθίων, οὕτως ἀναλωθῇ· Αἰτοῦμαι σοι δὲ, παντοκράτωρ μόνε, ἀόρατε βασιλεῦ καὶ τῶν σὲ φιλούντων σωτήρ, βοήθησον καὶ τοῖς χριστιανοῖς τοῖς ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ ἑστῶσιν, καὶ πανταχοῦ, καὶ δὸς, Κύριε, χάριν τῷ σώματί μου, ἵνα πᾶς ὁ ἔχων βραχύ τι λείψανόν μου φανερῶς δύναται δι αὐτοῦ ἀπελαύνειν τοὺς δαίμονας· ἀλλὰ καὶ ἐπειδὴ πολλοὶ ζητοῦσί με εἰς πόλιν ἔχειν, ἢ χώραν, ἢ ἀγρὸν, ἢ ἐν οἵῳ δήποτε τόπῳ, μὴ ἐπέλθῃ αὐτοῖς ἐκεῖ, δέσποτα, χάλαζα μήδε θυμὸς, μήδε ἀφορία ἀμπέλου· ἀλλ' εἰ καί ποτε ἠδικοῦντο, ἀπελθόντος μου ἐκεῖσε, φύλαξον τοὺς τόπους αὐτῶν, ὅπως οὗτοι ἀφθόνως λαμβάνοντες τὰς αἰτήσεις αὐτῶν, σὺν σοὶ τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ τιμήσωσι καὶ*

meum in posterum, ut et ego requiescam in gloria tua. Quibus dictis, iterum inclinatus orabat. Videns autem imperator invictum sancti propositum et quam immobilis esset in confessione sua, protulit in eum sententiam, dicens: *Christophorum reprobantem deos et mandata mea, capitalem pœnam subire jubeo.*

27. Accepta ergo sanctus sententia, exivit e palatio, tendensque ad consummationis suæ locum, vidensque multos christianos sequentes et lacrymantes, dixit tenenti se militi: *Siste, ut orem,* et stans oravit sic: *Jesu Christe, qui sæpius mihi auxiliatus es, redde imperatori mercedem ut a dæmone tortus, et pro pane carnem suam manducans, pereat. Supplico tibi, omnipotens, solus invisibilis rex et te amantium servator, auxiliare etiam christianis in hoc loco stantibus et ubique existentibus, et concede, Domine, gratiam corpori meo ut unusquisque habens parvas quasdam reliquias mei, aperte valeat iis abigere dæmones. Verum etiam quum multi quærunt me in urbe sua habere, vel regione vel agro vel in qualicumque loco, ne adveniat iis ibi, Domine, grando neque ira, neque sterilitas vineæ; sed si etiam quandoque injuriam passi sunt, veniente me illuc, serva loca*

ἐμὲ, τὸν πολλά σε ποθήσαντα, εις τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Καὶ ἦλθεν αὐτῷ φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ · Κατὰ τὸ αἴτημά σου ἔσται σοι, καὶ οὐ μὴ λυπήσω σε ἕως τοῦ αἰῶνος · καὶ ἐν τούτῳ θαυμασθήσει, ὅτι ἐμερίμνησας περὶ τούτου καὶ ὡς ᾔτησας γέγονεν. Σὺ οὖν τὸ λοιπὸν παράριψον τοῖς θέλουσι τὸ σῶμα σου · καὶ ἔσται ὃς ἐὰν μνημονεύσει ἀξίως τοῦ ὀνόματός σου, ἐπικαλούμενός σε πρὸς πρεσβείαν, φεύξεται τῆς ἀνάγκης. Καὶ ταῦτα ἀκούσας, εὐθὺς λέγει τῷ σπεκουλάτωρι · Δεῦρο, τέκνον, τὸ κελευσθὲν σοι ποίησον · καὶ ποίησας ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐν Χριστῷ σφραγῖδα ὁ ἅγιος, μὴ πειθομένου τοῦ σπεκουλάτορος ἀποκεφαλισαι τὸν ἅγιον, ὥρκισεν αὐτὸν ἐκπληρῶσαι τὸ τοῦ βασιλέως πρόσταγμα · ὃς τὴν τοῦ ἁγίου κάραν ἀποτεμὼν, εὐθὺς καὶ ἑαυτὸν ἐπάνω τοῦ ἁγίου ἔσφαξεν.

28. Τότε παραγενόμενος ὁ ἐπίσκοπος Ἀταλίας Πέτρος καὶ δοὺς ἀργύρια ἱκανὰ, καὶ λαϐὼν τὸ τοῦ ἁγίου σῶμα, καὶ ἐν ὀθονίοις καὶ μύροις εἰλήσας, προσεκόμισεν τῇ πόλει αυτοῦ, συνορούσῃ τῇ Ἀντιοχείᾳ Περσίδος · ἐν ᾗ πολλὰ καὶ μεγάλα καθεκάστην ὁ Θεὸς ποιεῖ δι αὐτοῦ θαύματα · εἰς δόξαν τοῦ ἁγίου αὐτοῦ μεγαλομάρτυρος Χριστοφόρου. Τοῦ βασιλέως δὲ Δεκίου μετὰ τὸ τελειωθῆναι τὸν ἅγιον ἐν φρίκῃ εὐθὺς πεσόντος, θεηλάτῳ ὀργῇ, ὥσπερ χιῶνος ὑπο νότου λυομενου, τοιούτῳ τρόπῳ τοῦ σώματος αὐτοῦ διαλυθέντος, τῷ αἰωνίῳ πυρὶ ἐξεπέμφθει κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου αἴτησιν. Ἐτελειώθη ὁ

ipsorum, ita ut large suscipentes fructum precum suarum, tecum, hominum amator Deus, honorent et me, multo te desiderio amantem in sæcula. Amen. Et venit ei vox de cœlo : *Secundum petitionem tuam erit tibi, et non affligam te usque in sæculum ; et in hoc mirabuntur te, quod curam habuisti illius rei et sicut petiisti, factum est. Tu ergo deinceps projice volentibus corpus tuum, et erit quod si quis memoriam fecerit dignam nominis tui, invocans te ad intercessionem, effugiet necessitatem.* Quibus auditis, statim dixit spiculatori : *Adesdum, fili ; quod mandatum tibi, fac ;* factoque in seipso quod in Christo est signaculo sanctus, quum spiculatori non persuasisset ut sancto caput amputaret, ipsum adjuravit ut impleret imperatoris mandatum. Qui sancti capite abscisso, statim et seipsum super sanctum occidit.

28. Tunc accedens episcopus Attaliæ Petrus, datoque argento plurimo, acceptum sancti corpus velis ac balsamis involutum portavit in urbem suam, conterminam Antiochiæ Persidos : ubi multa et magna per singulos dies Deus operatur per ipsum prodigia, in gloriam sancti sui magni martyris Christophori. Imperator autem Decius post sancti martyrium in horrorem statim incidit, ac divina ira, ut nix spirante

μέγας τοῦ Χριστοῦ μαρτυς Χριστοφόρος μηνὶ μαΐῳ ἐννάτῃ, ἡμέρᾳ τετάρτῃ, βασιλεύοντος τοῦ ἀσεϐέστατου Δεκίου · καθήμᾶς δὲ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ · ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

noto soluta, eodem modo corpore ejus dissoluto, æterno igni transmissus est, secundum sancti petitionem. Consummatus est magnus Christi martyr Christophorus mense maio, die nona, feria quarta, imperante impiissimo Decio, apud nos vero Domino nostro Jesu Christo, cui gloria et potestas cum Patre principio carente, et cum sancto et vivifico ipsius Spiritu, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM.

Signa quædam typographica in primis recognitionibus dubia, postea mendosa apparuerunt. Sic emendandum :

p. 128,	lin. 7 :	Χριστὲ	pro	Χριστέ
129,	l. 4 :	ἐφωτίσθη	»	ἐφωτίσθη
»	l. 5 :	δὲ	»	δέ
131,	l. 13 :	αὐτούς	»	αὐτοὺς
132,	l. 3 :	ἐχόμενα ... ἔθεντό	pro	ἔχόμενα ... ἔθεντὸ
»	l. 10 :	δὲ	pro	δέ
»	l. 14 :	δὲ	»	δέ
133,	l. 1 :	τὰ	»	τά
»	l. 10 :	Χριστὲ	»	Χριστέ
134,	l. 2 :	ὑμεῖς ... ἀπὸ	»	ἡμεῖς ... ἀπο
»	l. 11 :	ἐμοῦ	»	ἐμοῦ
»	l. 19 :	ἑαυτὴν	»	ἑαυτὴν
135,	l. 15 :	αὐτὸν	»	αὐτόν
136,	l. 11 :	φαντάζοντες	»	φαντάζουτες
143,	l. 14 :	τῷ	»	τῶ

HISTORIA

INVENTIONIS ET MIRACULORUM

SANCTI GILDUINI

UNA CUM PROLOGO

NUNC PRIMUM EDITA.

Vitam S. Gilduini Canonici Dolensis, in episcopum hujus civitatis electi quidem, sed mox coram S. Gregorio VII Romano pontifice resignata sede non consecrati, ac paulo post, ut in ipsa illa Vita legitur, in monasterio S. Petri in Valle apud Carnotum, anno 1076 (seu 1077) mortui, ediderunt majores nostri ad diem 27 Januarii (1) ex Augustino Du Paz, qui eam primus ex mss. Carnotensibus vulgavit (2). Is autem suppressit prologum et miracula post mortem, sive quod codex unde Vitam hausit minus integer esset, sive potius quia male feriatus illa minoris momenti judicaverit. Profitetur enim innumera a se prætermissa esse miracula quæ *in sepultura* S. Gilduini et deinceps contigerunt. Unde et manifestum fit quam obiter documenta illa perlegerit, siquidem in ejus codice non essent mutila. Distincte enim in prologo suo queritur auctor Vitæ, idemque, ut ex eodem prologo constat, historiæ inventionis et miraculorum, nihil de miraculis statim post sancti sepulturam et deinceps usque ad inventionem corporis (anno 1165) Gilduini invocatione impetratis, scripto consignatum esse, sed solam quamdam eorum generalem famam servatam, atque per duplicem generationem ad sua usque tempora transmissam (3); nec ulla alia ipse refert præter ea quæ post inventionem sacri corporis facta comperit usque ad annum 1171.

Hæc autem relatio eo majoris pretii est quod a scriptore illius temporis accurate confecta, multa nomina tum personarum tum locorum minutatim citat : quod in hoc genere scriptorum ab eruditis præcipue æstimatur. Non pauca etiam ad mores illius ævi agnoscendos confert.

Prodeunt itaque jam in Analectis nostris ab Augustino Du Paz omissa prologus et miracula, secundum apographum *ex ms. codice cœnobii S. Petri in Valle apud Carnotum* ad Joannem Mabillonium olim transmissum, quod deinde ad majores nostros pervenit *dono D. Amabilis Mabillon Benedictini in S. Germani de Pratis Parisiis,* 1670 (quæ posterior indicatio manu Henschenii in capite codicis inscripta est) et hodieque servatur in

(1) *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 791-793. — (2) *Histoire généalogique de plusieurs illustres maisons de Bretagne* (Paris 1620), p. 501. — (3) Infra, num. 5-7.

musæo nostro Bollandiano. Vitam autem ipsam jam inter *Acta Sanctorum*, ut monuimus supra, ex Augustino Du Paz recusam, prætermittendam judicavimus, neque etiam ad eam variantes lectiones ex apographo nostro adscribendas : nulla enim videtur alicujus momenti, si excipias nomen episcopi Dolensis, qui in Vita edita (1) *Johoneus*, in codice autem nostro *Volpenus* appellatur. Præterea in Vita edita desideratur quidam scriptoris excursus, qualis et in subsequente historia miraculorum non unus legitur, quemque ideo hic exscribendum duximus. Hac ratione igitur post narratum miraculum de dæmone sub specie hominis latente et per S. Gilduinum detecto (2), prosequitur scriptor :

Ecce per sanctum nostri fere temporis, adolescentem Gilduinum, miracula per sanctos antiquiores antiquioribus temporibus facta, ordinator et ornator sanctorum omnium Dominus nobis est renovare dignatus. Ecce sicut longe olim per sanctum Martinum diabolus in suis phantasiis deprehensus est, devictus et effugatus, ita et recentiore tempore per sanctum Gilduinum phantasiæ diabolicæ et detectæ sunt et exinanitæ. Ecce eodem miraculo et antiquiora per illum et per istum recentiora tempora sunt insignita. Plane credendum est et * fatendum æqualis sanctitatis sanctum utrumque fuisse, qui in eodem miraculo paris fuisse probantur virtutis. Vinctum tenuit diabolum in arreptitio suo sanctus Ægidius, ut non posset evadere inimicus donec licentiam daret sanctus. Sic et sanctus Gilduinus vinctum in suis phantasiis tenuit inimicum et fugavit. Sic æquales præmiis credendi sunt esse amici Dei, quos pares esse liquet et meritis. Absit autem ut succensere credantur antiquiores sancti, si eis comparentur * recentiores. Absit ut eos mordere possit invidiæ pestis, in quibus regnare probatur unitas charitatis. Non succenseat nobis quisquam nec indignetur, si de parilitate miraculorum vel potius identitate, et meritorum æqualitatem * pensare velimus et præmiorum. Congratulari nos potius decet sanctis et congaudere, quod sicut antiquorum sanctorum tempora eorum sunt miraculis illustrata, ita nostri fere synchronici Gilduini nostra sunt tempora insignita. Ille in omnibus laudandus Dominus est et glorificandus, qui semper idem in omnibus, et eadem et diversa operatur, ipse numquam diversus prædicatur.

* om. cod.

* cooperentur cod.

* æqualitate cod.

Prædicatur de quodam sancto Juliano, qui ex virtute operis invenit hospitalis et meritum scilicet et præmium. Meritum scilicet, quod post relictam clarissimam seculi militiam una cum

(1) *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 791, n. 3. — (2) Ibid., n. 8-12.

nobilissima conjuge sua, cujus præpollente conjugio ipse prius exul et nobilitate fuerat et egregia hæreditate exaltatus, tandem ad tantæ potestatis humilitatisque se disposuit officium, ut et ipse et ipsa exules sponte facti, secus littus cujusdam fluminis humile satis hospitium sibi post relicta castellorum dominia collocarent, deservirentque cum omni humilitatis studio transvectandis parvo satis navigio revectandisque viatoribus. Simul hoc * eorum meritum et multiplex fuisse prædicatur et diuturnum. Cui scilicet merito eorum retributum divinitus fuisse celebratur tantæ gloriæ præmium, ut nocte quadam cum jam pararent ire cubitum, audierint ab ulteriore ripa fluminis clamari *adducite navigium*. Quod cum licet fatigati transmeassent, invenerunt miræ venustatis senem, cæsarie et barbæ nivio candore angelicum, quem cum navicula receptum transvectassent et duxissent ad hospitium, audiverunt secundo clamari *adducite navigium*. Quod cum fecissent, inventumque alium similem senem ad hospitium revectassent, tertio audierunt similem de adducendo navigio clamorem. Quod cum invicta tanto labore pietate fecissent, multo gloriosiorem prioribus ad hospitium transvexere seniorem. Quibus cum et focum et cibum, mensa quoque apposita, ministrarent, audierunt in lætitia cordis sui gloriosissimi illius quem ultimum et nave et hospitio exceperant, senioris vocem sibi dicentem: *Scitote, boni hospites nostri, me quidem vestrum et omnium Dominum esse Christum : hos autem, qui dextera lævaque mecum resident, apostolos meos esse, Petrum et Paulum. Confidite ergo quia et nos excipiemus vos et ministrabimus in regno cœlorum.* Et his dictis disparuerunt. O quanta cordis lætitia credendi sunt exultasse Julianus et uxor ipsius, quibus pro tantis meritis suis tantum tantæ visitationis officium præmium inchoatum fuit in terris et in cœlesti gloria cum angelis cumulatum. Hujus et meriti et præmii nequaquam expers credendus est esse ille sancti hospes Gilduini, cujus hospitalitatis occasione non incongruam nec inutilem nos putamus fecisse digressionem. Sed jam ad ordinem redeatur narrationis, ut sancti adolescentis Gilduini explicetur ordo finisque peregrinationis.

* simul. Hoc *cod.*

Digressus a loco in quo tantum patraverat miraculum, etc. sicut in Vita edita (1).

(1) *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 793, num. 13 seqq. usque ad finem.

Præter apographum nostrum non aliud novimus exemplar vetus Vitæ et miraculorum S. Gilduini nisi quod continetur in codice nunc bibliothecæ publicæ civitatis Carnotensis, sub numero 51 inter codices manuscriptos hujus bibliothecæ locatus. Inscriptus est ille codex *Apothecarius moralis monasterii sancti Petri Carnotensis*, et in eo non semel notatur, et quidem distincte omnino fol. 319 v°, eam collectionem compilatam esse anno 1373 (1). Is igitur a folio 128 v° ad folium 142 (est autem admodum parvus amplitudine) exhibet Vitam seu potius excerpta ex Vita et miraculis S. Gilduini; sed monuit nos R. P. Dom. Franciscus Plaine, O. S. B., qui diligenter hæc et codicem nostrum inspexit, nullam in his reperiri lectionem variantem notatu dignam : unde eadem impune a nobis negligi posse arbitrati sumus.

Jam de ipsius lucubrationis auctore. Hunc fuisse monachum cœnobii S. Petri Carnotensis, exordio Præfationis palam significatur (2), et deinde non semel tum in Vita (3) tum in historia inventionis et miraculorum (4). Profitetur etiam Præfationis auctor Vitam S. Gilduini a se non ex documentis scriptis haustam, sed a senioribus seu orali traditione acceptam (5). Inventioni sacri corporis ipse interfuit (6) ; hæc autem contigit abbate Fulchero (7), qui monasterium S. Petri rexit saltem a mense Septembri anni 1151 : nam pridie Calendas Octobris hujus anni subscripsit diplomati Gisleni episcopi Carnotensis pro Josaphatensi monasterio (8) ; in charta vero anni 1146 adhuc abbas indicatur Udo (9). — Distinctius inventio aut saltem translatio ad sacellum S. Nicolai (10) facta refertur die 9 Maii 1165 (11), non tamen, ut videtur, antiquiore auctoritate quam Bernardi Aubert, qui anno circiter 1670 historiam monasterii S. Petri compilavit (12) adhuc ineditam. — Denique, miracula conscribens Anonymus quæ ad novum sepulcrum S. Gilduini vel ejusdem invocatione contigerunt usque ad annum 1171, huic ultimum a se scripto consignatum distincte illigat (13).

Horum quædam eo tempore facta sunt quo bellum inter se gerebant *reges* (14), Franciæ utique et Angliæ, id est a mense Junio anni 1167 usque ad festum Epiphaniæ anni 1169 (15). Neque omnia miracula uno tempore nec eo ordine quo impetrata sunt, scripto consignavit auctor noster, sed ut singula ad ejus notitiam veniebant (16) : unde diversis locis significat

(1) *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque de la ville de Chartres* (1840), pp. 139, 142. — (2) Infra, num. 1. — (3) *Act. SS.*, tom. cit., p. 793, n. 15. — (4) Infra, numm. 9, 18 extr., 31, 32, 57, 58, 64. — (5) Infra, num. 3 extr. — (6) Num. 9 init. — (7) Num. 12. — (8) *Gallia christiana*, tom. VIII, Instrum., p. 335. — (9) *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*. Ed. Guérard (Paris 1840), tom. II, p. 390-391. — (10) Infra, num. 12. — (11) *Gall. christ.*, tom. cit., p. 1226. — Guérard, tom. I. Prolégomènes, n. 247. — (12) Guérard, ibid., n. 242. — (13) Infra, num. 64. — (14) Numm. 45 et 44, 51, 54. — (15) *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel*. Ed. L. Delisle (Rouen 1872), pp. 365 sqq. — Cfr. *Chronicon S. Albini Andegavensis* et *Chronicon S. Sergii Andegavensis* (*Chroniques des églises d'Anjou*). Ed. Marchegay et Mabille (Paris 1869), pp. 40, 41 et pp. 149, 150. — (16) Infra, num. 45.

miracula patrata vel agnita *ante paucos dies* (1), *nudius tertius* (2), sabbato feriatorum *horum* Pentecostes dierum (3). Sedulo notat quæ ad fidem narrati miraculi confirmandam conferre possunt. Nomina et conditionem eorum qui sanati sunt et quo loco degant, fere diligenter indicat, et sæpissime eos adhuc superstites esse et notissimos ac certissimos miraculorum testes memorat (4) ; ut vere omnino ac sincere scripsisse supponendus sit : *Neque volumus neque debemus nisi certa scribere et probata* (5).

Jam ipsum textum legentium oculis subjicimus.

Incipit vita sancti Gilduini Dolensium archiepiscopi.

1. Dominum Deum nostrum voce prophetica in sanctis suis jubemur laudare omnes qui christiana professione censemur. Vicissim sanctos Dei in ipsius nomine docemur laudare debere, ut et Dominum [1] in sanctis suis laudantes, et honorantes sanctos Dei in ipso, gratiam Dei sanctorum ejus precibus [2] adjuti valeamus promereri. Nos itaque in Carnotensi sanctorum apostolorum Petri et Pauli cœnobio congregati ad serviendum Deo monachi, gratiam et misericordiam Domini Dei nostri per sanctum suum Gilduinum nobis impensam cognoscentes atque gaudentes, veremur ne ingrati judicaremur, si mirabilia ejus beneficia per sanctum suum nobis collata silentio supprimere mallemus quam optime publicare.

2. *Gloria regum,* ait Salomon, *est celare sermonem, gloria vero Dei revelare mysterium* [3]. Nempe reges terræ sic fideles probant et devotos, eos quos probaverint celare sermones suos. At vero ea quæ Deus et Dominus [operatur, qui] [4] est omnis veritas, quam nulla latere possunt secreta, sua potius revelari vult mysteria quam celari. Et quos in hoc studiosos probaverit et devotos, magna remuneratione judicat dignos ; sicut contra negligentes et desidiosos donis quæ acceperunt privandos minatur, debitisque suppliciis mancipandos. Hinc est quod bono et fideli acceptæ domini sui pecuniæ erogatori dicit ipse domi-

(1) Num. 39. — (2) Num. 45. — (3) Num. 66. — (4) Numm. 19, 22, 29, 36, 44, 54, 55, 56, 66. — (5) Num. 45.

[1] *cod.* Domini. — [2] *cod.* protinus. — [3] *immo, secundum Salomonem (Prov.* xxv, 2), Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem. — [4] *Hæ duæ voces desunt in codice.*

nus: *Intra in gaudium domini tui;* servo autem dominicæ pecuniæ defossori, et quod acceperat, tolli præcepit, et ipsum ligatis pedibus et manibus in tenebras exteriores præcipitari.

3. Magnam certe a Domino pecuniam nos accepisse confitemur, corporis sancti et amici sui Gilduini præsentiam, simulque innumera quæ per eum in nostra ecclesia et nobis et multis aliis contulit beneficia. Quorum pauca quia et nostræ et posterorum memoriæ commendanda, justum et æquum videtur prius de ortu et de vita et morte ipsius, ea quæ a senioribus nostris accepimus breviter memorare.

. . . . (1)

4. Et mortales quidem sed fideles exhibuerunt ei, ut dictum est, honorificentiam quantam debuerunt, prout potuerunt. Sed Deus omnipotens quanta eum sublimasset gloria in cœlis, miraculorum multa valde frequentia non distulit demonstrare in terris; adeo ut nec diebus neque noctibus confluere cessaret tota non solum civitatis multitudo, verum etiam vicinarum numerositas regionum. Alii experiri pro necessitatibus suis, alii pro devotionibus suis intueri quæ per eum fiebant mirabilia concurrebant: nec poterant monachi, præ nimia populorum frequentia, in chorum ad divina ex more celebranda officia convenire neque stare; sed alia atque alia cogebantur ad opus Dei peragendum sibi loca providere: tanta erat et immensitas populorum, et clamositas aliorum dolentium morbos suos, aliorum donatæ sibi et suis sanitatis congratulantium, aliorum conferri sibi et suis morborum suorum remedia implorantium.

5. Cum autem per aliquanta temporis spatia pertulissent monachi ex condensa convenientium populorum frequentia et divinorum officiorum celebrandorum impedimenta simul et tædia, atque insuper observandæ monasticæ disciplinæ, ut fieri solet, ex secularium conventibus tumultibusque dispendia, contra hæc et voluntates suas obfirmaverunt et[1] ecclesiæ fores. Adjuvit eos ad sedanda plebium murmuria tum rarescens jam frequentia miraculorum, tum populorum, ut ex assiduitate fieri solet, devotio refrigescens. Miraculorum tamen ad tumbam sancti,

[1] *cod.* etiam.

(1) Sequitur Vita. Cfr. supra, p. 149.

meritis ipsius patratorum, fama per eos qui viderant et experti fuerant, ad seniores nostros et per ipsos ad nos usque delata sine ullis litterarum monimentis, quod mirum est, perduravit.

6. Unde mirandum nimis est et omnino stupendum quod nulla de tot miraculis eo tempore patratis inveniuntur scripta. Quod non aliunde putamus evenisse nisi ex noxia imperitia literaturæ, quæ tunc totas fere Gallias ferebatur occupasse, aut ex punienda literatorum qui tunc erant, negligentia. Utramque autem, et imperitiam scilicet et incuriam, probat nobis plurima codicum mendositas illis temporibus conscriptorum ad nos usque delata. Nam illius temporis librarii, si vel parum peritiæ grammaticæ habuissent, numquam tam mendosos codices scriptitassent. Itidemque si lectores temporum illorum . . . . [1] intelligendi quæ legebant percepissent, nequaquam tam inemendatos ad nos usque transmisissent.

7. Fama tamen, ut dictum est, per seniores nostros gestorum post humationem sancti recentioribus annis miraculorum notitiam ad nos usque non desiit deferre; quam videlicet famam nec nos posteris nostris volumus esse ignotam, quamvis gesta sigillatim miracula nequeamus commemorare. Veridicam tamen delatam ad nos famam miraculorum illis temporibus ad sancti corpus patratorum fuisse, confirmant et eorum testimonia qui visa et experta senioribus nostris narraverunt ipsique nobis, et ea quæ et in inventione atque translatione sacratissimi corporis nobis, ejusdem sancti meritis, sunt renovata. Quæ tam multa sunt, nec numerari possint; tam mira, nec æstimari.

8. Quorum aliqua quia, sicut in exordio hujus narrationis dictum est, mandare memoriæ proposuimus, putamus conveniens esse ejusdem inventionis translationisque modum ipsum quam brevius possumus explicare. Siquidem veremur ejusdem imperitiæ seu negligentiæ, cujus antiquiores fratres nostros arguimus, argui debere; et inde culpabiles esse volumus cavere, auxiliante Domino et sancto suo Gilduino juvante, unde alios culpamus.

[1] *lacuna duarum vel trium vocum in cod.*

9. Novam itaque hujus ecclesiæ nostræ fabricam magna jam ex parte per fratrem nostrum dilectissimum Hilduardum gaudebamus simul et mirabamur tam brevi tempore de minutis fidelium solis eleemosynis esse constructam. Verum refrigeraverat jam tota fere ad hoc opus fidelium devotio; adeo ut præcedens frater vix unum cæsorem lapidum, vix unum structorem parietum, deficientibus expensis, posset tenere. Qua de re cum nimis anxius diu multumque cogitaret volveretque apud se pene desperans quid facere posset, subiit eum cogitatio salutaris quod divinum nonnumquam illis adesse soleat auxilium, quibus desit humanum. Unde postpositis omnibus fere spebus aliis, solam expectare similiter et implorare, prout poterat, divinam cœpit misericordiam.

10. Interea versabatur sæpius inter fratres de qua supra diximus fama, quod sanctus quidam Dolensis archiepiscopus in eadem ecclesia nostra olim fuisset sepultus, sed sepulturæ nesciretur locus. Nullo quippe notamine insignitus fuerat sepulturæ locus, sive per imperitiam, nescitur, sive per incuriam. Credibile tamen est quod strata marmoreo quidem, sed minutatim variato tabulatu, chori ecclesiæ planities, post sancti corporis humationem superædificata, si quod superscriptum fuisset, sepulturæ sacræ notamen delevisset. Quod sive ista sive qualibet alia causa evenisset, omnibus, ut dictum est, incertus erat sanctæ sepulturæ locus.

11. Compulerat fratres jaciendi novi fundamenti necessitas plures episcoporum sepulturas ad alia transferre loca. Sciebatur quidem sancti hujus sepultura in choro esse posita; sed licet multum quæsitus, inveniri tamen non poterat proprius ejus locus; jamque pene desperabatur ejus inventio, nec tamen ab inquirendo cessabatur. Tandem dum altius foderetur ejus qui ab occidente chorum claudit transversi parietis fundamentum, et jam fere omnibus videretur altius, quam necesse esset, esse fossum : *Mihi,* ait magister operis, *non ita videtur ; quin potius volo ut adhuc altius fodiatur*. Quod cum fieret, summitati ejus parietis, quo sanctum corpus fornicis in modum claudebatur, præter spem omnium ferramentum fossoris impactum est. *Quid sibi vult hoc esse,* ait operarius, *quod in tam profundo loco tam solidus paries est inventus?* Et magister operis : *Credo,*

ait, *quia hoc est quod quæsieramus diu multumque nec invenire potueramus. Sed fode,* inquit, *diligentius, si forte desiderium nostrum impleverit misericors Dominus.* Quod dum fieret, claruit quia ea esset camera qua pretiosus occultatus fuisset thesaurus, sancti videlicet Gilduini corpus. Erat autem locus haud longe ab ea chori parte, qua consuevit abbas in choro sedere. Circumfossa itaque camera illa, et licet cum magno labore confracta, inventa sunt pretiosiora gemmis sanctissimi corporis ossa, dalmatica, tunica et cilicio involuta.

12. Lætissimus effectus magister operis prænominatus Hilduardus, consilio cum abbate Fulchero et aliis fratribus habito, ante altare sancti Nicolai cum quanta potuit diligentia tumbam præparavit. Deinde totus fratrum conventus, ordinata devote et diligenter processione, collecta seorsum ossa sanctissima et seorsum involuta et sigillatim in pallio ligata, de primo ad secundum transtulerunt sepulturæ locum. Lætissimus rumor hic mox se per omnem civitatem velociter diffudit, commovitque adeo populum, ut cum summa frequentia concurrerent ad locum, et sanctarum reliquiarum tumulationi contenderent interesse. Qui videlicet concursus populorum adeo dicitur fuisse condensus, ut et processio fratrum parumper retrocedere compulsa fuerit, et sanctarum locationem reliquiarum non integre implere.

De manu inutili cujusdam viduæ sanitati restituta.

13. Interea mulier quædam, vidua Fucherii ferrarii ante aliquot annos defuncti relicta, Ermengardis nomine dicta, in domo sua prope crucem scutariorum sita residens, dum concurrentium recurrentiumque audiret tumultum, mirabatur quidem quid sibi vellet tumultus tam insolitus, sed præ dolore casus sui causam inquirere non sinebatur. Hæc enim super tectum domus ante dies aliquot cum ascendisset, cadentibus intus stillicidiis, prout poterat, occursura, sensit se, sicut et nunc ipsa testificatur, ab aliquo quidem, sed nescivit a quo, violenter impelli, adeo ut super ipsum tectum corruens, dexteram manum suam corporis sui ruina ipsa sibi tam graviter eloquaret, ut ruptis nervis vel intortis interior pars manus fieret exterior.

Quo dolore cum acerbissime vexaretur, per scalam ad tectum erectam in domum suam descendit, ut potuit, nec tamen quievit dolor, sed increvit. Ita omnem usum dexteræ manus perdiderat, ut nec signare se, nisi manu sinistra, valeret.

14. Cujus doloris acerbitate retenta, cum subiti et insoliti concursus causas, sicut dictum est, inquirere non valeret, tertio sibi, sed non vidit a quo, inclamari audivit, quod si ad sanctas reliquias apud sanctum inventas curreret, confestim se sanandam sine dubio sciret. Cum hoc sibi tertio, ut dictum est, inclamatum audisset, nec tamen inclamantis personam ullam vidisset, intellexit protinus voces illas divinitus factas, indeque recuperandæ sanitatis fiduciam, ut dicitur, certissimam concepit.

15. Cucurrit itaque, sed cum jam prope fores ecclesiæ accessisset, occurrit menti quod nihil oblationis portaret. Reputans vero quod sine oblatione ad sanctas non deberet accedere reliquias, ad propriam domum recucurrit celerius, ibique, faciente Deo, paratos invenit a quibus de mercibus suis quatuor nummos comparavit. Quos cum tanta accepit lætitia, ac si de cœlo sibi divinitus fuissent donati. Cum iis ad cujusdam cerariæ domum in via sitam recurrens, tantum sibi comparavit ceræ, quantum ad formandam perditæ manus similitudinem satis fuit. Quam cum illico ibidem formasset, cum hac ad sanctas properavit reliquias; et per condensam populi frequentiam ingessit se, ut potuit, ad sanctas usque reliquias, solo pallio adhuc tectas, ibique simul et manum inutilem, et ceream ejus similitudinem subtus pallium intulit in sepulchrum et obtulit, divinum per sanctum Gilduinum implorare non cessans auxilium.

16. Adfuit confestim fidei et devotioni feminæ auxilium miserationis divinæ, et sancti meritis manum quam inutilem prorsus et vehementer dolentem intra sanctum ingesserat loculum, omnino sanam retraxit totiusque doloris expertem. Agere cœpit gratias divinæ pietati pro sanitate sibi per sanctum restituta Gilduinum, et magna voce clamare gaudium sanitatis, quæ prius clamabat anxietatem doloris. Gaudere cœpit populus, et cum illa similiter et pro illa Deo et sancto gratias agere, videntes pariter feminæ manum, quam prius elocatam condoluerant et inversam, ad locum et usum suum tam mirabiliter esse reversam.

17. Miraculum hoc in sanctarum reliquiarum translatione celebratur primum esse patratum. Quod etiam ob hoc prædicabilius, quia publicum fuit. Nota satis per totam viciniam nostram persona, nota satis multis læsæ prius et inutilis factæ manus jactura, omnes excludit dubietatis incredulitatisque ambages. Hæc fuit prima cerearum quæ plurimæ ante sanctas reliquias pendent, manuum aliorumque membrorum similitudinum oblatio. Hujus tam celebris miraculi fama tam per omnem civitatem quam per omnes vicinas regiones in brevi diu divulgata, innumeros ad sanctum locum venire permovit ægrotos.

De adolescente languido sanato.

18. Erat tunc quidam adolescens Radulphus, frater uxoris Guillelmi qui prædicator est cognominatus, adeo languidus et membris omnibus contractus ut ad nullum usum aliquod posset movere membrum. Huic mater cum eadem filia sua, Guillelmo, ut dictum est, conjugata, longo jam tempore ministrantes, tandem præscripti miraculi novo lætoque rumore commotæ, ad sanctarum locum reliquiarum, et in vectorio, quia non potuerant aliter, languidum eumdem deportaverunt. Nec diu tardavit pietas sancti; sed sequente post nocte ita sunt languidi membra omnia calefacta prius et post solidata, ut exemplo illius claudi ad beati Petri vocem curati, exiliret de grabato suo, et ad altare sancti Nicolai, quod ante sanctas reliquias situm est, vociferans sanatum se esse, curreret, indeque ad fratres opus Dei in choro celebrantes properaret, sequente, congaudente et conclamante toto qui ibi erat populo, pro tanta, tam subita, tam dissoluto languido sanitate per sanctum Dei collata. Intermissa quæ decantabatur psalmodia, hymnus Te Deum laudamus cum debita gratiarum actione a fratribus est decantatus.

19. Ita contractus, qui alienis et pedibus et manibus servili gestatorio paulo ante fuerat devectus, recepta membrorum omnium sospitate, ad solitam mansionem est reversus. Ipse adhuc hodieque inter affines diversans, et recuperatæ sanitatis suæ et divinæ in sancto Gilduino virtutis certissimus

est testis. Prædicant adhuc quamplurimi christianum non esse qui tantum hoc miraculum opus esse negat vere divinum. Secuta sunt innumera collata quampluribus ægrotis beneficia ; quæ si scribere velimus universa, legi præ tædio vix possent vel audiri. Nos tamen absit ut pauca de plurimis scribere omittamus. Absit ut benedictum in donis suis Deum, et sanctum in operibus suis, benedicere, laudare et magnificare desistamus.

De Guillermo Macharin sanato.

20. Vulgata itaque per totum pagum Drocassinum miraculorum fama, plures excitavit ægrotos, quibus poterant modis venire Carnotum, et sancti apud Deum Gilduini succursum implorare. Venit inter alios contractus quidam Guillelmus, Macharin cognominatus, Alnulphi canonici sancti Stephani fratruelis, toto illo notissimus castro, utpote oriundus inde et conversabundus. Hic in tantum contractus erat pedibus et manibus ut numquam nisi reptando per terram incedere posset. Unde et soleas in genibus suis assuere compulsus fuerat, et manibus suis scabellula quædam subjecta portare, quod palmarum teneritudo terræ duritiem non posset. Jam non ut homo bipes sed potius velut quadrupes animal, quocumque necesse erat, tetrennis seu quinquennis reptator, ut dictum est, miserabiliter se tractabat.

21. Hic itaque spe sanitatis per sanctum recuperandæ Gilduinum, diuturna nimis atque gravissima compulsus calamitate, carpento se, quia aliter non poterat, Carnotum fecit vectitari. Qui demissus de vehiculo et cum ad ecclesiæ januam propinquaret, calefieri se dolentibus membris, quæ omnia prius algebant, clamare cœpit, et sancti amici Dei succursum implorare. Reptans vero usque intra ecclesiam, præ dolore atque calore nimio, ac si spasmo [1] exanimatus, visus est sensibus excessisse.

22. Qui cum diu sine sensu jacuisset et immotus, reversus ad se, horrendos cœpit plangores emittere, atque iterum quasi de gravi somno evigilans, eosdem sæpius plangores efflare.

[1] *cod.* pasmo.

Tandem extendere se cœperunt nervi cum tanto crepitu et fragore, ut per totam ecclesiam audiretur contractorum extensio nervorum. Erexit se tandem in statum pristinum, miserante Deo et sancto Dei auxiliante. Ille prius miserabiliter contractus, et Dei ac sancti ejus virtutem et pietatem et voce clamare cœpit et recto firmoque incessu probare. Ita integræ redditus sospitati atque ad propria sanus reversus, magnum et certum miraculorum sancti fuit et est adhuc argumentum.

De quadam femina similiter contracta et sanata.

23. Nec minus miraculum in Aalix Drocensi æque femina patratum est. Illa enim, sicut et Guillelmus, omnino contracta omnibus fere membris erat, adeo ut non nisi miserantibus se mulieribus et portantibus vel exire de lectulo ad quoslibet posset vel redire. Et huic itaque, postquam longo tempore ante sancti viri tumbam in grabato jacuisset, nocte dieque implorans misericordiam et expectans, integra tandem et plena sanitas, sicut in Guillelmo, est restituta, adeo ut ad propria reverteretur pedibus propriis, quæ alienis fuerat advecta. Unde et singulis annis ad sancti viri memoriam revertens, ejus se servam, ejus se profitetur [1] ancillam, non ingrata beneficiis quibus fuerat donata.

De quadam puella de Dolensi pago.

24. Advenit vel advecta est et compatriota sancti Gilduini, hoc est de Dolensi pago, quædam puella, quæ audita miraculorum sancti fama, suscepta peregrinatione tam longinqua, ad tumbam sancti accessit. Hæc quartanis per triennium febribus vexatam se ostendens, et totis fere viribus corporis exhaustam, cum per aliquot dies ac noctes ante tumbam sancti jacuisset, ejus sanctis precibus et meritis implorans sibi sanitatem restitui, obtinuit tam plane, ut incolumis ad patriam remearet, probaretque vera esse Dei in sancto suo Gilduino magnalia, quæ etiam illuc usque fama nuntiasset.

[1] *cod.* profiteretur.

De puero paralysi dissoluto sanato.

25. Erat quidam Radulphus Osberti filius, qui percussus paralysi et dissolutus omnibus membris tam graviter fuerat longo tempore, ut etiam loquelam amisisset, fuissetque penitus inutilis factus. Hic ad tumbam sancti viri delatus ab amicis, tam integre reparatus est meritis sancti, ut loquendi pristina ei facultas restitueretur, et cetera omnia ejus membra ad usus suos consolidarentur.

De annulo sancto Gilduino oblato.

26. Proposuerant fratres pretiosius omni argento et auro sancti viri mentum argento et gemmis fabrefacto honorare tegumento. Quod cum audisset femina quædam quæ inter turbas præsens astabat : *O utinam,* exclamavit, *hunc annulum meum, quo digitus hic meus* (et ostendit manum) *per biennium tumore supercrescente tenetur incarceratus, ad honorem suum sanctus dignaretur habere acceptum ! Offerrem eum sancto libentissime, si evadere possem*. Dixit hæc et mox ut votum fecit, videntibus qui aderant, et tumor digiti complanatus resedit, et annulus facillime digito extractus est et sancto devotissme oblatus.

27. Quo miraculo permoti omnes, præsertim matronæ, tam multos obtulerunt annulos, ut ad fabricandum opus propositum sufficerent largissime et superabundarent. Quin potius a populo tam plurima ad sanctas facta est reliquias oblatio, ut frater prænominatus Hilduardus, qui, sicut longe superius dictum est, de expensis ad fabricam ecclesiæ perficiendam desperaverat, miserationis divinæ abundantia spe recepta, consolatus sufficienter iterum esset et ad expensas relevatus.

De puero paralysi tremulante sanato.

28. Vulgata quoque per Normanniam tantorum fama miraculorum, de castro quod dicitur Molins vir quidam jam grandævus, honestæ inter suos affines et vitæ et famæ, filium filiæ suæ, Robinum nomine, septennem sive octennem, comitante

etiam matre, advexit Carnotum et sancto Gilduino præsentavit. Qui puer adeo paralysi erat dissolutus, ut tremula facta essent omnia ejus membra, et velut juncturis suis non hærerent, pendula prorsus et inutilia. Nam et linguam ipsam et totam oris formam eadem passione habebat adeo occupatam, ut neque loqui posset et ipso esset horridus aspectu. Cum quo mater cum ad sancti viri tumbam fere per mensem excubasset, misericordiam Dei et sancti pro filii sanitate assidue implorans, voti sui tandem ita est compos effecta, ut filius ejus sanus factus et gressum haberet solidum, et linguam omnino liberam ad loquendum, formam quoque decentem satis et elegantem.

29. Hunc, postquam recepto gressu potuit incedere, domnus abbas Fulcherus ad mensam suam quotidie venire faciebat et coram se prandere. Lætissima facta mater, post patrem, qui prius fuerat reversus, una cum filio incolumi ad propria tandem regressa, [virtutis Dei][1] in sancto suo Gilduino testis in illis partibus certissima facta est et prædicatrix.

De mente capto apud Roheriam sanato.

30. Viculus est in Pertico Roheria nuncupatus. Erat ibi viculanus tanta occupatus amentia, ut mente alienatus neque quid diceret, neque quid audiret, nec omnino quid ageret intelligere seu moderari valeret. Erat tamen vegetus corpore, et in tantum robustus ut teneri non posset a suis, de ejus amentia sive insania dolentibus omnino ac sollicitis. Nam disruptis sæpe vinculis, vagus per lustra ferebatur, nunc mærens, nunc ridens, vestes quoque suas projiciens vel discerpens, vicinis et occursantibus nimis jam formidabundus erat. Plane plenus erat dæmone, a quo tot et tantis furiis agitabatur.

31. Hic non a vicinis, non a caris suis deductus, sed solito furore raptatus, Carnotum vi divina cogente solus devenit, atque in nostram sancti Petri ecclesiam se turbulentus ingessit et fremebundus. Qui cum ante sancti Gilduini tumbam venisset, vel quo iret, vel quid fieret nescius, elisus in terram volutare se cœpit, et manibus potius quam pedibus se ferre, ita ut manibus nitens pedes in sublime efferret sæpius, et parietes calcibus

[1] *hæ duæ voces desunt in cod.*

pulsaret, adeo valide ut mirarentur videntes quod non sibi tibiæ et tali tam validis ictibus frangerentur. Quod cum sæpius iterasset, implorantibus pro eo divinam misericordiam fratribus, tandem obdormivit ante sancti tumbam et diutius, expulso, sicut credimus, dæmone quievit. Cumque per totam fere noctem dormitum fuisset, evigilavit tandem, et mente recepta, ubinam esset inquisivit. Quod cum cognovisset, Deo et sancto immensas grates agere cœpit.

32. Mane facto, accepta a fratre Hilduardo licentia, ad gloriosissimæ Virginis Mariæ ecclesiam properavit. Interea frater suus per diversa eum disquirens loca, ad nostram tandem devenit ecclesiam, et utrumnam ibi visus fuisset, percunctatus est. Responsum est ei a fratre Hilduardo quod venisset quidam, sed furibundus omnino et quod venisset nescius ; quodque misericordia et meritis sancti Gilduini sanatus esset a furore suo, et ad ecclesiam beatæ Mariæ profectus esset, oraturus et pro sanitate recepta gratias acturus. Hæc cum fratri indicaret frater Hilduardus, ecce Nicolaus residens vidensque fratrem suum lætissimus effectus, non minus eum lætificavit de sanitate sua, et cum eo tandem incolumis ad propria est reversus.

De novem nummis cuidam mulieri in bursa sua geminatis.

33. Femina quædam paupercula ad forum rerum venalium cum ire pergeret lanam emptura, ad sancti tumbam Gilduini divertens, oravit petiitque ut daret sibi bonum et commodum hac die facere mercatum. Cujus etiam rei gratia de novem nummis quos solos habebat, unum obolum ad sanctas obtulit reliquias, alterum cuidam egeno dedit. Inde ad forum profecta, unum solummodo vellus quanti faceret vendens inquisivit, nec nisi pro novem nummis habere potuit : *Non hoc*, ait mercatrix, *nisi octo tantum nummos*. — *Nullatenus*, inquit venditrix, *levius dabo*. — *Et si*, ait emptrix, *sanctum tibi Gilduinum unius nummi plegium dedero, accipies nunc octo, et cum vellere me ire sines ?* — *Libenter*, inquit venditrix, *sanctum Gilduinum in plegium accipio. Da, ut dicis, octo nummos, et cum vellere recede.*

34. Mercatrix illa tracto de sinu marsupiolo, cum octo nummos numerasset, mirata est superesse plures et novem unde assignavit venditrici suæ: reliquos cum numerasset, invenit alios novem nummos. Attonita clamare cœpit quod non nisi novem nummos de domo sua tulisset; quodque uno ex iis sancto Gilduino et pauperi oblato, non plus quam octo ad forum attulisset: *Et ecce* inquit, *videtis quod novem mihi geminati sunt nummi. Vere*, ait, *magna est virtus Dei, vere mirabilis in sancto suo Gilduino Deus, cujus meritis est numerus nummorum duplicatus. O si plures dedissem pro Deo et sancto, accepissem, credo, ab ipsis plurimam usuram.* Ita muliercula quæ ad forum venerat verens ne non inveniret commodum sibi pro octo nummis lanæ mercatum, et lanam mercata est et meritis sancti integram reportavit pecuniæ summam.

35. In quo est miraculum hoc inferius miraculo illo sancti Germani, Altissiodorensis episcopi, qui pro aureo pauperi dato aureos eodem die recepit centenos. Præceperat quidem sanctus episcopus dispensatori suo ut tres aureos, quos solos habebat in expensis, pauperibus sibi occursantibus donaret: sed dispensator in posterum providus, timensque ne quod expenderet non haberet, unum dedit, duos retinuit. Nec multo post in eodem itinere obviam habuit quemdam illorum locorum potentem virum, qui sanctum cum comitatu suo invitans ad hospitium, centum quoque aureos ei devotus obtulit. Quos sanctus recipi jubens dispensatori suo: *Intellige*, ait, *te fraudem fecisse pauperibus: nam si tres, sicut præceperam, aureos donasses, trecentos nobis recompensatos gauderes.* Itaque si magnis liceat componere parva, qui operatus est Germano centum aureos pro uno reddendo, operatus est et Gilduino, novem feminæ pro uno nummos restituendo.

36. Ita in parvis magnus, in magnis summus, gloriosissimus et in parvis et in maximis operator est Deus. Certe in votis non census pensari debet, sed affectus. Non plus quam duo minuta obtulerat mulier illa evangelica, et tamen, indicante ipsamet Veritate, plus omnibus in gazophylacium misisse est approbata. Plane non census in hoc quantitas pensata est a Veritate, sed affectus magnanimitas. Prædicatur sanctus Fortunatus duodecim aureos quos pauperibus erogaverat, orando recepisse,

nepoti suo, cujus fuerant, reddendos. Prædicatur et sanctus Benedictus pro vasculo olei pauperi dato, oleo plenum orando dolium recepisse. Nonne prædicari debet et sanctus Gilduinus pro oblato sibi obolo nonos feminæ restituisse nummos?

De irrisore divina ultione percusso.

37. Nec illud silendum est quod quidam adolescens Alcherus, inter hujus urbis cerdones satis notus, cum sancti viri mentum superargentatum sola cogitatione derideret apud se, plura in fossatis similia jacere menta, statim ultione divina percussus adeo [1] graviter fuit ut media corporis parte inutilis factus, vix ad sancti tumbam sustentantibus amicis prorsus perveniret. Ibique pœnitens et confitens culpam derisionis cogitatæ, meritis sancti tandem redditus est sibi, ita tamen ut signum ultionis divinæ in eo remanserit, sed minimum. Claudicat enim adhuc, sed non multum, fortassis ob hoc ne tam protervus et impudens alias audeat esse, ut sancti amici Dei tot et tantis jam miraculis glorificati præsumat ulterius irrisor fieri. Numquam impune cedit impias vel linguas vel mentes ad irridenda Dei et sanctorum ejus magnalia movere. Hinc est quod sanctus Gregorius refert miserum quemdam combalatorem, pro eo quod sanctum quemdam episcopum jocando offendisset, labente de tecto grandi saxo percussum fuisse statim et mortuum.

38. Possemus plures miraculorum sancti viri derisores commemorare similiter percussos, similiterque sibi meritis sancti redditos fuisse; sed supersedendum arbitramur, maxime quia religiosæ sunt personæ, ne non tam videamur attollere laudem sancti, quam correptorum famam lædere velle. Sufficiat commemorasse de uno quod a pluribus et peccatum agnovimus et emendatum. Hic autem ut se probaret Dei et sancti justitiæ et gratiæ non ingratum, longo post tempore ad sancti tumbam devote studuit excubare, adeo ut ægrotis sanitatis remedia implorantibus, quorum non parva semper ibi erat turba, sollicite atque benigne ministraret per annum et eo amplius, et prout poterat subveniret.

[1] *cod.* a Deo.

De paralysi percusso juxta pontem sancti Petri sanato.

39. Ea quoque memoranda videntur et nullatenus oblivioni tradenda quæ in matrona quadam et filio ejus ante paucos dies agnovimus per sanctum Dei patrata miracula. Agnes vocatur ; uxor Ganteri Rufi, prope nostrum sancti Petri pontem mansionem habentis, esse cognoscitur. Horum filius tam gravi erat paralysi percussus, ut ore versus aurem distorto, ad videndum esset horrendus. Ipsa quoque mater ejus et colli et matricis miserabiliter prominentium doloribus vexata, nulla sibi medicorum studiis sperabat jam conferri posse remedia. Hæc tam pro se quam pro filio votum et Deo fecit et sancto Gilduino; cumque et filii vultus distorti et suorum quæ desperabiliter dolebat, membrorum prædictorum cereas fecisset similitudines, Deoque et sancto ejus obtulisset Gilduino, tam integram et filio suo et sibi subito redditam gavisa est esse sanitatem, ac si nullam umquam vel filius ejus paralysis dissolutionem pertulisset, vel ipsa nullam inguinariam experta fuisset corruptionem.

40. Nec mirum si pius Dominus sancti sui meritis operari dignatus est in ista muliere miraculum illi simile, quod tamquam per seipsum in hemorrhoissa evangelica illa femina tactu fimbriæ vestis suæ dignatus est efficere. Tua sunt hæc, benignissime Christe, tua beneficia, quibus non solum animarum, verum etiam corporum, quando expedire nosti, omnes quos etiam nominare horremus, sanare dignaris languores.

De quadam muliere pedum et oculorum officio destituta, etc.

41. Illa quoque millaria patrata sancti meritis miracula diligenter sunt memoriæ commendanda, quæ plurimorum astipulatione testium probantur esse certissima. Hæc de quodam Belsiæ vico mota,cum ad montem sancti Michaelis proficisceretur peregrina, gloriosissimus etiam archangelus sancto prius Gilduino devotam fieri voluit quam sibi. Nam in eodem itinere subita pedum debilitatione adeo infirmata est, ut neque ulterius progredi valeret nec ad propria reverti. Cui cum ad memoriam sancti venisset, eadem necessitate cogente, fama de

miraculis sancti [1] Gilduini divulgata, confestim se sancto devovit confessori, professa quod si ejus sancti sanata meritis cœptam posset peregrinationem explere, ad ejus sanctam reverteretur tumbam et cum cerea pedum suorum similitudine oblata veneraretur.

42. Quo voto cum se Deo et sancto ejus dicasset, recuperata illico pedum integra sanitate, inchoatam quidem explevit peregrinationem ; sed regressa ad propria, votum sancto factum Gilduino irritum fecit. Nec diutius divina ultio tardavit. Nam mox non solum pedum, verum etiam oculorum officiis destituta, et recognovit et clamare cœpit subito, se ita percussam esse quia votum Deo et sancto ejus factum non curasset implere. Itaque cum et gressus et visus aliquamdiu fuisset privatione mulctata, peracta tandem condigna satisfactione, pietate sancti et visum recepit et gressum.

De matrona fistulam inter nasum, etc.

43. In pago Ebroicensi castrum est Britoillum nomine, famosum satis et populosum. Habitat ibi matrona quædam Elisabeth dicta, una cum viro suo Gaufrido, filio Richeri, in eodem castro inter affines satis laudabiliter noto. Illa matrona fistula inter nasum et oculum miserabiliter percussa, vir ejus pro recuperanda corporis sanitate expendit pecunias, nec aliquid profuit, quin potius occupaverunt eam plures et aliæ diversarum febrium ægritudines. Quibus cum nimis anxia laboraret, audita de innumerabilibus sanitatum beneficiis fama, quæ per sanctum Gilduinum plurimis fuerunt collata, Deo et sancto ejus Gilduino promisit devota, quod, si sanctis ejus meritis sanitatem recuperaret, ejus semper foret ancilla.

44. Quo voto emisso cum [2] se Deo et sancto ejus dicasset Gilduino, integerrimam et fistulæ et omnium aliorum incommodorum obtinuit sospitatem ; et ut facta inter reges pace potuit, ad memoriam sancti Gilduini venire non distulit, et quam celeriter, quam evidenter facto voto sanata fuisset, quibuscumque poterat intimare curavit ; sicque ad propria reversa, divinæ in sancto Gilduino virtutis etiam in illis partibus certissima extitit testis.

[1] *ita cod., in quo redundat paulo supra vox* sancti. — [2] *cod.* et.

De captivo a carcere Grandevillaris loci liberato.

45. In describendis sancti Gilduini miraculis non ordo temporis servatur a nobis, sed potius ille tenetur ordo descriptionis quo eadem miracula vel innotescunt nobis, utpote diversas per regiones patrata, vel subsequente diligentiori inquisitione veritatis nobis efficiuntur certiora. Nam neque volumus, neque debemus nisi certa scribere ac probata. Nudiustertius agnovimus in cujusdam captivi liberatione patratum sancti meritis satis memorabile miraculum. Guillelmus quidam, homo plebeius per plures annos ecclesiæ Blesunci matricularius, ab officio suo quo saccos texere solet, dictus saccellarius, ab irruentibus Normanniæ prædonibus per guerram regum captus fuit, et in Normanniam apud Grandevillare abductus, ibique in carcere loci ejusdem incarceratus.

46. Quem cum multis et gravissimis tormentis cruciarent prædones, et, ut eum ad majorem quam poterat ferre cogerent redemptionem, etiam unam tibiarum ejus inter duos lignei parietis asseres pravissime sæpius constringerent, nocte quadam, cum inter dolores acerbissimos anxiaretur, rediit ei ad memoriam quomodo quædam sua fratruelis, hoc est filia sororis, ante tumbam sancti Gilduini a diuturno nimisque acerbo dolore manus liberata fuisset sanctissimis ejusdem sancti meritis. Qua recordatione permotus, ejusdem sancti cœpit implorare succursum, confiterique apud se quod si liberaret eum Deus ejusdem sanctissimi sui amici precibus et meritis, servus ei semper foret pro posse devotus.

47. Hac professione cum se Deo et sancto ejus devovisset Gilduino, obdormivit quidem, licet nimiis et acerbissimis cruciatibus fatigatus, sed repente in somnis flagitatum sibi adesse divinum sensit auxilium. Videbatur namque illi quod duo miræ venustatis viri cum magno lumine assisterent sibi, præciperentque ut jam jamque festinaret inde recedere. Eorum unus statura procerus et decentissima canitie floridus, alter vero junior esse videbatur, gratissimo juventutis flore decoratus. Hos cum in somnis sentiret sibi præcipere ut protinus abscederet, evigilans repente, nullam quidem personam vidit, sed residuo quodam visi per somnum luminis fulgore est gavisus.

Dissiluerunt illico vincula ferrea quibus ambabus tibiis erat compeditus, adeo ut pessulum ferrugiarum exiliret longius : asseres quoque lignei parietis, quibus una ejus tibia erat gravissime constricta, dehiscentes tam amplum fecere hiatum, ut non solum pedem ad se liberum trahere posset, verum etiam per illius aperturæ spatium toto, si opus esset, corpore transire.

48. Ita tam a ferrugiis quam ab asseribus quibus constringebatur, divina virtute subito liberatus, ferrugias quidem de anteriore vestis suæ parte, ne sonitum facerent, involutas, circa se astrinxit. Inde vero de turre desiliens in contiguum carceri spinetum decidit; sed nihil a spinis læsus in fossatum, luto usque ad renes plenum, se demisit. De quo luto emergens, altum nimis et solidum oppositum sibi palicium offendit et horruit, tunc demum se inevasibiliter retentum pertimescens. Verum in majoribus periculis major et generosior virtus divina eis quos liberare dignatur, adesse consuevit. Unde et huic captivo, cum jam se evadere posse desperaret, visitatorum suorum precibus et meritis gratia et misericordia summi liberatoris affuit. Nam rursus invocans sanctos, beatissimum scilicet Petrum apostolum et beatum ejus Carnoti hospitem Gilduinum, quorum interventu atque auxilio ejus fuerat inchoata liberatio, grossos nimis et solidos palicii palos tentare cœpit et, si forte posset, elocare.

49. Adfuit ei illico evidentissima virtus divina, et palicii pali tam leviter elocati sunt et patefacti, ut omnino liberum et ad secundum fossatum, quod ultra palicium erat, haberet accessum. In quo scilicet fossato dum se dimittens inveniret illud plenum aqua usque ad collum : *Et hic*, inquit, *non deeritis mihi, sancti Dei, qui me et de ferro et de cippo, de turre et spineto, de lutoso et fossato et solidissimo palicio liberastis, ut me et de isto tam profundæ aquæ periculo liberetis*. Statim emergens de aqua et usque ad ulteriorem fossati ripam enatans, late patentes agros ingressus est, et fugere quidem cœpit; sed quo iret, nesciebat. Unde semper sanctos Dei ut gressus suos dirigerent et eum ab occursu malo servarent, exorans, tam recte et sine impedimento ad confinia Normanniæ et Franciæ juxta Teolerias devenit usque ad Bruerolas, et inde usque ad Blesuntium tam cito pervenit, ut volasse se crederet, non ambulasse.

50. Inde in ecclesiam in qua presbytero ministrare solebat, cum magnis clamoribus atque laudibus ingrediens, signa pulsare cœpit et presbyterum et affines ad ecclesiam convocare. Qui cum venissent : *Venite*, clamabat, *et videte quanta fecit mihi Dominus et sancti ejus beatissimus Petrus apostolus et hospes ejus Carnoti Gilduinus. Ipsi me*, aiebat, *de tantis eripuere periculis ; ipsi me de tam gravibus vinculis, de tam fortissimis abstraxere clausuris ; ipsi gressus meos per tam multa direxere diverticula, ut vere divinum, vere mirabile opus liqueat esse quod patratum est in mea liberatione. Et ecce*, inquit, *ferrugias quibus paulo ante in carcere Grandivillaris jacebam compeditus, atque etiam in cippo asserum gravissimo constrictus. Has interim ferrugias in hac ecclesia nostra offero Deo, hinc ad ecclesiam beati Petri ad tumbam sancti Gilduini deferendas, quando potero, et offerendas.*

51. Lætus presbyter quod antiquum ministrum suum recepisset sanum, læti vicini quod vicinum tam mirabiliter viderent liberatum, divina laudabant magnalia, et sanctorum ejus, quantum poterant, attollebant præconia. Verum homo ad domum suam de ecclesia sua rediens, admonendus adhuc sanctis videbatur, ne Dei et sua collata sibi oblivisceretur beneficia. Nam doloribus acerbissimis constricti nuper in cippo asserum pedis subito repetitur, vexatur, cruciatur, et per septuagesimam vel eo amplius in lecto ægrotans detinetur. Inde postquam divina et sanctorum ejus miseratione convaluit, mox, ut facta inter reges pace potuit, ad beati Petri ecclesiam et sanctam in ea Gilduini tumbam, Carnotum properans accessit ; Deique et sanctorum ejus semper se fore servum professus, divina in se patrata magnalia quibuscumque potuit testis certissimus intimavit.

De triangulo de auricalco a gutture infantulæ cujusdam extracto.

52. Alio tempore in castro quod Machesium nigrum nuncupatur, opinatissimum sancti Gilduini meritis agnovimus patratum fuisse miraculum. Infantula quædam ibi erat nondum bima, Alberti portarii et uxoris ejus Adelaidis filia, nomine Petro-

nilla. Huic mater ploranti, ut eam pacaret, quoddam triangulum de auricalco factum, inferius vaginæ operculum, in manibus dederat, ut luderet de eo et plorare desineret. At vero infantula, sicut tali mos est ætati, hoc sibi misit in os, et post etiam glutivit. Animadvertens hoc mater, dolere cœpit et clamare, pertimescens ne jam jamque transgularetur filia ejus et moreretur. Unde et digitos in os usque ad guttur misit, ut operculum inde extraheret; sed minime valens, cruentatos inde digitos retraxit.

53. Cruciabatur infantula longo tempore, nec tamen moriebatur. Anxiabatur mater, nec minus cruciabatur. Mittebat filiæ mamillam in os, sed illa exiguum quid lactis vix sugere poterat. Sed tamen quia in operculo quoddam subtile foramen erat, modico lacte per foramen stillante, utcumque vivebat. Tandem post quatuor fere menses, recordata mater quanta audisset per sanctum Gilduinum collata quamplurimis sanitatum beneficia, Deo et sancto ejus Gilduino infantulam devovit, quod eam, si liberata fuisset, ad sanctam ejus tumbam Carnotum deferret simul et offerret. Nec diu post votum Dei et sancti ejus tardavit clementia. Nam operculum illud triangulum infantula in manibus matris revomuit, et sanata libere matris mamillas sugere cœpit, sicque in dies sanissima facta, pulchriore infantula specie cernentibus cunctis et mirantibus esse videbatur.

54. Nec oblita voti mater, mox, ut facta inter reges pace potuit, infantulam Carnotum detulit ad sancti Gilduini tumbam et, sicut promiserat, obtulit. Operculum quoque quod de gutture filiæ vomitum receperat, ostendit cunctis in testimonium patrati miraculi, et super altare sancti Nicolai oblatum dereliquit. Hoc qui cernebant, omnes obstupescebant; obstupescunt adhuc omnes qui cernunt, videlicet quod vivere tamdiu potuisset infantula, infixo sibi in gutture tam gravi impedimento. Verum quanto gravius fuerat de infantulæ vita periculum, tanto gravius factum est Dei et sancti ejus Gilduini in infantulæ liberatione miraculum.

De quodam a contractione nervorum sanato.

55. Est prope Carnotum vicus dictus Manvillare, notissimus cunctis ejusdem territorii habitatoribus. In eodem vico cunctis convicaneis erat notissimus homo, senior jam grandævus, vita bona et fama notus multis et prædicatus, sed ita per plurimos annos spinæ et nervorum contractione debilitatus, ut quolibet incedere volens, non aliter posset nisi manibus semper innixis genibus. Hic audiens factorum per sanctum Dei Gilduinum celeberrimam miraculorum frequentiam, incurvus venit ad sancti Dei tumbam, et sanus et erectus inde remeavit. Notus locus, nota persona omnes dubietatis ambages excludit.

De pestilentiis ab animalibus sæpe fugatis.

56. Non solum hominibus, verum etiam eorum domesticis animalibus sanctus Gilduinus suum dignatur sæpius impendere succursum. Novit hoc et testificatur frater noster, Neophilensis abbas Bernardus ; novit hoc et testificatur priorissa Altæ-Bruerıæ, Euphemia: qui uterque, cum animalium suorum pestilentias diversas paterentur et gravissimas, mox ut eas sancto devoverunt Gilduino, offerentes singulas pro singulis animalibus candelas, sana sæpe receperunt et de ipso mortis articulo reducta. Nec ipsi soli, sed innumerabiles alii de animalibus suis beneficia sunt experti, quæ nos perstringimus breviter, ne legentibus fastidium faciamus.

De domno abbate Fulchero sanato.

57. Nec omittendum videtur, sed præcipue memorandum, circa abbatem nostrum domnum Fulcherum quæ et quanta per sanctum suum Gilduinum Deus dignatus est operari mirabilia. Hic quippe dolens pedes acerbissimo regii morbi[1] contractos, postquam se sancto devovit Gilduino, miratus est et gavisus citissimum sibi tanti doloris collatum esse mitigamentum, adeo ut, quamdiu supervixit, et equitare valeret et stare et

[1] *ita cod., omissa aliqua voce.*

pedes aliquantulum ambulare. Pro quo sibi collato beneficio non ingratus, omni sabbato ad tumbam sancti duos cereos offerre consueverat, præcepto sacristæ Guillelmo dato, ne hoc, dum adviveret, facere umquam omitteret.

De mandato sancti Gilduini per quemdam peregrinum eidem domno, etc.

58. Mirum quidem hoc, sed longe mirabilius quod circa eumdem abbatem nostrum omnes novimus per sanctum Dei factum esse miraculum. Idem namque sanctus apud Montem-Gommerici homini cuidam jam grandævo, nomine Gileberto, Galliciam tum ad sanctum Jacobum peregre proficisci jam parato, ipsa nocte qua sequente die iter suum inchoare debebat, astitit, non in somnis, sed ut ipse dicit, adhuc vigilanti, eique præcepit dicens : *O homo, scio quidem quod ad sanctum Jacobum peregrinari proposueris ; sed vade prius Carnotum et dic Fulchero abbati sancti Petri, ut ab illa die qua locutus fueris ei, sciat certissime post annum se fore moriturum. Et cum interrogaverit unde scias hoc quod ei nuntias, respondebis quod ego Gilduinus, qui in monasterio cui præest, ante altare sancti Nicolai sum sepultus, hoc illi mando moneoque ut præparet se ad ....*[1] *tunc venire.*

59. Disparuit quidem persona quæ vigilanti seni hoc præcipiebat ; sed senior, mane facto, cum presbytero suo cui, quam melius potuerat, pridie confessus fuerat, locutus, hoc in mandatis accepit, ut veniret ad abbatem, et quod sibi mandatum fuerat nuntiaret, nec tamen ob hoc peregrinationem cui se devoverat, omitteret. Fecit hoc senex et Carnotum devenit, nuntiavitque abbati quod impositum sibi fuerat mandatum. Audientes hoc abbatis asseclæ, alii quidem timere cœperunt, alii deridere, dicentes impostorem esse senem, et quid loqueretur nescientem. At vero senior constantius admonebat, ut notarent diligentius diem quo hæc eis nuntiabat. Notaverunt fratres diem, et festum sancti Eviani tunc esse invenerunt. Quod audiens senior : *Si*, inquit, *infra hoc sequente anno festum*

[1] *lacuna in cod. decem capiens litteras.*

mortuus fuerit abbas vester, tunc scietis me vera fuisse locutum; si secus evenerit, tunc me secure poteritis deridere.

60. Ita senior, impleto quod sibi fuerat impositum mandato, discessit et, peregre in Galliciam ad sanctum Jacobum, sicut proposuerat, profectus, totum fere annum explevit, antequam remearet Carnotum. Abbas et ejus familiares viderint ipsi qualiter acceperint sancti per senem mandatum Gilduini. Nam senex biduo ante festum sancti Eviani Carnotum reversus, ante omnia de morte vel vita abbatis sollicite requisivit. Quem cum adhuc vivere audiret, et nihil minus quam mortem suspicari, tunc multo constantius affirmare cœpit factum per se sancti Gilduini nuntium: *aut hodie*, aiebat, *aut cras complendum.* Deridebant quidem more suo aliqui qui audiebant; sed post paucas horas superveniens mors abbatis veridicum esse senem comprobavit. Ita plane sanctus Gilduinus et pius præmuniendo abbatem fuisse probatur, et pronuntiando mortis ejus terminum veridicus.

De ultione in contemptorem sancti Gilduini facta.

61. Illud quoque quod de quodam præeminente satis et præpotente domino, per quosdam ipsius domesticos agnovimus, miraculum quidem, sed horrendum, non silendum putavimus. Gloriosus ille, cum de miraculis sancti Gilduini audiret plurima referri: *Interim*, inquit, *concedo ut sanctus sit, sicut ventilatur, Gilduinus. Sed ego cum rediero ab itinere quod cœpi, eum exsanctificabo.* Hoc dicto, movit quidem homo de domo sua; sed profectus quo voluit, nec rediit ad domum suam, apud Nemausum morte interceptus, nec sanctum Gilduinum exsanctificavit.

62. Libet antiquis moderna, quamvis parva magnis, componere et completum circa regem Achab sancti prophetæ oraculum commemorare. *Ego*, ait rex perfidus, *cum de bello rediero victor in pace, in te qui semper mihi mala prophetizas, Michæa, vindicabo.* Verum propheta regii furoris minas fore sciens prorsus vanas, non minus constanter quam vivaciter: *Si fueris*, inquit, *reversus in pace, non est locutus in me Dominus.* Ita quidem rex comminatus prophetæ, abiit in bellum; sed

mox percussus obiit, et prophetam veridicum fuisse morte sua comprobavit.

63. Non ridendum arbitramur quod mortem perfidi regis sancto prophetæ aut mortem aut exitum comminantis, et mortem irrisoris sancti Gilduini, famam beneficiorum ejus et divina in eis præconia delere volentis, ausi sumus inter se comparare. Quid enim in utroque facto notari potest dissimile? An quod sanctus Gilduinus irrisori suo et exsanctificationem comminanti præsens noluit respondere? Nempe efficacius terribiliusque opere respondit Deus pro sancto suo, quam ore posset quislibet respondere. Verum ista nos omittentes, pensemus quam periculosum sit irritare iram Dei sanctos ejus irridendo, quem in sanctis suis admonemur laudare, impensa nobis divina per eos beneficia accipiendo gratanter et veraciter commemorando.

De fragmine sarculi in os cujusdam infantuli, etc.

64. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, in nostra sancti Petri Carnotensis ecclesia, meritis sanctissimi Gilduini celebratum memorabile valde miraculum nullatenus est in oblivione relinquendum. Viculus est in Belsia, Quinque-Ulmis nominatur. Habitat ibi viculanus quidam nomine Garinus, uxorem habens nomine Raingardem, et filios de illa quatuor : quorum ultimus, necdum unius anni infantulus, vocatur Albertus. Qui Garinus pridie cum sarculum sibi præparasset, segetes sariturus, unam de illo fregit portiunculam atque in terram projecit. Hanc unus de filiis collegit, nomine Mathæus, jocaturus inde cum fratribus suis, utlibet projecturus.

65. Verum patre et matre Hunivillam interim discedentibus, sumptum de terra sarculi fragmen Matheolus Albertulo flenti, ut eum pacaret, in manu posuit. Quod videlicet fragmen, triangulum quidem, sed nummo latius, infantulus acceptum statim, ut tali ætatulæ moris est, sibi misit in os et glutivit. Tum præ dolore magis anxie flere cœpit, Matheolo et aliis fratribus ejus dolentibus inde et cum fletu clamitantibus. Concurrerunt vicini et dolentibus condolentes fletum similiter et clamores in immensum auxerunt. Interim parentes, unde profecti fuerant re-

deuntes, plangentium excipiuntur clamoribus et, causa cognita, prosternuntur præ dolore ut parentes, et pene exanimantur.

66. Recuperato tandem spiritu resipuerunt parentes, et jam pene exanimem infantulum Deo et sancto ejus confessori Gilduino, cujus tanta audierant prædicari miracula, devoverunt, seque ejus, si filium sibi redderet, servos in perpetuum futuros professi sunt. Non tardavit diu divina et sancti ejus Gilduini clementia, sed in manu matris mox de gutture jam pene exanimis infantuli glutitum sarculi fragmen resilivit; priusque qui jam nigrescebat in mortem, recepto colore vivido, sanus effectus petiit mammam, et lactens libere, parentes lætissimos effecit, eosque simul et eorum vicinos ad Dei et sancti ejus Gilduini laudes vehementius accendit. Sequente die, sabbato videlicet feriatorum horum Pentecostes dierum, parentes infantuli eum ad tumbam sancti Gilduini Carnoti detulerunt, Deoque et ipsi sancto pro reddito sibi de confinio mortis filio laudes et gratias, audientibus multis, devotissime retulerunt.

Finis.

VITA SANCTI ANSBERTI

ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS

AB INTERPOLATIONIBUS PURA

NUNC PRIMUM EDITA.

De Vita S. Ansberti ad diem 9 Februarii ita Henschenius noster in Prævio ad eam Commentario (1) : « Vitam S. Ansberti damus ex antiquo » codice nostro ms., quæ eadem extat ms. in veteribus codicibus Rotoma- » gensi, Fontanellensi et monasterii S. Catharinæ prope Rotomagum, et in » codice Gemblacensi, cujus meminit Molanus IX Februarii in Notis ad » Usuardum, indicatis primis verbis Prologi, qui deest in Surio, a quo » stylus hinc inde parum est emendatus. Auctor est monachus Fontanel- » lensis coævus, Aigradus nomine, Surio et Molano Angradus, Baronio ad » Martyrol. Rom. Ansgardus, aliis etiam Ausgradus et Ansgradus. Abbas » vero Hilbertus, cui Vita dicata est, successit in eo regimine S. Ansberto » ad archiepiscopatum Rotomagensem assumpto,eique supervixit,mortuus, » ut infra dicemus, circa annum DCC. Acta ea (proh gratiam inofficiosam !) a » posteris aliquantulum exornata sunt atque interpolata, ut non commode » quæ propria Angradi sint, dijudicari possit. Adjuncta nonnulla sunt » cap. III (2), ubi de viris sanctis agitur qui sub S. Lantberto Abbate istic » cum Ansberto vixerunt, eaque inseruntur quæ post obitum Hildeberti » Abbatis contigerunt. At cap. VI (3) annus Christi intrusus, non absque » enormi mendo, cujus apponendi ratio tempore illo,quo Aigradus scripsit, » necdum in usu erat. Denique cap. VIII (4) attribuuntur Waratoni et Gis- » lemaro Præfectis Palatii quæ Berthario contigerunt. »

Mabillonius etiam in Observatione Prævia ad eam Vitam a se editam *ex Surio, Bollando et codd. mss.* (5) : « Aigradi lucubratio eruditis videtur » locis aliquot interpolata, nempe ubi designantur anni æræ christianæ (6), » qui calculi modus Aigradi tempore nondum in Gallia usum obtinebat. » Certe clades Provinciæ ab Agarenis illata, quæ num. 15 indicatur, con- » tigit anno circa DCCXXXVII, quo Hiltbertus Abbas jam dudum e vivis » excesserat. Denique Vita ipsa politior eruditiorque videtur Prologo Vitæ » præmisso, qui crassa ac rudi minerva constat. »

Jam vero reperimus in codice bibliothecæ regiæ Bruxellensis 9636-37 (7)

(1) *Act. SS.*, tom. II Febr., p. 343, n. 6. — (2) Vitæ editæ, in *Act. SS.* et ap. Mabillonium, n. 16-17. — (3) Ibid., n. 27. — (4) Ibid., n. 32. — (5) *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 1048. — (6) Vit. edit. nn. 27, 48. — (7) De quo cfr. supra, pag. 89.

Vitam S. Ansberti quæ omnibus illis nævis caret unde in Vita edita manifeste deprehenduntur interpolationis indicia, præter unum scilicet ab Henschenio notatum, eumque admodum incertum : nam et in nostra Vita attribuuntur (1) Waratoni et Gislemaro quæ Henschenius Berthario, eorum successori, attribuenda censet (2). Verum quod in scribendo Vitam sancti etiam coævi monachus res bellicas vel publicas attingens, non satis accurate qui eis interfuerunt principes distinxisse deprehenditur, non magis interpolationis vitium quam errorem scriptoris arguit.

Censemus itaque sinceram hic nobis præ manibus adesse Vitam S. Ansberti, inserendam proinde Analectis nostris, prologo, qui in codice desideratur, ex Vita edita suppleto, et ejusdem Vitæ capitum concordantia in margine indicata.

PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando et omni honore amplectendo, eximio sacerdoti Christi Hiltberto et abbati cœnobii Fontanellensis, minimus famulorum Domini servus Aigradus. Largiente divina misericordia narrare aggredimur actus eximiæ sanctitatis Ansberti, pontificis ecclesiæ Rotomagensis, implendo humiliter vestræ sanctæ devotionis jussionem. Sed duas ob causas in tali præcipuo opere coarctor, hinc me retrahente exiguitate sensus ac vilitate sermonis, hinc provocante vestræ jocundæ paternitatis præcepto, cui inobedientes existere nefas ducimus. Ea tamen fide qua ad nos claræ conversationis ejus actus pervenerunt, ipsius intercessionibus adjuvantibus, licet inerudito, fideli tamen promemus eloquio. Etenim, ut angelus inquit Tobiæ, secreta regis reticere bonum est, opera autem Dei revelare optimum fore constat. Nam gesta electorum Domini silentio tegere, et non ad utilitatem atque ad ædificationem audientium in lucem scriptis propalare, summi torporis et ignaviæ esse creditur. In gestis enim sanctorum laus illius recolitur, et ædificatio innocentis desiderii in mentibus accenditur fidelium populorum. Sed ne longa prælocutio fastidium legentibus generet, magisque parva audientibus narratio fervorem excitet audiendi, jussis obtemperans vestris, Deo juvante, narrandi carpamus iter. Nam si adésset mihi serenæ mentis facundia, et famulatu idoneo lingua pareret, laus conversationis ejus et sanctitatis eloquiis meis proferri non poterit, quæ in vestræ religionis memoria manet.

(1) Num. 18. — (2) *Act. SS.*, tom. cit., p.354, adnot. b.

Incipit vita sancti et præclari antistitis Ansberti Rothomagensis, cujus transitus est V^{to} Idus Februarii.

S. Ansbertus, illustri ortus genere, [2]

1. Eo tempore quo sceptra regni Francorum gubernabat Hlotharius, filius Hludovici regis et Bathildæ reginæ, una cum germanis suis Hildrico et Theoderico, sanctæ recordationis ecclesiæ Rothomagensis antistes Ansbertus, virtutibus clarus ac sacerdotio dignus, a patre nomine Siwino et pago Veliocassino patrimonioque Calcevio, nobili ortus erat genere. Sed repudiato stemmate patrum, mox ut invaluit, sola conditoris paternitate elegit censeri. Cujus præfatus genitor sub prædictis regibus militans, ut vitæ præsentis cunctis mortalibus commune debitum solvit, iste sui generis nobilitatem in pueritia jam quasi fastidiens, solius Christi desiderio anhelans, cunctos supervacuos horrebat honores.

litterarum studiis incumbit. [3]

2. Traditus deinde a parentibus magistris strenuis erudiendus, eruditur sine aliqua suorum instantia, quia capax intellectus solo naturalis ingenii proloquente magisterio, facile omnia abdita penetrabat.

Puella ei desponsata [4]

3. Huic jam adulto castissima despondetur puella. Sed utrique integritatem mentis et corporis caste se servare devoventes, non se abhorrebant quasi diversa sentientes, sed idem volentes, idem respuentes, appetebant quod expediebat, et adversabantur quod sibi obesse intellegebant. Orabant Dominum ut voluptatum venena a cordibus eorum dignaretur repellere. Deinde orante sponsa ut speciositas illius in deformitatem verteretur, illico exaudiente eam Domino, facies illius ita exulcerata ac immundissima lepra cooperta apparuit, ut a consortio hominum segregari decerneretur, et ab occursu mutuo arceri judicaretur. Medicorum deinde concurrit frequentia per providentiam parentum mercede conducta, quatenus caræ soboli opitularentur. Sed quanto instantius huic medendæ instabant, tanto jam non Ansberti sed Christi sponsa deformior ulceratiorque apparebat.

impetrat sibi lepram,

et, rescissis sponsalibus, fit sanctimonialis. [5]

4. Tunc parentes divinitus circa suam filiam hæc fieri perpendentes, dissociabilem condunt libellum repudii, ut virginis desponsatio ab Ansberto ad sponsum Christum transiret, qui

pro deformitate corporis non contemnit, immo amplectitur formositatem mentis.

Ansbertus, jam cancellarius regius, [7]

5. Post hæc vir Domini Ansbertus in aulam regiam a parentibus licet invitus adductus, sicut erat acumine ingenii clarus, cœpit esse aulicus scriba doctus, conditorque regalium privilegiorum et gerulus annuli regalis, quo eadem privilegia signabantur. Ubi positus, piæ doctrinæ exemplis atque humilitatis ad Dominum se convertens, seculum relinquere atque ad monasteria contendere anhelabat. Atque ita in laicali habitu constitutus, prædicatione sancta et sapientiæ doctrina plures exhortando, invitabat ad præmia felicitatis æternæ : ac sic quotidie proficiens atque succrescens, gratiam sibi a Christo collatam augmentare curabat. Cum vero coram rege et principibus consueto more diversa musicæ artis in chordis et tibiis audiret instrumenta personantia, aiebat sibi [1] : *O bone conditor, quale erit te diligentibus canticum angelorum [2] indeficiens in cœlestibus audire, quamque suave ac delectabile, sanctorum choris concinentibus et laudes tibi creatori indesinenter personantibus, si tantam præbes mortalibus industriam, ut peritia artis ac suavitate cantilenæ provocent animos audientium ut te Deum creatorem omnium devote collaudent.*

aulam deserens. [8]

6. Tunc igne divini amoris accensus, ac Sancti Spiritus lumine perfusus, a palatio egreditur, nullique sodalium vel sibi famulantium confiteri volens quid animo disponeret, arripit iter quod ad provinciam ducit Rothomagensem, pervenitque ad cœnobium Fontenellæ, situm in territorio Rothomagensi super fluvium Sequanæ, ubi sacerdos Domini clarus Wandregisilus monasterium construxerat, atque cum magna monachorum cohorte sub sanctæ regulæ jugo laudabilem ducebat vitam. Cumque in eodem monasterio, jubente viro sancto, secundum ordinem monasticum in hospitio fuisset susceptus, cœpit a [3] ministro humiliter implorare quatenus sanctum monasterii patrem mereretur videre. Quem a ministro nuntiatum sanctus pater in præsentiam sui adduci jussit. Tunc humi prostratus, Christum in tanto patre manentem humiliter adoravit, deinde postulavit monachum se fieri, mente et corpore se renun-

monachus fit Fontenellæ.

[1] *supra lin.* vel secum. — [2] angelorum *in marg.* — [3] a *supra lin.*

tiare seculo contestans; comamque sui capitis in Christi amore deponi ut juberet, subnixis precibus flagitabat. Audita vir sanctus ejus petitione, inducias consulendi super ejus postulatione interposuit, ut, sicut apostolica et monastica docet regula, sciret ad quod veniat. Spiritualium itaque fratrum consulta suscipiens, pia ejus vota adimplevit, clericatusque eum[1] habitu decoravit.

Humilitati studet, [9]

7. Sic ex eo tempore vir Dei Ansbertus cœpit sanctarum scripturarum lectione animum suum occupare, et [2] in studio ipsius lectionis sedulus et fervens esse, assidueque dulcissimos earum fructus decerpere. Cumque acumine ingenii beatus pater Wandregisilus eum pollere prævideret, diversorum voluminum copiam ei concite jussit tribui. Quæ cum sedule legendo percurreret, cujusdam sancti patris sententiam repperit hæc continentem : *Monachus*, inquit, *vivat sub unius patris disciplina consortioque multorum, ut ab uno discat humilitatem, ab altero patientiam.* Hæc et cetera legendo et lacrymando [3] percurrens, attentissime pertractabat apud se qualiter hæc operando valeret implere. Primo quidem custodem omnium virtutum humilitatem in corde suo pro fundamento statuit, imitans illum qui dicit : *Discite a me* [4] *quia mitis sum et humilis corde.*

orationi [10]

8. Et cum in vigiliis nocturnis laudes erant Domini decantandæ, in conventu orationis prior omnium apparebat, in hoc etiam sicut et in ceteris actibus imitabilem monachis viam demonstrans; ita ut vir Dei qui regimini loci præerat, multos objurgando corriperet et eorum segnitiem redargueret, pro eo quod præfatus juvenis nuper conversus in Dei opere et regulari observatione eos præveniret. Et cœpit eum carius diligere, sicut monastica docet norma omnimodis eum esse diligendum qui nitore devotionis pollere perpenditur. Quadam itaque die idem Ansbertus eumdem patrem monasterii humiliter exoravit, ut liceret sibi operi manuum extra solitum opus fratrum insistere, ut sua mortificaret membra, quæ erant sibi obstantia ad virtutis [5] exercitia. Cum a patre spirituali quod petierat indultum sibi gauderet, cœpit postulata cum magna implere devotione.

et mortificationi.

[1] eum *in marg.* — [2] et *supra lin.* — [3] et lacr. *supra lin.* — [4] a me *supra lin.* — [5] vel [virtu]tum *supra lin.*

Ruri laborans [11]

9. Eo tempore beatus Wandregisilus, hortatu ejusdem Ansberti, distantem a præfato monasterio passus fere quingentos vineam plantare et excolere cœpit. Quo in loco præfatus vir strenuus et laboriosus Ansbertus dum una cum fratribus operaretur, Theodericus adolescens futurus rex venatibus insistens, ad præfatum Dei hominem accessit, quia noverat eum prudentem doctrina, humilem cultu, sanctissimum imitatione. Nam a sancto Audoeno, Rothomagensis ecclesiæ pontifice, jam fuerat presbyter ordinatus. Hunc itaque Theodericum homo Dei Ansbertus et sancta benedictione munivit et sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit, insuper et regem futurum eum esse prædixit. *Scias*, inquit, *quia honore regni sublimaberis; sed noveris te multa adversa in regno perpessurum, sicque laboriosissime triumphum de hostibus tuis adepturum.* Quod postea rei probavit eventus. Ad hæc adolescens Theodericus inquit : *Si pia omnipotentis Dei ordinatio me in culmine dominationis constituerit, devoveo te Deo dignum fieri antistitem, ut per tuam sanctam doctrinam crescat ecclesia fidelium.* Cui cum adhuc ingeminaret ipsum ex successione hereditaria regni fastigia conscensurum, et ille dubius hujus præsagii non accommodaret fidem, adjecit vir sanctus : *In hoc te oportet meis fidem facere verbis, si hodie*[1] *in hoc hiemali tempore locus in quo tabernaculum istud consistit, qui nunc tritus vestigiis incedentium videtur, viridem produxerit herbam, sicque ceteris agri partibus viridior manserit in æternum.* Quod ita secundum sermonem hominis Dei evenisse, omnibus illo adventantibus indicium est : ita ut usque ad hanc diem locus ille viridior reliqua agri parte appareat, in modum tentorii ibi quondam fixi, sive hiemali sive æstivo tempore. O magna et inclyta istius sancti gloria, cujus laudabile meritum tali signo voluit Dominus demonstrari, ut qui velut palma in Christi domo florebat, tali præsagio virtutis manifestaretur populis.

et jam sacerdos,

vaticinatur Theoderico ipsum regem fore.

Ab abbate Wandregisilo designatus, [13]

10. Igitur cum inclytus Domini sacerdos Wandregisilus, ante transitus sui ex hac vita diem languore correptus, ad extrema pervenisset, interrogatus a fratribus quem ex semetipsis[2] eligerent rectorem, fertur tale eis reddidisse eloquium :

[1] hodie *supra lin.* — [2] ipsis *supra lin.*

Duo sunt in præsentia nostra clarissimi mei filii; hos vicissim mihi volo succedere, scilicet ut, me decedente[1], *prior eorum Lambertus subrogetur, et, illo mortalibus exempto, posterior eorum Ansbertus substituatur.* Itaque eo in cœlestis regni societate assumpto, omnis caterva monachorum eligit Lambertum[2], ejus sanctum discipulum, successorem, qui in regiminis cura secundum consulta sapientissimi Ansberti strenue cuncta atque irreprehensibiliter gereret. Quorum exemplis piæ actionis ac sedulis verborum exhortationibus plurimi fratrum incitati, carpebant itinera sanctæ conversationis.

fit abbas,

11. Illo itaque[3] post multa tempora regiminis sui quod sollerti providentia in bonum finem de bono principio perduxerat, in Lugdunensem præsulatum translato, felix sodalis ejus Ansbertus in vice ejus ad præsidendum fratribus eligitur, promove- [19] tur, et ut fidelis pater assumitur. Qui post susceptam regiminis curam, assidue meditabatur quale susceperat onus, videlicet regere animas gregis sibi a Domino commissi, et multorum servire moribus. Et quia erat adprime sacrarum scripturarum scientia affatim imbutus, commisso sibi gregi indesinenter erogabat pabula æternæ viriditatis, verbis et actibus monstrans itinera sanctæ conversationis. Erat enim, sicut ceteris prælatus, ita cunctis humilior. In vestitu vilis, in cibo mediocris, abstinentiæ jugi deditus, pudicitia ornatissimus, hilaritate cordis et corporis clarus, patientiæ virtute ac caritatis obsequio eleemosynarumque largitione abundantissime cumulatus. His virtutum sanctarum operibus adornatus, in medio fratrum veluti lampas accensa refulgebat, ita ut ex lumine et ex affluentia eloquiorum illius redderentur audientium eum corda flammantia, et plurimi illorum ad lacrymas suffusi, immensas agerent gratias Deo, dicentes : *Benedictus omnipotens Deus, qui talem non nostro merito, sed suæ pietatis intuitu dedit nobis rectorem.*

et, omni virtute refulgens,

confessiones audiendo et docendo externos etiam in bono continet. [20]

12. Cum igitur ejus prærogativa meritorum longius claresceret, confluebant passim ad eum plurimi, salvationis suæ expetentes salubria consilia. Et confluentium ad se confessiones peccatorum suscipiebat, monita eis salutis impertiens, quomodo

[1] *ita corr., prius* decente. — [2] *hoc nomen in marg. add.* — [3] *in marg. add.* Lamberto.

videlicet vias justitiæ sine defectu alicujus tædii immobiliter retinerent. Cujus doctrina et exhortatione plurimi roborati et muniti, ad conversionis gratiam festinabant, plurima deferentes dona in speciebus diversis pretiosorum metallorum, sed et possessionum prædia nonnulla, in diversis sita territoriis, quæ ut multis liquido patet, multimodam millenarii numeri effecerunt summam.

Xenodochium pauperum constituit. [21]

13. Namque in præfato Fontenellæ monasterio inter felicia[1] diversæ bonitatis suæ gesta, etiam xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum instar duodeni apostolici numeri constituit, deputatis eisdem rebus et sumptibus qui sufficientem præberent alimoniam. Alias quoque duas in eodem constituit monasterio pauperum Christi mansiones, quos in octonario ex multis significationibus sacrato numero singillatim habitare fecit, eisque sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit. Hi ad nihil aliud vacant, nisi horis constitutis, diurnis videlicet et nocturnis, in domo Domini residere, orationi ac vacationi divinæ devote insistere, ac tempore sancti sacrificii pro salute ac salvatione populi christiani ecclesiæque catholicæ ubique diffusæ victimam salutarem offerre. O magna et inclyta istius sancti opera, quæ non tantum verbis volant quantum virtutibus constant.

Mortuo Audoeno episcopo Rotomagensi [22]

14. His diebus contigit, ut beatus Audoenus, Rothomagensis urbis episcopus, plenus virtutibus a Domino vocatus, feliciter migraret e mundo. In cujus exequiis beatus Ansbertus cum plurimorum ecclesiasticorum reverenda cohorte affuit, et, ut decebat tantum pontificem, honorifice eum[2] terræ sinibus credidit. Post cujus transitum, ne ecclesia de pastore amisso aliquam jacturam pateretur, cuncti Rothomagensis urbis cives, missa petitione ad Theodericum regem, cum ejus permissu et auctoritate beatum sibi elegerunt Ansbertum consecrari antistitem. Quorum electioni congaudente et annuente rege, cum unanimo voto sanctorum sacerdotum et totius cleri, sanctus Ansbertus dignus esse ad episcopatum promoveri acclamatur, rapitur, diu reluctans attrahitur, obnixius renitens ab acclamatione omnium evocatur, et invitus, et se excusans imparem esse tanto oneri

omnium voto sufficitur.

[1] felicia *supra lin.* — [2] eum *supra lin.*

et sollicitudini, frustrata et postposita ejus excusatione, ab episcopo Lugdunensi consecratur in pontificem ecclesiæ Rothomagensis, annitentibus comprovincialibus episcopis qui ad hoc generale placitum convenerant.

Bona suæ Ecclesiæ maximam partem distribuit famis tempore, [23]

15. Pontificatus itaque onere aggravatus, et præsulatus honore sublimatus, cœpit opere sanctitatis amplius clarescere, prædicationis lumine ubique radiare, viam veritatis cunctis monstrare, pietatis et misericordiæ operam omnibus dare, pauperum, viduarum, pupillorum, peregrinorum et hospitum indesinenter curam gerere : floruit sub illo Christi ecclesia, sicut monasterium ante floruerat. Decrevit malis, crevit gratis [1]. Aliquando ingrediens locum ubi ecclesiæ thesauri erant reconditi, ipsos jussit sibi præsentari, et aliqua describi, plurima reservans, ut eleemosynæ pia largitio e sinu sanctæ matris ecclesiæ cum pietatis fructu benigne procederet. Nam quæ otiose diu congesta fuerant, ad reprimendam validæ famis penuriam quæ tunc populos undique graviter premebat, dignis indigentium usibus deputavit, et dudum defunctis thesauros suos misit, et alieni temporis vota dispensationem fecit suam. Contigit enim tunc pauperum turbam pro foribus clamare, eleemosynam petendo. Quibus ille auditis, et reminiscens divinæ sententiæ dicentis : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur*, largiter eis eleemosynam tribuit, cunctosque gaudentes ad propria remisit.

alens simul animas suorum [24]

16. Sicque postmodum cum in sede urbis suæ missarum sollemnia celebriter ageret, populi diocesis suæ undique ad eum confluxerunt ; quibus lecta sancti evangelii lectione, multa cœpit ventura prædicere, adversa simul et prospera esse cavenda, ut nec uno frangerentur, nec altero extollerentur. Æternæ etiam felicitatis præmia avida intentione esse quærenda commonuit. Et cum multa eis præsentia ac futura per illustrationem Sancti Spiritus prænuntiaret, ex tam excellenti prædicationis gratia sibi divinitus collata, omnes compuncti et divini amoris igne succensi ad pœnitentiam agendam et cetera bonorum operum exercitia peragenda accensi sunt; grates omnimodas agentes summo omnium bonorum largitori, qui talem

[1] *ita corr.* ; *prius* Cr. gr., dec. mal. *Vita edita* Crevit gratiis, decrevit metallis.

eis non sui merito sed propria pietate concesserit doctorem, ut eorum temperaret multiformiter mærorem de eo quem nuper amiserant pastorem. Expletis autem missarum sollemniis, cunctos cives, nobiles videlicet et ignobiles, introduci jussit[1] ad præparata convivia. Ubi cum ordinate fecisset omnes discumbere, ipse ad mensam pauperum resedit, imitans illum qui cum dives esset, propter nos pauper factus est. O quam præclarum pontificem qui suæ familiæ duplicem dabat alimoniam, cum quotidie et corpora replebat cibo terreno, animasque reficiebat divino verbo.

et corpora.

17. Cum vero pro salute animarum attentissime vigilaret, de prædicatione populorum et ecclesiarum restauratione archidiaconos admonebat sollerter curam habere. Census etiam qui de vicis publicis canonico ordine ad partem pontificis persolvi consueverant, gratuita benignitate in restaurationibus ecclesiarum benignissime indulsit presbyteris earumdem Dei ædium. Studebat etiam amore potius regere quam terrore dominari. Denique ut primum pontificali potitus est gradu, prima ei cura concordiæ fuit, et præcipuus labor fraternam dilectionem inviolabilem custodire, quam profluam in omnes caritatem nulla umquam ad plenum valet effari lingua.

Cedit possessione redituum, [25]

et concordiæ curam gerit.

18. Sed hostis humani generis, æmulus semper bonorum, cujus invidia mors propinata est primo homini, egit callidissima arte ut vir splendidus mundo, splendidior in Christo, propria privaretur sede pontificali, essetque gregis[2] detrimentum ablatio tanti pastoris. Nam cum inter principes Francorum sæva esset exorta discordia ob multiformem regni divisionem, malignorum contra Dei famulum acerba[3] exarsit invidia, qui Pippino principi fraudulenter suggesserunt præfatum sanctum virum adversus eum contraria tractasse consilia. Decedente enim de ordine principatus Waratone illustri et ejus filio ac supplantatore nefando Gislemaro, Pipinus præfectoriam administrationem Domino largiente adeptus est. Quo tempore incusatus apud ipsum principem pontifex sanctus Ansbertus[4], jussu ejusdem exilio deportatur in monasterium Altimontis, situm in pago Hainau super Sambram fluvium, consecratum in honore

Falso accusatus [32]

apud Pippinum Heristallum,

relegatur in monasterium Altimontis,

[1] jussit *supra lin.* — [2] gregis *supra lin.* — [3] acerba *supra lin.* — [4] *cod.* Audoenus.

principis apostolorum Petri, cui tempore illo præerat Haldulfus abbas. Nullo autem extante capitali crimine, humiliter sustinuit ibidem[1] exulare.

ubi ob virtutes omnibus carus, [33]

19. Perveniens vero ad præfatum cœnobium, cœpit assuetis sanctæ conversationis ac piæ religionis operibus cunctis ibidem conversantibus monstrare lucis exempla. Quos in divina religione ferventes invenit, sed infra parvi temporis spatium exemplo et doctrina sua ferventiores reddidit. Cui omnipotens Deus hanc contulit gratiam, ut universi loci illius habitatores, cernentes ejus in Christo imitabilem devotionem, eum unico affectu diligerent, nulloque temporis intervallo opportuno ejus abesse vellent colloquio. Sed versutia hostis antiqui instigante, malignorum adversus eumdem virum Dei accendit invidiam, qui prædicto principi iterum moliebantur suggerere ut majora exilio ei inferret detrimenta. Quapropter venerabilem patrem Haldulfum accersiens isdem præclarus pastor, ad prædictum principem Pipinum una cum aliis viris venerandis direxit, satisfaciens humiliter ejus animi voluntati, adjiciens etiam se non sua sponte episcopatus suscepisse gradum, sed jussione principum et electione civium. Quapropter pergens prædictus cœnobii pater ad Pipinum principem, superno juvamine fretus, petita concite impetrare meruit. Reminiscens enim isdem princeps propinqui sui sancti patris Wandregisili, sub cujus sancta disciplina sanctus pontifex Ansbertus olim regulari ordine altus fuerat, quæcumque perperam gesta fuerant, clementer indulsit, insuper et ad sedem propriæ urbis revertendi licentiam tribuit. Sed ne hoc fieret, divina vocatione præventus est.

mittens abbatem ad Pippinum,

in gratiam redit;

sed mox, Deo gratiis actis, [34]

20. Rediens autem venerandus abbas Haldulfus, mandata principis pandit. Ad hæc isdem pontifex : *Gratias*, ait, *tibi ago, bone Jesu, qui disrupisti vincula servi tui, et tribuisti verba placentia in conspectu principis, et liberasti me de manu insurgentium contra me, et injecisti mihi etiam in hac exilii ærumna vinculum amoris tui.*

vicinæ mortis præsagus, Fontenellæ sepeliri cupit. [35]

21. Sentiens vero ex revelatione divina diem suæ vocationis imminere, nam et angelicam super hoc meruit visitationem,

[1] ibidem *supra lin.*

misit iterum ad prædictum principem ut licitum foret ejus corporis membra Fontenellam deferri, ubi dudum regulari ordine Domino militaverat. Rex quod petebatur, extemplo concessit. Et licet pauci ex suis essent cum eo, plurimum tamen confortabatur a Domino, quia valde minus indigebat isdem pater humano solatio, qui fruebatur angelico obsequio. Die igitur v[to] Iduum Februariarum, imminente vocationis suæ hora, convocans fratrum cohortem, celebrari sibi fecit sacra missarum sollemnia. Deinde perceptione corporis et sanguinis Domini se muniens, ac sanctæ crucis vexillo se cunctosque circumastantes signans, somno ultimo exceptus, in mortis quiete dormiens, transiit feliciter e mundo. Et ab angelicis choris anima ejus sancta, generosa et sincera et ab omni contactu mundi incontaminata, in consortio sanctorum et felicitate eorum suscepta est.

Sancte moritur.

22. Cum autem post lavationem corporis ventum esset ad induendum illud, invenerunt in poplitibus genuum et in brachiorum cubitis ob prolixam precum instantiam obduratam cutem : sicque quod egerat vivens, mortificans membra sua, caro pandebat defuncta. Itaque sanctum corpus illud magna fidei ambitione vestitum est ac desuper linteis ceratis obvolutum, quia prædixerat hoc sibi a Domino concessum ut ossa sua in Fontenellæ cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut autem sacris altaribus astare consueverat, ita indui eum curaverunt. Sed cum sudarium cera litum capiti ejus imponere vellent, visus est aperuisse oculos, effigiem præferens viventis, ita ut aliqui dicerent eum revixisse; nam facies illius magno erat rubore perfusa. Quidam autem dicebant pro sudario cera illito quasi indignatum esse. Postea sepultum eum decore et honorificentia summa, et suffragari sibi poscebant et ut cum Deo regnantem suarum precum ad Deum internuntium mittebant.

Dum funus paratur, virtutum insignia prodit corpus, [36] quod sacris vestibus indutum,

23. Cum vero lampas liquore olei plena ante ejus sepulchrum a fidelibus accensa incessanter non solum arderet, sed etiam redundaret, et hoc factum fratres mirarentur ac divinæ gloriæ deputarent, posuerunt aliud vas, in quo distillantia [1] ejusdem olei divinitus excrescentis refunderentur.

miro modo ante illud multiplicato oleo, [37]

[1] *supra lin.* vel stillicidia.

suaviter fragrat, [38]

24. Cum vero x^{cem}vii^{tem} dierum orbita finiretur, legati qui ad Pipinum principem directi fuerant, reversi sunt licentia ab eo accepta ut transferretur quo ipsius decreverat voluntas, nullo sanctæ ejus ordinationi resistente. Cumque sepulchrum illius aperuissent, et putarent corpus ejus ob tam prolixi temporis intervallum jam fœtere, tanta suavitatis fragrantia [1] inde manavit quasi diversis aromatum floribus ac balsami guttulis repleretur omnis ecclesia. Et cum fratres qui ad eum visendum ex propria provincia venerant cum his quos secum in exilio habuerat, ablatis ab eo vestibus cum quibus in sepulchro reconditus fuerat, mutare eas vellent, novis eum indumentis induere cupientes, invenerunt in cubitis ejus signum dominicæ crucis, rosei coloris similitudinem gerens; ut patenter cunctis fidelibus daretur intelligi quia cujus arma vivens portaverat in corde, ejus stigmata defuncti monstrabantur in corpore.

in carne effigiem sanctæ crucis exhibens.

Defertur tandem Fontenellam, [39]

25. Indutum deinde veste pontificali, positumque in lectica, prælatis ante illum aromatibus et incenso, susceperunt illud venerabile corpus cives qui advenerant Rothomagenses, monachique cœnobii Fontenellæ. Sicque pretiosum gestantes onus, ovantes arripiunt iter; et cujus ossa sancta venerabiliter gestabant in terris, in cœlestibus ejus sibi patrocinia adesse confidebant. His fidelium turmis populorum pretiosi confessoris venerabile corpus stipatum et canticis honoratum usque ad Fontenellæ cœnobium perlatum est, et in ecclesia sancti Pauli apostoli positum.

ibique sepelitur incorruptum manens. [48]

26. Postea vero [2] accessit venerandus abbas Hiltbertus ad venerandum corpus, assumptis secum probatæ vitæ fratribus, æstimans illud ob tam prolixi temporis intervallum, nam dies xxx^{mus} instabat, subito fœtere. Cumque sublato velamine denudassent, tantæ suavitatis fragrantia [3] inde manavit veluti si diversorum aromatum odoribus universa compleretur ecclesia. Nam et facies ita rubore erat perfusa quasi in sopore viventis effigiem gerens. Quod multis videntibus stupendum fuit, in homine exanimo hujusmodi apparuisse miraculum. Deinde cum omni diligentia et timore in sindone munda et

[1] *cod.* fraglantia. — [2] vero *supra lin.* — [3] *cod.* fraglantia.

pallio involutum, venerabile corpus posuerunt in sepulchrum quod ei præparaverant in eadem ecclesia sancti Pauli apostoli, juxta sanctissimi patris Wandregisili sepulchrum, ad ejus lævam, die v^{to} Iduum Martiarum, regnante Domino nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu Sancto per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit vita sancti Ansberti archiepiscopi.

SANCTORUM CYRICI ET JULITTÆ

ACTA GRÆCA SINCERA

NUNC PRIMUM EDITA.

Acta sincera sanctorum martyrum Cyrici et Julittæ, ex codice græco bibliothecæ Academiæ Leidensis, fol. n. 10, seculi XI, nunc primum edimus. Quorum sanctorum Acta latina, quæ prædecessores nostri in *Actis Sanctorum Junii,* t. III, ad diem 16, non tam ediderunt, quam doctorum ac piorum hominum risui et contemptui jure ac merito tradiderunt, adeo absurdis incredibilium prodigiorum portentis, tamque fœdis errorum maculis dehonestata sunt, ut mirum non sit inde a seculo V exeunte a Gelasio Papa notissimo decreto fuisse proscripta atque in apocryphorum librorum qui non recipiuntur ordinem redacta. Acta, quæ sincera æstimamus, quæque omni nævo carent, magno cum gaudio nostro in prædicto codice reperimus, atque inter *Analecta Bollandiana,* corrigendis olim *Sanctorum Actis* servitura, typis exscribenda curavimus. Quum tamen textus græcus misere subinde labatur, ita ut nec grammaticæ nec syntaxeos regulas curet, lapsus librarii in versione emendavimus, quantum intelligendi necessitas postulabat. Quod et fecimus in Actis Christophori martyris tomi primi fasciculo primo editis, idemque in reliquis quæ sequentur, observabimus. Textui græco horum ac similium Actorum corrigendo supersedemus. Genuinus enim ac probus textus non nisi plurimorum codicum collatione statui potest: quos codices, si in variis Europæ bibliothecis reperire, quod nulli dubitamus, licuerit, variantes adnotabimus lectiones, ut tandem, multorum usu librorum textus indubius comprobari possit.

Quod ad rei veritatem ipsamque historiam spectat, Acta nostra mirifice confirmantur Epistola Theodori episcopi, cujus duplex exemplar in *Actis Sanctorum Junii,* ad diem 16 mensis, SS. Cyrico et Julittæ sacrum, prædecessores dederunt. Epistolæ exemplar unum latinum, e græco factum, ex MS. Romanis Daniel Papebrochius edidit, alterum græcum sed itidem latine versum, utroque idiomate post Combefisium ibidem tradit. Præfert Papebrochius latinam versionem, cujus græcum textum invenire non potuit, exemplari græco Combefisiano, ac, me quidem judice, præfert merito. Ita incipit : *Charissimo fratri et sancto coepiscopo Zosimo Theodorus, annuente Domino præsul. Quia bono semini hostis,* etc. Hic Theodorus a

Zosimo rogatus fuerat, ut quid tandem veri circa Cyrici ac Julittæ martyrium inveniretur, diligenter investigare dignaretur : nullam enim fidem habendam insulsis Actis quæ circumferebantur. Quod et fecit Theodorus ; quo vero successu fecerit, ex ipsa epistola patebit, cujus textum græcum, e bibliotheca S. Marci Venetiis olim ad prædecessores nostros transmissum hic edimus, quippe qui satis differat a versione latina, quam Papebrochius edidit.

Theodorus ibi fatetur se, quamvis sollicita quærendi diligentia usus fuisset, nullos invenisse commentarios, nullam martyrii historiam litterarum monumentis comprehensam ; sed magnatum illius regionis orali traditione contentam narrationem se hac epistola communicare. Pretiosum exemplar San-Marcianum latine redditum, martyrum Passioni adjungimus.

Unde alia nascitur quæstio, utrum videlicet hæc nostra quæ edimus Acta ex Theodori epistola concinnata sint, an uno eodemque cum illa fonte, separato tamen rivulo, fluxerint. Causa dubitandi hæc est, quod rebus quidem conveniunt, verbis tamen differunt plerumque at non semper. Re vero accuratissime examinata, in eam propendeo sententiam ut Acta nostra antiquiora sint Theodori epistola, verum ex eadem traditionis scaturigine purissima promanarint. Nisi me animus fallat, videor mihi recentius aliquid magisque genuinum ac fonti propius gustare in Actorum simplicitate. Verum instrumento utroque exhibito, judicium penes lectorem maneat.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ

ΚΥΡΙΚΟΥ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΤΤΗΣ.

1. Βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ τοῦ ἀσεβεστάτου καὶ παρανόμου βασιλέως, ἦν διωγμὸς μέγας κατα χριστιανῶν. Οὗτος γὰρ Δομιτιανόν τινα κόμητα τῆς Λυκαονίας καθιστὰ ἡγεμῶνα· ἄνδρα ὠμὸν καὶ ἀπεινῆ, καὶ δίκην θηρὸς σφόδρα χαίροντα τῇ τῶν μαρτυρικῶν αἱμάτων ἐκχύσει. Ἦν τοίνυν ἡ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Ἰουλίττα πόλεως μὲν Λυκαονίας, εὐγενὴς δὲ καὶ τῶν πρώτων τῆς πόλεως. Αὕτη βίου ἀνεπιλήπτου τυγχάνουσα καὶ τῷ Χριστῷ γνησίως δουλεύουσα, ἐποτνιᾶτο καὶ ἤσχαλεν, νικομένην ὁρῶν τὴν εὐσέβειαν, καὶ τὸ τῆς ἀσεβείας σκότος πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περὶκρατοῦν. Ὅμως τὴν ὠμότητα τέως τοῦ τυράννου ἰδοῦσα, [ὅ]πως ἀνηλεῶς ἐξέκοπτεν οὓς εὕρισκεν ἐν Λυκαονίᾳ χριστιανούς, καὶ φοβηθεῖσα μήπως

MARTYRIUM

SANCTI

CYRICI ET JULITTÆ.

1. Imperante Diocletiano impiissimo et iniquo imperatore, erat persecutio magna contra christianos. Ille enim Domitianum quemdam, comitem, Lycaoniæ constituerat gubernatorem, virum crudelem ac durum et ad instar feræ vehementer gaudentem martyrum sanguinis effusione. Erat igitur Christi martyr Julitta, civitate quidem Lycaoniæ, nobilis autem et ex primoribus urbis. Ipsa vitæ irreprehensibilis existens et Christo legitimam servitutem serviens, indignabatur et dolebat, prostratam videns pietatem, et impietatis caliginem universo mundo dominantem. Attamen crudelitatem aliquamdiu tyranni intuita, quomodo absque misericordia enecaret quos inve-

καὶ αὕτη ἁλῷ, τόπον δὲ τῇ ὀργῇ κατὰ τὸ γεγραμμένον διδοῦσα, ὑπεξέρχεται τῆς Λυκαονίας μετὰ καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς νηπίου ἔτι ὄντος, τοῦ καλλινίκου λέγω μάρτυρος Κηρύκου, καὶ δύο θεραπενίδων· καταλείψασα πᾶσαν τὴν περιουσίαν αὐτῆς, δια τὸ πρὸς τὸν Χριστὸν φίλτρω· καὶ σκύβαλα τὰ πάντα ἡγησαμένη κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον, ἵνα Χριστῷ νυμφευθῇ. Ἐλθοῦσα δὲ εἰς Σελεύκειαν, καὶ πλείωνα τάραχον εὑροῦσα καὶ μείζονα πόλεμον κατὰ τῶν χριστιανῶν, Ἀλεξάνδρου ἐκεῖσε ἡγεμῶνος ὑπο Διοκλητιανοῦ βασιλέως ἀποσταλέντος πολὺν τὸν θυμὸν καὶ τὴν μανίαν κεκτημένου κατὰ τῆς εὐσεβείας, καὶ πάντας χριστιανοὺς κατάναγκάζοντος θύειν εἰδώλοις, καὶ παντοίαις τιμωρίαις τοὺς μὴ πειθομένους καθὑποβάλλοντος καὶ πικροτάτῳ θανάτῳ παραδιδόντος, κἀκεῖθεν ἐξελθοῦσα ᾤχετο κατὴν Ταρσὸν· ἥτις ἐστὶ μητρόπολις τῆς πρώτης τῶν Κιλίκων ἐπαρχίας.

2. Τοῦ οὖν ἀπηνοὺς καὶ ἐμβριθεστάτου Ἀλεξάνδρου, ὥσπερ ἐξ ἐπιτάγματος ἀπὸ Σελευκείας εἰς Ταρσὸν μεταβάντος, συλλαμβάνεται αὖθις ἡ καλλίνικος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Ἰουλίττα, τὸν υἱὸν αὐτῆς καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρα Κήρυκον ταῖς οἰκείαις ἀγκάλαις κατέχουσα· εὐθὺς οὖν αἱ αὐτῆς θεράπεναι ἀποδράσασαι, θεωροὶ ἔξωθεν τῶν εἰς αὐτὴν πραττομένων ὑπῆρχων. Παραστάσα τοίνυν ἡ μάρτυς τῷ βήματι Ἀλεξάνδρου, καὶ αὐτοῦ ποιθομένου αὐτῇ προσηγορίαν καὶ τύχην καὶ τὴν πατρίδα, ὦ μακαρίας

niebat Lycaoniæ christianos, ac timens ne quando et ipsa caperetur, locum iræ, secundum quod scriptum est, dedit atque excessit Lycaonia, cum filio suo adhuc parvulo, præclarum victoria dico martyrem Cyricum, et duabus ancillis, derelicta omni substantia sua propter Christi amorem, et omnia detrimentum arbitrata juxta beatum Paulum, ut Christo desponsaretur. Profecta vero Seleuciam, etiam plures turbas invenit ac majus bellum in christianos, Alexandro illuc gubernatore a Diocletiano imperatore misso, qui multam iram ac rabiem collegerat contra pietatem, et omnes christianos cogebat sacrificare idolis, et omnimodis suppliciis eos qui non obediebant, subjiciebat et acerbissimæ neci tradebat. Atque inde egressa migravit Tarsum, quæ est metropolis primæ Cilicum provinciæ.

2. Sævo itaque et ferocissimo Alexandro quasi ex condicto Seleucia Tarsum transeunte, comprehenditur quoque victrix præclara, martyr Christi Julitta, filium suum etiam Christi martyrem Cyricum propriis ulnis complexa. Statim ergo ambæ ipsius ancillæ cursu elapsæ, spectatrices deforis eorum quæ in ipsam fiebant, aderant. Astitit igitur martyr tribunali Alexandri. Et ipso interrogante nomen ac fortunam ac patriam, o beatam animam et Dei amore omnino sub-

ψυχῆς καὶ Θεοῦ ἔρωτι ὅλως κεκρατημένης· οὐ τὸ θηριῶδες τοῦ δικαστοῦ, οὐ τῶν ποικίλων βασανιστηρίων τὰ ὄργανα ἐν ὀφθαλμοῖς ὄντα, οὐκ ἀλλ' ὅτι τῶν φοβεῖν δυναμένων τὸ γενναῖον αὐτῆς καὶ ἰσχυρὸν τῆς ψυχῆς κατεμάλαξεν· ἀλλ' εὐθὺς οὐ μόνον παρρησίᾳ τὸν Χριστὸν ἀνεκήρυττε μεγάλῃ φωνῇ, κύριόν τε καὶ τοῦ παντὸς δεσπότην, ἀλλὰ καὶ τῷ ἡγεμῶνι ἄνοιαν, καὶ τοῦ δήμου παντὸς περιφανῶς κατεγίνωσκε· ὅτι τὸν Θεόν, λέγουσα, τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς καταλιπόντες, δαίμωσιν καὶ ξοάνοις κωφοῖς θύετε καὶ ἡμᾶς τήμερον καταναγκάζεται θύειν. Οὐκ ἐνεγκὼν τοίνυν ὁ ἡγεμὼν τὴν παρρησίαν τῆς μάρτυρος, ἀλλ' ασχέτῳ θυμῷ ἀναφθείς, κελεύει εὐθὺς ἀφαιρεθῆναι αὐτῆς τὸν παῖδα καὶ προσαχθῆναι αὐτῷ, οἷα δὴ καὶ ἀστειον ὄντα, καὶ μηδὲν τῶν κατα πρόθεσιν ἐπιστάμενον, τὴν ἁγίαν δὲ κατα γῆς ἁπλωθεῖσαν νεύροις ὠμοῖς ἀφειδῶς τύπτεσθαι. Ὡς δὲ βίᾳ τὸν παῖδα ἐκ τῶν τῆς μάρτυρος ἀγκαλῶν οἱ δήμιοι ἥλκυσαν, κλαυθμυρίζοντά τε καὶ τοῖς ποσὶν σπέροντα καὶ ὅλῃ ὁρμῇ πρὸς τὴν μητέρα σπεύδοντα ὑποστρέφειν, καὶ ὀφθαλμοῖς δακρύων μεστοῖς εἰς αὐτὴν ἐνορῶντα, ἄγουσι μὲν τοῦτον τῷ ἡγεμῶνι· ἐπ αὐτὴν δὲ ἐπλήρουν τὸ προσταχθέν. Τῆς μάρτυρος οὖν ὡς ἀνδριάντος τινὸς ἀψύχου πρὸς τὰς βασάνους διακειμένης, καὶ ἀφορήτοις πληγαῖς ἀνηλεῶς αὐτὴν οἱ δήμιοι κατακόψαντες, οὐδὲν ἦν αὐτῇ ἕτερον τὸ φθεγγόμενον ἢ ὅτι· Χριστιανή εἰμι καὶ δαίμοσιν οὐ πεισθήσομαι ἀνοήτως ὡς ὑμεῖς θῦσαι.

actam! non ferinus judicis vultus, non variorum tormentorum instrumenta in oculis posita, neque aliud quidquam eorum quæ terrere possunt, generosam ejus ac fortem animam emollivit; sed illico non modo libere Christum prædicabat magna voce Dominum et universi dominatorem, verum etiam gubernatori amentiam atque universo populo luculenter exprobravit, quod *Deo,* inquit, *cœli ac terræ relicto, dæmonibus ac simulacris mutis ac surdis sacrificatis et nos hodie cogitis sacrificare.* Non ferens igitur gubernator libertatem loquendi martyris, sed impotenti ira succensus, jubet statim auferri ipsi puerum et afferri sibi, utpote qui et pulcher esset, et nihil eorum quæ agebantur, sciret: sanctam vero humi stratam nervis crudis severe cædi. Ut autem vi puerum ex martyris ulnis carnifices traxerant, plorantem ac pedes hinc inde jactitantem ac toto impetu ad matrem studentem reverti, et oculis lacrymarum plenis ad ipsam aspicientem, ducunt quidem hunc ad gubernatorem; in ipsam vero impleverunt mandatum. Martyre igitur ut statua quadam inanima adversus tormenta se habente, et intolerabilibus plagis absque misericordia ipsam carnificibus concidentibus, nulla erat

3. Τὸ οὖν παιδίον ὁρῶν τὴν μητέρα οὕτω δεινῶς βασανιζομένην, ἐπιπλεῖον πενθῶν ἦν, καὶ ὡς αὐτὸ μᾶλλον βασανιζόμενον. Ὁ ἡγεμὼν δὲ τοῦτο λαβόμενος ταῖς χερσὶν, ἐπειρᾶτο θωπείαις δυσωπεῖν μὴ ἀποκλαίεσθαι· ἀλλὰ καὶ τοῖς γόνασιν αὐτοῦ ἐπετίθη καὶ φιλεῖν ἐπεχείρη. Ὁ παῖς δὲ τὴν μητέρα διόλου ἐνάτενίζον, τὸ πένθος μᾶλλον ἐπηύξανε, καὶ τὸν ἡγεμόνα ἀπεσείετο, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀφίστα κεφαλήν· ταῖς χερσὶν ἀντιβαίνων, καὶ τὴν τοῦ ἡγεμῶνος ὄψιν τοῖς ὄνυξιν ἀποκνίζων· ἀλλὰ καὶ ὡς τῆς σώφρονος τρυγῶνος περικαλὴς νεοσσὸς, μιμηλλὴν ἀπεφθέγγετο φωνὴν ὁ ἅγιος Κήρυκος, αὐτὸ τὸ ὑπο τῆς μητρὸς λεγόμενον κήρυγμα κράζων, καὶ λέγων· Χριστιανός εἰμι. Ἐπεὶ δὲ πάντοθεν ἠπορεῖτο, καὶ οὐκ εἶχεν ὅπως πρὸς τὴν μητέρα αὐτοῦ ἀπελθεῖν, ἤργοντος αὐτὸ τοῦ ἡγεμῶνος, λὰξ ἐντείνει τῷ δικαστῇ κατὰ τοῦ πλευροῦ· φιλεῖ γάρ πως ὡς τὰ πολλὰ ἐν τοιούτοις ἡ νιπιάζουσα φύσις. Ὁ ἄγριος οὖν θὴρ ἐκεῖνος· οὐ γὰρ ἄνθρωπον αὐτὸν ἄξιον προσάγορευθεῖναι, μὴ συγγνώμονα γενόμενον πράξεως τοιούτου παιδὸς, καὶ οὕτω πάνυ ὡραιοτάτου· θυμωθεὶς κατὰ τοῦ παιδὸς καὶ τοῦτον ἐκ τοῦ ποδὸς ἐπιλαβόμενος· ὢ μιαρᾶς χειρὸς, ἠκόντισεν κατὰ τοῦ κριμνοῦ· τοῦ δὲ κρανίου τοῦ καλλινίκου μάρτυρος ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ ὁμολογίᾳ κατὰ τῆς τῶν βαθμῶν γονίας πρὸςραγέντος· ἦν γὰρ καὶ τὸ τοῦ δικαστηρίου βῆμα ὑψιλὸν λίαν· καὶ τῷ ὀξεῖ τῆς ἀντὶτυπίας κατὰθρυβέντος, αἱμάτων

ipsi alia vox quam : *Christiana sum et dæmonibus non persuadebor stupide ut vos sacrificare.*

3. Itaque puer videns matrem ita ferociter tortam, plus lugebat, quasi ipse magis torqueretur. Gubernator autem illum manibus suis apprehendens, conabatur blanditiis permovere ne fleret ; sed et genibus suis imponebat et osculari volebat. Puer vero matrem omnino attentis oculis aspiciens, luctum potius adaugebat, et gubernatorem repellebat, et suum retrahebat caput, manibus obnitens et gubernatoris vultum unguibus vellicans; verum etiam ut castæ turturis præstantissimus pullus, imitatoriam insonabat vocem sanctus Cyricus, ipsum a matre dictum præconium clamans, et dicens : *Christianus sum*. Quum vero omni ex parte consilii inops esset, et non haberet qua ad matrem suam abiret, coercente ipsum gubernatore, calcibus ferit judicem circa latera. Amat enim hoc quodammodo ut plurimum in hujusmodi adjunctis infantilis natura. Immanis igitur fera ista (non enim hominem ipsum dignum appellari, qui non indulserit facinus ejusmodi puero, et sic omnino formosissimo), ira æstuans in puerum, ipsumque pede apprehendens, o scelestam manum, jaculatus est in præceps. Cranio pulchre vincentis martyris in hujusmodi

μὲν ἐπλήρου τὰ προ τοῦ βήματος, εἰς χεῖρας δὲ Θεοῦ ἀπεδίδου τὸ πνεῦμα· καθὼς φησὶν ὁ μέγας ἐν προφήτες Δαβίδ· Ψυχαὶ, λέγων, δικαίων ἐν χειρὶ Θεοῦ. Τοῦτο τοίνυν ἡ ἁγία Ἰουλίττα θεασαμένη, καὶ χαρᾶς ὥσπερ ἀφάτου πληρωθεῖσα, ὅτι τοιοῦτον δῶρον πρὸσήνεγκε τῷ Θεῷ· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε, ἔλεγεν, ὅτι κατηξίωσάς με ἰδεῖν τὸν ἐμὸν υἱὸν προ ἐμοῦ τελειωθέντα καὶ τοῦ ἀμαραντίνου στεφάνου τῆς σῆς ἀγαθότητος καταξιωθέντα.

4. Σχετλιάσαντος δὲ ἐπι τοῦτο τοῦ δικαστοῦ, κελεύει ἀρμενταρίῳ [?] ἀναρτηθεῖσαν αὐτὴν εὐτόνως ξαίεσθαι, καὶ ἀπο τοῦ λέβητος ἀντλεῖσθαι πίσσαν κοχλάζουσαν, καὶ τοῖς ποσὶν αὐτῆς ἐπιχέεσθαι· τοῦ ἡγεμῶνος τῷ κήρυκι παρακελευομένου λέγειν αὐτῇ· Ἰουλίττα, ἐλέησον σεαυτην καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς καὶ ἀπαλλάγηθι τῶν βασάνων· μήποτε καὶ αὐτὴ κακῷ μόρῳ ὥσπερ καὶ ὁ υἱός σου, τοῦ γλυκητάτου στερηθεὶς τούτου κόσμου. Ἡ τοίνυν ἀθληφόρος τὰ μέλλοντα τοῖς νοητοῖς ὀφθαλμοῖς καθὸρῶσα, γενναίως τὰς βασάνους ὑπέμενεν, παρρησίᾳ βοῶσα· Ἐγὼ δαίμοσιν κωφοῖς καὶ ἀλάλοις ξοάνοις οὐ θύσω· σέβομαι γὰρ Θεὸν δι οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· καὶ τὸν ἐμὸν σπεύδω υἱὸν καταλαβεῖν, ἵνα σὺν αὐτῷ καταξιωθῶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανὸν. Ὡς δὲ τὸ στερὸν καὶ γενναῖον ἑώρα ὁ τύραννος τῆς τοῦ Χριστοῦ μάρτυρος Ἰουλίττης, οὐκ ἐνεγκὼν τὴν παρρησίαν αὐτῆς, ἀποφαίνεται ξίφει ἀποτμηθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, καὶ τὰ σώματα αὐτῆς τε καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς

confessione contra graduum angulum prorupto (erat enim judicii tribunal sublime valde) et vehementia repercussionis comminuto, hic sanguine quidem replevit locum pro tribunali, in manus autem Dei reddidit spiritum, quemadmodum dicit magnus inter prophetas David: *Animæ*, inquiens, *justorum in manu Dei*. Hoc itaque sancta Julitta intuita, et lætitia quasi ineffabili repleta, quod tale donum obtulerat Deo : *Gratias ago tibi, Domine*, inquit, *quod dignatus es me videre meum filium ante me consummatum et immarcescibili corona bonitatis tuæ dignum factum*.

4. Indignatus super hoc judex, jubet suspensam illam valide laniari, et ex lebete hauriri picem bullientem et pedibus ejus infundi, gubernatore præconem jubente dicere ipsi : *Julitta, miserere tui ipsius et sacrifica diis, et liberare tormentis, nequando et ipsa mala morte, sicuti filius tuus, dulcissimo priveris hoc mundo*. Porro athleta intellectualibus oculis futura conspiciens, generose tormenta sustinuit, libere clamans : *Ego dæmonibus surdis et mutis simulacris non sacrificabo ; adoro enim Deum per quem omnia facta sunt, et meum studeo filium comprehendere, ut cum ipso digna fiam regno cœlorum*. Ut vero firmitatem et generositatem videbat

εἰς τὸν τῶν καταδίκων τόπον ῥιφῆναι. Ὡς οὖν τὸν ἠθισμένον τόπον τῆς τελειώσεως ἔφθασεν ἡ ἁγία, παρεκάλεσεν τοὺς ἀπάγοντας αὐτὴν δημίους ἐνδοῦναι αὐτῇ μικρὸν, τοῦ προσεύξασθαι. Οὗ γεγονότος, κλίνασα τὰ γόνατα προσηύξατο, λέγουσα· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, τῷ πρόσκαλεσαμένῳ προ ἐμοῦ τὸν υἱόν μου, καὶ ἀξιώσαντι δια τὸ ὄνομά σου τὸ φοβερὸν καὶ ἁγίον τὴν ματαίαν ταύτην καταλιπεῖν ζωὴν, καὶ τῇ αἰωνίᾳ ζωῇ μετὰ τῶν ἁγίων σου συναφθῆναι· δέξε οὖν καμὲ, δέσποτα, τὴν ἀναξίαν σου δούλην, καὶ ταῖς φρονήμοις παρθένοις συγκαταρίθμησον, εἰς τὸν αἰώνιόν σου καὶ ἄφθαρτον νυμφῶνα· ὡς ἂν σὺν αὐταῖς εὐλογῶ σε τὸν παντοκράτορα Θεὸν σὺν τῷ Υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ σου Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Καὶ τελειωσάσης τὴν εὐχὴν εὐθὺς ὁ σπεκουλάτωρ τῷ ξίφει ἀπέτεμεν τὸν τίμιον αὐτῆς αὐχένα, ἔξω τῆς πόλεως· ῥίψας καὶ τὸ ταύτης ἅγιον λείψανον κατὰ τὴν πρόσταξιν τοῦ τυράννου ἔνθα καὶ τὸ τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Κηρύκου ἔρειπτο τίμιον σῶμα.

5. Τελειοῦνται δὲ τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ἡ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Ἰουλίττα σὺν Κηρύκῳ, τῷ ταύτης υἱῷ καὶ τοῦ Χριστοῦ ἀθλοφόρῳ, τῇ πεντεκαιδεκάτῃ Ἰουλίου μηνός· γένους μὲν ὄντες λαμπροῦ καὶ περιφανοῦς ἐκ πόλεως Λυκαονίας, ἐν Εἰκονίῳ δὲ τὴν οἴκησιν ἔχοντες ἐν τῇ μικρᾷ ταύτῃ καὶ ματαίᾳ

tyrannus Christi martyris Julittæ, non ferens dicendi libertatem ejus, sententiam dat, gladio amputari caput ejus et corpora ipsius et filii ejus in damnatorum locum jactari. Ubi ergo consuetum locum consummationis attigit sancta, rogavit abducentes ipsam carnifices ut concederent sibi paululum, orandi ergo. Quo facto, flexis genibus, oravit dicens : *Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, qui advocasti ante me filium meum, et dignatus es me propter nomen tuum tremendum ac sanctum vanam hanc relinquere vitam, et æternæ vitæ cum sanctis tuis consociari. Suscipe igitur et me, Domine, indignam tuam ancillam, et prudentibus virginibus connumera in æternam tuam et incorruptibilem nuptiarum aulam, ut cum ipsis benedicam tibi omnipotenti Deo cum Filio et sancto Spiritu in secula. Amen.* Et perfecta oratione, statim spiculator gladio abscidit venerandam ipsius cervicem, extra urbem, jactatus et hujus sacras reliquias juxta præceptum tyranni quo et victoria præstantis martyris Cyrici projectum erat pretiosum corpus.

5. Consummantur autem Dei caritate Christi martyr Julitta cum Cyrico, ipsius filio et Christi athleta, quinta decima Julii mensis, genere quidem orti splendido atque illustri, ex civitate Lycaoniæ, Iconii vero habitationem habentes in parva hac et vana vita; nunc

ζωῇ· νῦν δὲ διὰ τοῦ μαρτυρίου λαμπροὶ ὡς ἀληθῶς γεγονῶτες καὶ ἀφθάρτου λαβόμενοι ζωῆς, τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ἔχωσιν, τῆς ἀφράστου χαρᾶς σὺν μαρτύρων χοροῖς εἰς αἰῶνας κατάπολαύοντες. Αἱ δύο οὖν τῆς ἁγίας θεράπεναι νυκτὸς τὰ ἅγια ἀνελόμεναι σώματα, καὶ εἰς γῆν ταῦτα ἐντίμως κρύψασαι, εἶχον παρ ἑαυταῖς λάθρα πηγὴν ἀνεξάντλητον ἰαμάτων τῶν μετα πόθου καὶ πίστεως τοῖς ἁγίοις πρὸσέρχομένων. Μέχρι δὲ τῶν χρόνων τοῦ ἐν ἁγίοις μεγάλου Κωνσταντίνου βασιλέως ἡ μία τῶν θεραπενίδων ἐπιβιώσασα, πᾶσι κατάδηλον τὸν τόπον ἐν ᾧ οἱ ἅγιοι ἀπετέθησαν ποιεῖ, δια τῆς τῶν ἐν αὐτῷ ἀπείρων γενομένων θαυμάτων· εἰς δόξαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἀνάρχου αὐτοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ παναγίου καὶ ζωοποιοῦ αὐτοῦ Πνεύματος, τῆς μιᾶς ἀδιαιρέτου θεότητός τε καὶ δόξης· ᾗ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

vero per martyrium splendidi revera facti et incorruptibilem adepti vitam, conversationem in cœlis habent, ineffabili gaudio cum martyrum choris in secula perfruentes. Duæ itaque Sanctæ ancillæ noctu sacra abstulere corpora, et in terra ea honorifice occultavere; habebantque apud sese clam fontem inexhaustum sanationum eorum qui cum amore ac fide sanctis appropinquant. Usque ad tempora magni inter sanctos Constantini imperatoris una ancillarum superstes omnibus manifestum locum in quo sancti depositi erant, facit, per [exhibitionem] innumerabilium ibi patratorum miraculorum, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi et principio carentis ipsius Patris et per omnia sancti ac vivifici ipsius Spiritus, unius indivisæ deitatis et gloriæ : quam decet omnis gloria, honor et adoratio nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

EPISTOLA THEODORI EPISCOPI

QUÆ (1) INSCRIBITUR :

Μαρτύριον τῶν ἁγίων Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης τῆς μητρὸς αὐτοῦ.

1. Τῷ ἀγαπητῷ αὐτοῦ ἀδελφῷ, καὶ συλλειτουργῷ, καὶ συνεπισκόπῳ Ζωσίμῳ Θεόδωρος ἐλέει Θεοῦ ἐπίσκοπος, ἐν Χριστῷ χαίρειν. Ἐπείπερ τῷ καλῷ σπέρματι εἴωθεν ἐπισπείρειν ὁ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐχθρὸς τὰ ζηζάνια, δέον ἐστὶ τοὺς τῆς ἐκκλησίας τροφήμους ἐπαγρυπνεῖν, καὶ φυλάττειν ἀνεπίμικτον πάσης ἀκαθάρτου ἐπινοίας τὸν τῆς θεοσεβοῦς πίστεως σπόρον· ὅπως βλαστάνων καὶ κατὰ Θεὸν αὐξάνων πολυφόρον ἀποδώσῃ τῷ Κυρίῳ τὸν καρπὸν, τρέφων τὰς τῶν εὐσεβούντων ψυχὰς καὶ τοῖς ἴχνεσι τῶν ἁγίων ἐπακολουθεῖν ἐσπουδακότων. Τοῦτο δέ φημι πρὸς τὴν σὴν θεοφιλίαν, ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, διὰ γραμμάτων σπευσαμένην τῆς ἐμῆς σμικρότητος εἴ γε καὶ ἐν τῇ Εἰκονιέων πόλει, ὅθεν ὁρμᾶσθαι λέγεται ἡ καλλίνικος μάρτυς Ἰουλίττα καὶ ὁ ταύτης ἐπίδοξος υἱὸς Κήρυκος, εὑρίσκεται τὸ παρὰ πολλοῖς μάλιστα δὲ τοῖς ἀγροικοδεστέροις προφερόμενον αὐτὸν μαρτυρολόγιον, πολλὴν ἔχον πρὸς τὴν ἀλήθειαν τὴν ἐναντιότητα· καὶ οὐδὲ τάξιν τινὰ σώζων ἢ ἀκολουθείαν ἐν τοῖς νοήμασιν ἢ ταῖς λέξεσι.

MARTYRIUM SANCTORUM CYRICI ET JULITTÆ MATRIS EJUS.

1. Dilecto fratri suo et cosacerdoti et coepiscopo Zosimo, Theodorus miseratione Dei episcopus, in Christo salutem. Quandoquidem bono semini solet superseminare humanæ salutis inimicus zizania, oportet Ecclesiæ nutricios vigili cura attendere, et custodire impermixtam omni impuro commento religiosæ fidei sationem, ut germinans et secundum Deum crescens, uberem reddat Domino fructum, pascens animas piorum et vestigiis sanctorum insistere studentium. Hoc autem dico ad tuam in Deum caritatem, dilecte frater, per litteras sciscitatam a mea parvitate utrum etiam in Lycaoniensium civitate, unde prodiisse legitur victoria splendens martyr Julitta et hujus gloriosus filius Cyricus, reperiatur illa a multis, præsertim vero ab agrestioribus, prolata ipsorum martyrii historia, multa habens adversus veritatem opposita, ac neque ordinem servans vel consequentiam in sensibus vel in dictionibus.

(1) In cod. Veneto S. Marci n. CCCLXII. Est autem codex hic « in folio, membranaceus, foliorum 278, sæculi circiter XI. » *Græca D. Marci Bibliotheca* Laur. Theupoli, 1740, pag. 166.

2. Τὸ τοιοῦτον πλάσμα τοῦτο τοίνυν λαβὼν, καὶ ἀκριβέστερον ἀναπτύξας, ἀληθεύοντά σε, τιμιώτατε, ηὕρισκον· ὄντως γὰρ, καθά τινι τῶν πατέρων περί τινων ἐν τοῖς οἰκείοις λόγοις εἴρηται· Βατράχων τινῶν καὶ κολοιῶν φλυαρίας ἄξια τὰ πλεῖστα τοῦ τοιούτου συγγράμματος, καὶ τερθρίας ἀπηχήματα τυγχάνουσι. Καὶ οἶμαι, θεόφιλε, Μανιχαίων τὸ τοιοῦτον σύνταγμα εἶναι· τοῦτο γὰρ τεκμήριόν ἐστιν ἐκ τῶν τοιούτων τρόπων [καὶ] αὐτοῦ τοῦ γράμματος αἰνειγμάτων· ἢ ἄλλων ἑτεροδόξων ἢ πολλάκις ἐθνικῶν τυγχάνειν καὶ μάταιον τὸ πόνημα· διαπεζόντων τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα, καὶ σκάνδαλον καὶ μωρίαν ἡγούμενοι τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ. Σφόδρα δὲ τοῦ σοῦ φροντίσας ἐπιτάγματος, ἀνεζήτουν εἴ γε δυναίμην ὑπομνήματα εὑρεῖν τὴν γενναίαν αὐτῶν ἄθλησιν.

3. Καὶ τοῦτο μὲν οὐκ εὐπόρησα. Ἐπυνθανόμην δὲ πολυπραγμονικώτερον παρὰ τῶν ἐν τέλει ἐπιχωρίων εἴ τι εἰδέναι λέγοιεν. Μαρκιανὸς τοίνυν ὁ φιλόχριστος τρίβουν ὁ νοτάριος, καγκελλάριος γενόμενος Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἡνίκα ἦρχε τῆς στρατοπαιδικῆς ἀρχῆς, καὶ Ζήνων ὁ σοφώτατος καὶ αὐτὸς γενόμενος τοῦ τηνικαῦτα σύνεδρος, ταῦτα περὶ τῶν ἁγίων ἐξῆλθον, ὡς παρά τινων ἀκηκόασί γε τῶν εὐπατρίδων ὅτι τε προσγενεῖς αὐτῶν ὑπάρχων πρὸ τοῦ αἵματος, τῆς Λυκαονίας ἄνθος ὑπάρχουσα ἡ ἀείμνηστος μάρτυς Ἰουλίττα, βίου ἀνεπιλήπτου τυγχάνουσα καὶ τῷ Χριστῷ γνησίως

2. Ejusmodi figmentum illud accepi, et accuratius evolvens, veracem te, reverendissime, inveni. Re enim vera, quemadmodum aliquis patrum de quibusdam in scriptis suis dixit: *Ranarum quarumdam et culicum nugacitate digna pleraque hujus scriptionis, et præstigiarum præcepta sunt*. Et credo, o amice Dei, Manichæorum hujusmodi opus esse (et hujus rei certum signum existit ex horum moribus et ipsius libri ænigmatis) vel aliorum heterodoxorum vel forsitan ethnicorum, atque inanem laborem, eorum qui irrident veritatis præconium, et scandalum et stultitiam reputant crucem Christi. Vehementius autem tuo studens præcepto, inquirebam num forte possem commentarios reperire, genuinum eorum certamen.

3. Et hæc quidem res haud prospere mihi cessit. Interrogabam autem, data sæpius opera, incolarum magistratus, si quid se scire dicerent. Marcianus ergo Christi amicus, tribunus notarius, qui cancellarius fuit Justiniani imperatoris, quando præerat exercendorum militum muneri, et Zeno sapientissimus et ipse tunc hujus assessor, hæc de sanctis narrabant, audivisse se a quibusdam ex primoribus, quod cognati ipsorum essent per sanguinem, et Lycaoniæ flos existeret semper memoranda martyr Julitta, vita irreprehensibili prædita et

λατρεύουσα, ὥς τε μνείαν αὐτῆς ἐπιτελεῖν πᾶν ἔτος ἕκαστον, ἐξαιρέτως τοῦτο παρὰ τοὺς ἄλλους πράττοντες διὰ τὴν συγγένειαν.

4, Αὕτη δὲ ἐκ βασιλικοῦ αἵματος καταγομένη, διωγμοῦ πνεύσαντος κατὰ τῶν χριστιανῶν ἐπὶ Δομετιανοῦ καταστάντος τῆς Λυκαονίας, ἀνδρὸς θηριοδεστάτου, καὶ σφόδρα χαίροντος τῇ τῶν μαρτυρικῶν αἱμάτων ἐκχύσει· φυγὰς αὐτὴ γεγονέναι μετὰ δύο θεραπενίδων καὶ τριετοῦ παιδὸς, φημὶ δὴ τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Κηρύκου, ἐκ τῆς Εἰκονιέων πόλεως, ἧς καὶ ὡρμᾶτο· τὴν μὲν οὐσίαν αὐτῆς ἱκανὴν οὖσαν καταλιποῦσα, καταλαμβάνει τὴν Σελεύκιαν.

5. Καὶ ἐπὶ ταύτην δὲ πλείονα τάραχον τῶν χριστιανῶν εὑροῦσα, Ἀλεξάνδρου τινὸς ὑπὸ Διοκλητιανοῦ τοῦ ἀσεβεστάτου βασιλέως ἡγεμῶνος καταστάντος ἐν τῇ Σελευκέων πόλει· καὶ πρόσφατον δεξαμένου βασιλικὸν διάταγμα, παρακελευόμενος παντοίως τιμωρεῖσθαι τοὺς μὴ θύοντας τοῖς εἰδώλοις, οὕσπερ θεοὺς ἀπεγράφοντο· λογισαμένη ἐκείνη ἡ μακαρία τὸ τῇ θείᾳ γραφῇ περιεχόμενον, Δότε τόπον τῇ ὀργῇ, ὡς ἂν μὴ ἐπιδοῖεν τοῖς κινδύνοις, κἀκεῖθεν φυγὰς ᾤχετο κατὰ τὴν Ταρσόν· ἥτις ἐστὶ μητρόπολις τῆς πρώτης Κιλίκων ἐπαρχίας. Ὥσπερ δὲ ἐξ ἐπιτάγματός τινος μεταστάντος κατ' αὐτὴν τοῦ ἀπεινοῦς καὶ ἐμβριθεστάτου Ἀλεξάνδρου, κατὰ πολὺ τὸν Δομετιανὸν τῇ κακίᾳ ὑπερακοντίσαντος, συλλαμβάνεται ἡ καλλίνικος μάρ-

Christo generose serviens, ita ut memoriam ejus celebrarent per singulos annos, eximie id præ reliquis facientes propter cognationem.

4. Ipsa vero ex regio sanguine prognata, persecutione spirante contra christianos, sub Domitiano Lycaoniæ constituto, viro ferino et vehementer gaudente martyrum sanguinis effusione, fugam cepit cum duabus ancillis et puero trimo (dico autem victoria splendidum martyrem Cyricum), ex Lycaoniensium urbe, unde et ortum ducebat, relicta quidem substantia sua satis magna, et Seleuciam pervenit.

5. Atque ibidem majores turbas christianorum inveniens, Alexandro quodam a Diocletiano impiisimo imperatore, gubernatore constituto in Seleuciensium urbe, ac novo suscepto imperatoris decreto, jubente omnimodis suppliciis affici eos qui non sacrificarent idolis, quos deos conscripserant, secum reputans illa beata, quod divinis litteris continetur : *Date locum iræ*, ne se in pericula darent, etiam inde fugiens migravit Tarsum, quæ est metropolis primæ Cilicum provinciæ. Quasi vero ex condicto quodam commigrante illuc duro ac crudelissimo Alexandro, longe Domitianum malitia superante, comprehenditur victoria splendens martyr Julitta, suum filium propriis complexa ulnis, omnino infantem, a Deo vocatum martyrem dico

τυς Ἰουλίττα, τὸν αὐτῆς υἱὸν ταῖς οἰκείαις περιέχουσα ἀγκάλαις, πάνυ νήπιον ὄντα, τὸν θεόκλητον μάρτυρα λέγω Κήρυκον. Ὡς δὲ ταύτην οἱ δήμιοι σύνεσχον, αἱ θεράπαιναι αὐτῆς καταλιποῦσαι αὐτὴν, ἀπῆλθον ἀποδράσασαι. Εἶτα παράστασα αὐτὴ τοῖς δικαστικοῖς βήμασι, τοῦ Ἀλεξάνδρου πυθομένου προσηγορίαν, τύχην καὶ πατρίδα, παῤῥησιαζομένη πρὸς τὸν δικαστὴν, τὸ τοῦ Κυρίου ὄνομα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπεγράφετο, λέγουσα· Χριστιανή εἰμι.

6. Θυμομαχήσας δὲ ὁ Ἀλέξανδρος, ἐκέλευσεν ἀφαιρεθῆναι αὐτῆς τὸν παῖδα καὶ προσάγεσθαι αὐτῷ· οἷα δὴ καὶ ἀστεῖον ὄντα, καὶ μηδὲν τῶν κατὰ πρόθεσιν εἰδότα· ταύτην δὲ σχηματισθεῖσαν ὠμοῖς νεύροις τύπτεσθαι ἀφειδῶς. Ὡς δὲ τοῦτον βίᾳ ἐκ τῶν τῆς γενναίας μάρτυρος ἀγκάλων ἀφείλκησαν οἱ δήμιοι, κλαυθμυρίζοντα καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν παλινοστῆσαι θέλοντα μητέρα καὶ ἀφορῶντα, ἄγουσι τῷ ἡγεμόνι· καὶ ἐπ' αὐτῇ δὲ τὸ προσταχθὲν ἐποίουν οἱ ὑπηρέται, ἀνηλεῶς τύπτοντες αὐτὴν, μηδὲν ἕτερον ἀποκρινομένην, εἰ μὴ ὅτι· Χριστιανή εἰμι καὶ δαίμοσιν οὐ θύω. Ἐκείνης τοίνυν ὡς ἀνδριάντος τινὸς ἀψύχου εὐτόνως ταῖς πληγαῖς ξεομένης, καὶ τὴν αὐτὴν φωνὴν ἀπαύστως βοώσης, ὁ ἡγεμὼν ταῖς χερσὶ λαβόμενος τὸ παιδίον, θωπείαις ἐπειρᾶτο δυσωπεῖν μὴ ἀποκλαίεσθαι, καὶ τοῖς γόνασιν ἐπετίθει καὶ φιλεῖν ἐπεχείρει.

Cyricum. Ut autem hanc carnifices tenebant, ancillæ ejus, ea relicta, abierunt cursu elapsæ. Deinde consistens illa ante judicis tribunal, Alexandro ipsam interrogante nomen, fortunam, patriam, libertate usa erga judicem, Domini nomen Christi Dei nostri sibi inscripsit, dicens : *Christiana sum.*

6. Ira accensus Alexander jubet auferri ab ipsa puerum atque adduci ad se, ut qui videlicet formosus esset, ac nihil eorum quæ agebantur, sciret, ipsam vero compositam crudis nervis cædi absque misericordia. Ut vero hunc vi ex generosæ martyris ulnis abstraxerunt carnifices, plorantem et ad propriam reverti volentem matrem et vultum avertentem, ducunt ad gubernatorem, et in ipsam quod jussi erant, faciebant ministri, inclementer cædentes eam, quæ nihil aliud respondebat, nisi : *Christiana sum et dæmonibus non sacrifico.* Ipsa itaque ut statua quadam inanima valide plagis laniata, atque eamdem vocem incessanter clamante, gubernator manibus suis apprehendens puerulum, blanditiis conabatur movere ne lacrymaretur, et suis genibus imponebat et osculari volebat.

7. Ipse vero matrem attentis oculis aspiciens, repellebat quidem gubernatorem, et suum retrahebat caput; manibus vero contra ten-

7. Ὁ δὲ πρὸς τὴν μητέρα ἀτενὲς ὁρῶν, ἀπεσείετο μὲν τὸν ἡγεμόνα, καὶ τὴν αὐτοῦ ἀφίστατο κεφαλήν· ταῖς δὲ χερσὶν ἀντιβαίνων, τοῖς ἰδίοις ὄνυξι τὴν ὄψιν ἀπέκνιζε τοῦ ἡγεμόνος· καὶ ὡς τῆς τρυγόνος νεοσσὸς τῆς σώφρονος, μιμηλὴν ἀποφθέγγεται φωνὴν ὁ ἅγιος Κήρυκος, αὐτὸ τὸ ὑπὸ τῆς μητρὸς λεγόμενον· Κἀγὼ χριστιανός εἰμι· καὶ λὰξ ἐντείνει κατὰ τοῦ πλευροῦ τοῦ δικαστοῦ· φιλεῖ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ ἡ νηπιάζουσα φύσις ἐν τοῖς τοιούτοις σχήμασι κινεῖσθαι ἀτάκτως· ὥστε θυμωθέντα τὸν ἄγριον θῆρα· οὐ γὰρ ἄνθρωπον προσαγορευτέον μὴ συγγνόντα τῆς ἀδεοῦς πράξεως καταστάντα, ἐκ τοῦ ποδὸς ἐπιλαβόμενον ἐδάφησε κατὰ γῆς ἀπὸ τοῦ ὑψηλοῦ βήματος τὸν παῖδα· τοῦ δὲ κρανίου τοῦ καλλινίκου μάρτυρος ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ ὁμολογίᾳ κατὰ τῆς τῶν βαθμῶν γωνίας προσραγέντος καὶ τὸ ὀξεῖ τῆς ἀντιτυπείας καταθραβέντος, αἱμάτων μὲν πληροῦται τὰ πρὸ τοῦ βήματος, εἰς χεῖρας δὲ Θεοῦ τὸ πνεῦμα ἀπεδίδου τὸ θεότευκτον βρέφος· ψυχαὶ γὰρ δικαίων ἐν χειρὶ Θεοῦ.

8. Τοῦτο τοίνυν θεασαμένη ἡ ἁγία Ἰουλίττα, καὶ ὥσπερ χαρᾶς πληρωθεῖσα· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε, ἔλεγεν, ὅτι κατηξίωσας τὸν ἐμὸν υἱὸν, πρὸ ἐμοῦ τελειωθέντα, τοῦ ἀμαράντου τυχεῖν στεφάνου. Σχετλιάσαντος δὲ καὶ πρὸς τοῦτο τοῦ δικαστοῦ, κελεύει Ἀρμενταρίῳ ἀναρτηθεῖσαν εὐτόνως ξέεσθαι, καὶ ἀπὸ λέβητος ἀντλῆσθαι πίσσαν κοχλάζουσαν καὶ τοῖς ποσὶν αὐτῆς ἐπιχέεσθαι. Τοῦ δὲ δικαστοῦ διὰ τοῦ κήρυκος παρακελευομένου λέγεσθαι αὐτῇ· Ἰουλίττα, ἐλέησον σὲ αὐτὴν καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ ἀπαλλάγηθι

dens, propriis unguibus vultum gubernatoris vellicabat. Et veluti turturis pullus pudicæ, imitatoriam insonat vocem sanctus Cyricus, ipsum illud quod a matre dicebatur : *Et ego christianus sum*, et calcibus ferit latera judicis (amat enim ut plurimum infantilis natura in tali conditione moveri petulanter) : ita ut irata agrestis fera (non enim homo dicendus est, qui non indulserit intrepidum actum ponenti), pede apprehensum humi jecerit e sublimi tribunali puerum. Cranio autem pulchre vincentis martyris in ejusmodi confessione contra graduum angulum prorupto et vehementia repercussionis contrito, sanguine quidem repletur locus ante tribunal, in manus vero Dei spiritum reddidit a Deo factus infans : animæ enim justorum in manu Dei.

8. Hoc igitur intuita sancta Julitta, et quasi gaudio repleta : *Gratias ago tibi, Domine,* inquit, *quod dignum existimasti meum filium ante me consummatum, immarcessibili potiri corona.* Indignatus autem ad hoc judex, præcipit Armentario, ut suspensa ipsa valide dilanietur, et ex lebete hauriatur pix ebulliens et pedibus ejus infundatur, judice per præconem jubente dici ipsi : *Julitta,*

τῶν βασάνων, μή ποτε τὸν τοῦ υἱοῦ σου μόρον ἀπενέγκῃς. Ἡ δὲ ἀθληφόρος γενναίως ἐπέμενε, κράζουσα· Ἐγὼ δαίμοσιν οὐ θύω· Χριστὸν σέβομαι, τὸν μονογενῆ Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ Πατήρ· καὶ ἐπείγομαι τὸν ἐμὸν καταλαβεῖν υἱόν, ἵνα σὺν αὐτῷ καταξιωθῶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Ὡς δὲ ἑώρα ὁ πᾶσαν μανείαν ὑπεραίρων ἀνήμερος δικαστὴς τὴν τῆς μάρτυρος πρὸς ἐπίμονον ἔνστασιν, ἀποφαίνεται κατ' αὐτῆς, ξίφει μὲν τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἀποτμηθῆναι προστάξας, τὸ δὲ λείψανον σὺν τῷ τοῦ ταύτης υἱοῦ εἰς τὸν τῶν καταδίκων τόπον ῥιφῆναι.

9. Οἱ δὲ δήμιοι τὸν χάμον κατὰ τοῦ στόματος αὐτῆς ἐπιδήσαντες, ἀπήγαγον αὐτὴν εἰς τὸν ἠθισμένον τόπον, πληρῶσαι τὸ προσταχθέν. Ἰουλίττα δὲ μικρὸν ἐπισχεῖν τοὺς δημίους παρεκάλει, ὡς ἂν προσεύξοιτο τῷ ἑαυτῆς Θεῷ. Τῶν δὲ δημίων ἐπικαμφθέντων καὶ πρὸς ὀλίγον ἐκδεδωκότων, κλίνασα τὰ γόνατα προσηύξατο λέγουσα· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε, τῷ προσκαλεσαμένῳ πρὸ ἐμοῦ τὸν ἐμὸν υἱὸν καὶ ἀξιώσαντι διὰ τὸ ὄνομά σου τὴν παροῦσαν ταύτην καὶ ματαίαν καταλιπεῖν ζωήν, καὶ τῇ αἰωνίᾳ ζωῇ μετὰ τῶν ἁγίων συναφθῆναι. Κἀμὲ τὴν ἀναξίαν δούλην σου τοῦ μεγάλου τούτου ἀγαθοῦ ποίησον ἐπιτυχεῖν, ἵνα συναρίθμιος γένωμαι τῶν φρονίμων παρθένων, τῶν ἀξιωθεισῶν εἰσελθεῖν εἰς τὸν αἰώνιον καὶ ἄφθαρτόν σου νυμφῶνα, καὶ εὐλογήτω τὸ πνεῦμά μου τὸν σὸν Πατέρα, τὸν παντοκράτορα

miserere tui ipsius ac sacrifica diis, et liberare a tormentis, ne quando filii tui sortem feras. Athleta vero generose sustinuit clamans : *Ego dæmonibus non sacrifico. Christum adoro, unigenitum Filium Dei, per quem universa fecit Pater ; et festino meum comprehendere filium, ut cum ipso digna habear regno cœlorum.* Ut autem videbat omnem rabiem supergrediens sævus judex martyris ad perseverandum contentionem, sententiam in eam dixit, gladio caput ejus amputari jubens, corpus autem ejus una cum ipsius filio in damnatorum locum jactari.

9. Carnifices vero frenum in ore ejus ligaverunt, abduxeruntque eam in consuetum locum, ad implendum jussum. Julitta autem paululum morari carnifices rogat, ut Deum suum precaretur. Carnificibus vero inflexis et modicum concedentibus, flexit genua oravitque dicens : *Gratias ago tibi, Domine, quod advocasti ante me meum filium et dignum æstimasti propter nomen tuum præsentem hanc et vanam relinquere vitam et æternæ vitæ cum sanctis adjungi. Et ego indigna famula tua magno illo bono fac ut potiar, ut connumerer sapientibus virginibus, quæ dignæ habitæ sunt introire in æternam et immortalem tuam nuptiarum aulam, ac*

Θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, καὶ σὲ, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ Υἱὸν, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Ὡς δὲ τὸ ἀμὴν ἐπλήρωσε, παραθήξας ὁ σπεκουλάτωρ τὸ ξίφος, ἀπέτεμε τὸν γενναῖον αὐτῆς τράχηλον, ἔξω τῆς πόλεως· καὶ τὸ αὐτῆς σῶμα ῥίψας ἔνθα καὶ τὸ λείψανον τοῦ καλλινίκου μάρτυρος ἐναπέθετο.

10. Τελειοῦται δὲ τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ἡ ἀθληφόρος Ἰουλίττα καὶ ὁ ταύτης ἐπίδοξος υἱὸς Κήρυκος τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τοῦ Ἰουλίου μηνός· τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ αἱ ταύτης δύο θεράπαιναι, ἀνελόμεναι τὰ σώματα ἐν νυκτὶ, καὶ ταῦτα ἐν σπηλαίῳ ἀποθέμεναι, κατέκρυψαν εἰς τὴν γῆν ἐν τῇ Ταρσέων ἐνορίᾳ. Μέχρι δὲ τῶν χρόνων Κωνσταντίνου τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως ἡ μία τῶν θεραπενίδων ἐπιβιώσασα, ὅταν ἡ ἀλήθεια εἰς φῶς ἤχθη καὶ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ διὰ τῆς αὐτοῦ χάριτος ἔλαμψαν, ἐκφαίνει τὸν τόπον· καὶ ἅπας τὶς τῶν πιστῶν ἔσπευσε παραγενόμενος ἐκ τῶν λειψάνων τῶν ἁγίων εἰς σύστασιν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς λαβεῖν. Ταῦτα τοίνυν ἀληθείας ἔχεσθαί τε νενομικῶς ἐσήμανα τῇ φιλοθέῳ σου ψυχῇ· ἅτινα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι, καὶ πληροφορῆσαι μὴ τοῖς προδήλως μυθωδέσι συγγράμμασι συμπεριφέρεσθαι, ἀλλ' αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ πείθεσθαι· ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δόξα, τιμὴ, κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

benedicat spiritus meus Patri tuo, omnipotenti Deo et creatori universorum, et tibi, unigenito ejus Filio, et Spiritui sancto in secula. Amen. Ut autem *amen* complevit, acuit spiculator gladium absciditque generosam ejus cervicem, extra urbem, ejusque corpus misit, ubi et reliquiæ pulchre vincentis martyris depositæ fuerant.

10. Consummatur autem Dei gratia athleta Julitta et hujus gloriosus filius Cyricus quinta decima Julii mensis. Sequenti vero die duæ ejus ancillæ sustulerunt corpora noctu, eaque in antro deposita absconderunt in terra, in Tarsensium finibus. Ad tempora autem Constantini pii imperatoris una ancillarum superstes, quando veritas in lucem prodiit, et ecclesiæ Dei per ipsius caritatem resplenduerunt, manifestavit locum, et unusquisque fidelium studuit præsens ex reliquiis sanctorum ad salutem vitæ suæ sumere. Hæc itaque veritate consonare arbitratus, indicavi Deum amanti tuæ animæ; quæ commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, atque satagere ne quando aperte fabulosis scriptis circumferantur, sed ipsi veritati obediant, in Christo Jesu Domino nostro, quocum Patri cum Spiritu sancto gloria, honor, imperium in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PAULI

EPISCOPI LEONENSIS IN BRITANNIA MINORI

AUCTORE WORMONOCO

EDITA STUDIO ET OPERA

R. P. DOM. FR. PLAINE, O. S. B.

Qui Vitam S. Pauli, Leonensis seculo VI episcopi, a Bollandianis editam (1) conscripsit, monachus Floriacensis post medium seculum X, profitetur in præfatione sua eam a se haustam ex antiquiori scriptore. Hunc autem jam pridem indicavit Joannes Mabillonius (2), ultimam partem prologi (3) citans, ubi nomen et ætatem suam prodit. Significat nempe se presbyterum et monachum esse Landevenecensem nomine Wormonocum, discipulum Wurdistani abbatis, atque anno 884 scriptionem suam absolvisse, quam dedicat cuidam Hinworeto episcopo. Hinworetum episcopum Leonensem ait idem Mabillonius, nullo tamen alio indicio quam hoc ipso prologo, in quo neutiquam sedes ejus assignatur ; sed neque ex alio quopiam documento episcopus Leonensis hujus nominis notus est. Facile itaque aliquis forte eam opinionem animo induxerit, ut credat potius hic designari episcopum illum Cornubiensem seu Corisopitensem qui sub nomine *Harnguethen, Huarnethen* seu *Aneweten*, tum in veteribus hujus sedis tabulis, tum in subscriptionibus instrumentorum annis 853 et 860 apparet (4) : in hujus quippe diœcesi situm erat Landevenecense cœnobium. Mabillonio nihilominus assentiendum censeo, tum quod in sola Leonensi diœcesi cultus S. Pauli nostri viguisse videtur, tum quod scriptor non uno loco ex eadem diœcesi se oriundum significat.

Vita a Wormonoco conscripta adhuc inedita erat. Eam diu frustra quæsitam reperi tandem in codice Parisino inter latinos 12942, olim San-Germanensi 953, at primitus Cluniacensi ; nec ingratum me facturum existimavi hagiographiæ et Armoricanæ historiæ studiosis, si publici juris illam fecero. Quamquam enim diffitendum non est non sine ratione questum esse monachum Floriacensem de nimia prolixitate et inculto sermone scriptoris

(1) *Act SS.*, tom. II Mart., p. 111. — (2) *Annal.*, lib. XXXVIII, c. 90 (tom. III, p. 249). — (3) Infra, num. 3. — (4) *Gallia christiana*, tom. XIV, pag. 874.

Landevenecensis (1), juvat tamen ipsum fontem potius quam rivulum præ manibus habere, eoque magis quod Floriacensi abbreviatori propositum fuit *absona* et *barbara Britonum nomina*, quæ sane multa in Vita S. Pauli occurrunt, tum personarum tum locorum, quantum fieri potuit, prætermittere (2). Atqui in antiquorum illorum nominum memoria præcipuum aliquod momentum hujus generis documentorum reponere solent eruditi.

Ipsi Wormonoco antiquior præluxit de vita S. Pauli narratio (3), ab aliquo forte sancti discipulo conscripta. Hujus jacturam adhuc lugemus, nec eam ab ullo alio scriptore vetere vel recente visam commemorari video. Utinam et in illam aliquando incidere contingat.

Jam quod ad codicem Parisinum spectat unde Wormonoci opusculum edimus, pergamenus is est, formæ in folio minoris ($0^m,31 \times 0^m,20$), eumque genus scripturæ (4), verborum compendia non admodum frequentia et interpunctionis ratio seculo XI vel ineunte XII exaratum manifeste denotant. Exorditur autem, quod et indicavit cl. L. Delisle (5), a Ven. Bedæ Historia ecclesiastica Anglorum. Sequitur (fol. 107) Vita S. Leonardi Lemovicensis; deinde, fol. 113 ad fol. 127, Vita S. Pauli. Cetera potius ad scientiam canonicam vel asceticam pertinent.

FR. PLAINE, O. S. B.

Incipit præfatio vitæ S. Pauli Aureliani, qui colitur IV° Idus Martii.

1. Cum in Patrum venerabilium, qui nos ad regna cœlestia præcesserunt, scriptis sive monumentis, diversarum magistros provinciarum, sanctorum certamina martyrum atque confessorum vitas, librorum paginis invenio commendasse, ut quasi ad eorum exemplum, qui post eos futuri essent, pro lege sufficere possent; nec solum eos utpote venerabiles sanctæ matris Ecclesiæ patres tali industria video floruisse; sed etiam, quod dictu nefas est, gentilium sacrilegæ superstitionis phantasmata,

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. II Mart., p. 112, n. 2. — (2) Ibid. — (3) Infra, num. 2. — (4) Passim occurrunt formæ vocum illo ævo usitatæ, ut *contempnere* (*dampnum, sollempne*), *heremus*, *hystoria*, *Olympho*, etc. Littera duplex *æ* vel *œ* significatur modo per *e* simplex, modo per *æ* vel *œ* duabus litteris conjunctis, modo per *a e* vel *o e* litteris separatis. Has formas in editione nostra servare visum non est. — Quod autem magis insuetum est, non raro *i* substituitur pro *e*; sic nn. 17, 23, *it* pro *et*; n. 12, *eligerit* pro *elegerit*; n. 17, *congrigare* pro *congregare*; n. 19, *credire* pro *credere*; n. 53, *suscipire* pro *suscipere*; contra n. 3, lin. 5, *degestum* pro *digestum*. Quod hic monuisse sufficiat. — (5) Inventaire des mss. de Saint-Germain-des-Prés, p. 80.

mundanæ sapientiæ fuco colorata, quosdam poetas carminibus cecinisse, ac deinde talis materiei falsiloquam compositionem chartis repperio scriptitasse, ut quasi per hoc eorum superfluæ vanitati satisfacere viderentur, cur non et ego, eorumdem poetarum naufrago exemptus scyllaceo, prædictorumque patrum vivido roboratus juvamine, aggrederer quasdam vitales alimonias, salutarem infirmitati præsentium medicinam allaturas, in medium proferre : hoc est, inclyta *S. Pauli Aureliani* facta in paginis describendo, omnium qui se salvari ejus exemplis animati velint, saluti consulere?

2. Cujus gesta, quamvis nostro lucidius quam ut ante primitus veteri constructione depicta sunt, aucta videantur floruisse labore, hæc tamen quicumque veterum chartis rescribere velit, prohibere non videbor. Sed hoc ab eo, quisquis ille fuerit, modis omnibus efflagito, ut non me in hoc reprehendendum existimet, utpote qui post vetera nova cudere ausus sim, dum ille in potestate habet aut mea eligere, si sibi aliquid saporis habere videantur, aut respuere, si ea, deliciosis repletus epulis, degustare noluerit. Sciat enim quod hæc a me non ingratis sed benivolis, non superbis sed humilibus, non deliciosis sed pauperibus comedenda offeruntur : pauper enim conviva convivas quærit pauperes. Sub pauperis tectum deliciosos intrare illicitum est. Quicumque igitur tenui nostræ paupertatis refectione contentus, ad communem intrare voluerit mensam, nostra devotus degustet edulia. Et posthac, cum pauperes saturati fuerint, laudabunt Dominum, qui mihi dedit ut tale possem præparare convivium.

3. Pauperem ergo tui Pauli, piissime pater *Hinworete*, meæ parvitatis conamine descriptam accipe vitam, sed a te inter festa episcopalis cathedræ convivia non negligendam. Erit enim et ea non mediocre tui ingenii opibus supplementum. Gratias autem Deo, qui per me utcumque digestum [1] tale opus ad finem perducere reddidit(1). Quod ut auderem, *Wrdisteni* mei præceptoris studium animavit, qui in *Winwaloei* sui sanctique

[1] *cod.* degestum.

(1) Id est, dedit.

mei describendis actibus mirabile librorum construxit opus. Sub quo abbate ego presbyter et monachus nomine *Wrmonocus*, in ejusdem sancti regulari monasterio depinxi tale opus. Quorum simul protectus alis, exspecto me ab insanis invidorum dentibus defendendum, qui in præsenti blandientes, absenti tamen derogantes, de me falsa sermocinare non cessant. Sed illorum detractio meorum erit peccaminum purgatio. Hoc autem opus octingentesimo octogesimo quarto ab incarnatione Domini anno consummatum est. Talem habeat prologum.

Incipit vita. De ejus origine et quod ab infantia deservire Deo decrevit. Capitulum primum.

4. Sanctus idem Paulus, cognomento Aurelianus, cujusdam comitis nomine *Perphii*, viri secundum seculi dignitatem excellentissimi(1), filius, provincia quæ Britannicæ lingua gentis, eo quod quædam ipsius pars habetur insula, *Penn-Ohen* (2), latina autem *Caput* dicitur *Boum*, exortus, vocitata (quæ ideo, ut nobis videtur, hoc nomen meruit adipisci, quia ab incolis illius, aliorum exemplo gentilium mundi elementa simili colentium more, antiquitus caput bovis pro Deo adorabatur patriæ), a suæ primævo ætatis flore nullis animum lasciviæ laxans habenis tepore voluntatis, sed intra mentis claustra gravitatis mœnibus coarctans circumsepta, Deo hominibusque placentem, ab omnibus hujus vitæ maculis intactam custodire studuit vitam. Hunc autem, nobilissimo secundum seculum genere procreatum, octo fratres ex una progenitos stirpe, in una eademque regione, quæ lingua eorum *Brehant* (3) dicitur[1], latina autem

[1] *cod.* dicatur.

(1) Nomen hujus Perphii non invenitur in genealogiis Wallensibus editis in *Myvyrian Archaiology* et apud Rice Reeves, *An essay on the Welsh Saints*. — (2) In Actis S. Cadoci inter novem provincias *Britannicæ regionis quæ Demetia vocatur*, recensetur *Pennichen*, quæ post mortem *Gluigii* reguli obtigit (*Lives of the Cambro British Saints*... by the Rev. W. J. Rees, Llandovery 1853, p. 22) uni ex ejus filiis, nomine *Poul*. — (3) Quænam hic designetur regio, non constat. Certe terra quæ dicitur *Brant*, prope Plymouth et Exeter, non est in Demetiana provincia.

Guttur reçeptaculi pugnæ dicitur, nobiliter ac bene enutritos, ipso cum illis ad numeri coagmentato supplementum novem angelicorum ordines designantes spirituum, tresque sorores sanctæ formam Trinitatis, tria sapientiæ sive divinæ sive humanæ genera regentis, assimilantes, legimus habuisse. Horum tamen, duorum exceptis tertiæque sororis nominibus fratrum, quorum unus *Notalius*, alter vero *Potolius*, ipsa quidem dicebatur *Sicofolla* (1), alia propter temporis innormitatem tam longi ex memoriæ thesauro exinanita aut etiam propter maris spatium terrarumque tam longum inter nostram illorumque distans regionem, minus audita nescimus nomina.

5. Sanctus denique Paulus tenerrimis adhuc puræ membris gliscens ætatis, flammeo Sancti inspiratus amore Flatus, et quasi jam per suum ejus odorifero pectus rore perfusus, suum humillimis patrem alloquitur vocibus, ut illum ad quemdam lucernæ sibi more ardentem et aliis lucentem magistrum, id est, qui de sua aliorumque curare posset salute, sacris sanctarum studiis imbuendum traderet litterarum. At pater illum paternas post se habiturum sperans hereditates, segetemque nepotum ex ejus lumbis avorum talenta præcedentium sequentem putans efflorere, multis hæc fieri vicibus abnegat, donec tandem tam crebris victus pueri precibus multisque amicorum turbis, in hoc assensum præbuit rogatus. Atque jam tali lætus agone ac semetipsum increpans cur ita filii resistere voluntati, immo Dei, cujus intra omnipotentiam cuncta concluduntur, voluisset, supplex in aures Domini talia seminat verba, hoc indicens : *Domine Deus, rex omnipotens, sub cujus nutu omnia continentur atque reguntur, tibi gratias reddo benignas, qui ex mea quemdam radice exortum, qui pro meis atque suorum suæ orationis interventu incommoditatibus interpellaret, ac nostræ causis patriæ ærumnisque subveniret, tuo ad serviendum nomini dignatus es eligere virum.* Factumque est, divina disponente prudentia, ut omnem spem paternæ hereditatis quæ illi in seculo quandoque profutura esset, funditus relinqueret. Non enim ea quæ mundi sunt sed quæ Dei sunt, cogitabat; nec uxorem, nec filios carnis, nec divitias, nec honorem seculi quæ-

(1) Hæc nomina non leguntur in martyrologiis Britannicis et Anglicis.

rens, sed vanam hujus mundi contemnens gloriam, Deo potius conditori se consecrans seque in ejusdem ara laudis holocaustum hostiæ reddens, deservire decrevit.

Caput secundum. Quomodo apud Iltutum divinis sit eruditus litteris.

6. Erat autem(1)quædam insula *Pyrus* nomine, Demetiarum patriæ in finibus sita, in qua et Iltutus quidam, vir genere nobilis et sanctarum scientia litterarum satis clarus, secundum christianæ religionis veritatem per iter quod ad vitæ limina feliciter licet arctum ducit, morum incedens gressibus, nequaquam tamen ad dexteram sive ad sinistram adulterina saltem cogitatione per viam quæ mortis ad atria proclive ac miserabiliter sinuosis errat, declinans anfractibus : quippe ab infantia inter alios, quos admodum ingeniosos ac lectioni cuderat deditos, fidei discipulos, sacræ disciplinis Scripturæ adprime sapienterque eruditus, quasi quadam ejusdem fidei aurora aut etiam una ex stellarum magni partem mundi illuminare sufficientium numero, in Dei ministerio sapientiæ multa quotidie diabolo faciens detrimenta, et Deo innumera accommodans incrementa, diebus degebat ac noctibus. Interea cum per omnem Britannicæ insulæ locum felix fama de ejus loqueretur opinione, ejusque rumorem longe lateque omnium in aures deargentatis spargeret alis, atque innumera discipulorum sacræ fluenta doctrinæ, Deo per Spiritum Sanctum in ipsius donante infusa pectore, ex ejus haurire sitientium ore, quibusque ejusdem insulæ cohors ad eum properaret regionibus (2), puer et ipse nomine jam antea dictus, hujus a parentibus ad scholam traditur magistri.

7. Ipse autem assignatas sibi litterarum totius elegantis a magistro cum nomine in pugillare figuras elementi in sui horto

(1) Vox *insula* hic et aliis pluribus locis hujus opusculi non est accipienda stricto sensu, sed ita solum ut designet fundum seu regionem quolibet modo a circumjacentibus terris separatam. — (2) Scilicet, ut perturbatum nimis verborum ordinem restituamus :... atque innumera cohors discipulorum sacræ fluenta doctrinæ, Deo donante per Sp. S. in ipsius infusa pectore, ex ejus haurire ore sitientium, [e] quibusque ejusdem insulæ regionibus ad eum properaret...

quasi sub unius diei equitatu plantans pectoris (1), cuncta quæ sibi ab eodem fuissent sacræ tradita Scripturæ memoriæ non desinit verba commendare. Ac statim aliquanti modico sub temporis rotatu universam veteris ac novæ cum suis ab eodem ediscens bibliothecam legis expositionibus præceptore, aliosque sanctorum venerabilium quamplurimos patrum inter fiscellæ ac si sacræ Scripturæ vimina quosdam in ejus memoriæ thesauro flores texendæ carpens libellos (2), mirum in modum duabus duorum in quibus tota lex pendet et prophetæ continentur, mandatorum annixus alis, spei, fidei caritatisque electro coloratis, ad sanctæ summa sive doctrinæ præ claritate fulgentis sive meritorum trophæis fastigia conscendit perfectionis. In divinis igitur legibus, virtutumque quantus Deo hominibusque coram qualisque fuerit miraculis, ex his quæ ad manum sive scriptis vel patrum fuerint delata præcedentium monumentis, si Deus siverit, ipsoque mihi per coæqualem sibi Spiritum Sanctum ex se Filioque procedentem atque cum eis consimili cuncta gubernante principatu, largiter inspirante, in subsequentibus conabor aperire sermonibus. Quis enim digne quanta ejus in sanctis institutio litteris exprimere ac perfecte valeat, quantus in testimoniorum aliquid occultius scrutando annuentium sive solutione sive expositione intellectus, ut merito omnes et qui secum efflorere cœperant, pene et qui præcesserant, consimili superaret victoria?

Capitulum tertium. Quales condiscipulos in schola habuerit, et de virtute quæ per eos conscio facta est magistro.

8. Apud eumdem quoque Iltutum quoniam ejus merito virtutis et doctrinæ sagacitate multi viri nobiles, utpote veri-

(1) Scilicet : Ipse autem in sui pectoris horto plantans assignatas sibi a magistro cum nomine in pugillari figuras totius elementi elegantis (id est, alphabeti characteres qui sunt primum elementum bonarum artium et litterarum). — (2) Scilicet : universos ab eodem præceptore ediscens veteris ac novi Testamenti libros cum ipsorum (vel ipsius) interpretatione, aliosque quamplurimos venerabilium patrum libellos carpens quasi quosdam flores inter vimina fiscellæ sacræ Scripturæ texendæ in suæ memoriæ thesauro.

tatis atque justitiæ christianæque, ut præfati sumus religionis, Deo donante, magistrum, existere videbantur excelsi, ex his tamen quatuor, quorum nomina assignare curabimus, præ ceteris eminentiores et velut magistri jussione primatum super alios sive magisterium habentes, præclari ac si totidem soles inter alias rutilo stellas splendore fulgentes signorum virtutumque ocellis, triumque sapientiæ generum claris effulsere documentis. Sanctum Paulum cujus de vita et virtutibus, quas in eodem loco qui nunc ejus monasterium dicitur sive oppidum, in Aquilonali *Domnonensis* patriæ parte (1) super sinistrum mare compositum, ad obitum usque peregerit, sive post egressum a corpore adhuc quotidie usque in hodiernum peragere non desinit diem, hoc opus contexitur, dico. Sanctumque *Devium* (2), qui pro eo quod propter arctissimam vitæ in Christo conversationem et sui a Deo judice laboris firmissimam retributionis spem in pane et aqua vixerit, cognomento dicebatur Aquaticus (3). Atque *Samsonem* sanctum pontificem, meritis confessorem, cujus gesta in libro de eodem prosaico sermone conscripto atque opera habentur insignia, ita ut vix ullus qui ei pene sanctis moribus post Domini nostri Jesu Christi sanctos coæquaretur, repperitur apostolos, super quo, ut alias dicitur, tacere melius puto quam pauca scribere. Necnon et sanctum *Gyldam* cujus sagacitate ingenii industriaque legendi atque in sacris canonum libris peritia, liber ille artificiosa [1] compositus instructione, quem *Ormestam Britanniæ* vocant (4) declarat. In quo de ipsius insulæ situ atque miseriis scribens, plurima ejusdem moribus more pardi discoloribus valde convenientia oracula, ad illius actus, ubi ei visum est congruere, exprobrandos vel potius commonendos, sua inter verba attestando,

[1] *post* artificiosa *add. cod.* instructus.

(1) Hinc colligitur pagum Leonensem fuisse partem Domnoniæ primitivæ. — (2) Alias *David*, sed vulgo *Dewy*. — (3) Similia videsis in Vita S. David (*Cambro British Saints*, p. 118). — (4) Manifeste hic agitur de nostro Gilda Ruyensi. Ex hoc loco igitur validum desumi potest argumentum adversus Stevenson et alios, qui librum de Excidio Britanniæ tribuunt cuidam Gildæ Albanio aliunde plane ignoto. Sed et neque ratione aliqua probabili supponere licet hujus Gildæ Albanii librum pervenisse ad Landevenecenses monachos, quum nec Bedæ nec aliorum transmarinorum libri ad eos pervenerint.

prophetica cum magna attestatione bene ac subtiliter disputat.

9. Sed antequam ejusdem Pauli proprias, de quo sermo disponitur, virtutes, ut omnibus quasi lichnus super candelabrum positus qui in Ecclesiæ sinu matris sunt constituti, rutilent, eviscerare incipiamus, unum opus et quidem mirabile signum, in quo et isti quatuor quorum nomina effati sumus, discipuli cum suo magistro conscii sive adjutores, Deo donante, repperiuntur, non tam piget inserere in hoc loco quam delectat. Quadam igitur die cum isti in unum fuissent congregati (locus enim, in quo habitare consueverat, quem nunc *Illuti Monasterium* dicunt, pelago undique comesta disrumpente confinia, valde angustus et hereditate terrea ita expers erat), inito inter se consilio, magistrum suum unanimiter adeuntes, implorarunt ut sui quantulumcumque loci spatium, mari abscedente, a Deo per orationem amplificare posset. Ille autem, hæc ab eorum audiens prolata ore, ut quasi secretius hoc possent efficere, eos singulariter jubet secum orare, ut non solum illius, verum etiam illorum per merita, hoc servis Dominum deprecantibus Deus dignaretur dedere. Ipse vero solus in oratione persistens, humillima voce talia commemorabat, dicens : *Domine Deus, rex omnipotens, qui cum in principio cœlum terramque, non ut quidam, nova voluntate, aiunt, in mente ascendente, sed divina tua prudentia disponente, fecisses, prima seculi hebdomade primoque in eadem die fecisti lucem, quam appellasti diem ; secundoque firmamentum in medio librasti aquarum spatio, ipsis humoribus ac tellure cum cœlo eminentiore atque angelica natura quæ in eo te Deum creatorem spiritualibus laudaret canticis, ante sex dierum exordium creatis ; quique tertio coagmentatis in uno carcere aquis, quæ cuncta operuerant, aridam apparere jussisti, et eas in unum redactas, maria appellasti ; quartoque in ordine glomerato firmamentum cœli sideribus ditasti ; quinto natâtilia et volatilia ex uno eodemque elemento animantia creasti ; sexto quoque animalia terrestria et ipsum hominem protoplastum*[1] *formasti Adam, ex cujus latere et ipso haud*

[1] *cod.* prothoplaustum.

animadvertente unam tollendo costam, quam formasti in mulierem, matrem mortalium excitasti Evam : nobis, licet servis indignis, ejusdem loci spatium exorantibus, addere digneris ut mare a te in primordio inter cetera elementa ex nihilo factum per te iterum jussum redeat in abyssum, ut suum relabatur in alveum, et numquam nostrum audeat adire confinium.

10. Ipse autem expleta oratione, comitantibus secum ad mare discipulis per littora deambulans (jam enim suum se recluserat in alveum), vestigia tetendit ; quia quanto plus æstus, id est accessus, littus terramque tegere solebat, tanto latius recedens, id est per octo stadia, quod est mille passus vel paulo amplius, idem littus exhaurire atque enudare consueverat. Tandem vero sulcum sui cuspide baculi, quem in dextra gerebat, littus a mari dividens ac separans, composuit, mare astringens lege firmissima, ut numquam fossam a se factam ulterius transire faceret, ipsamque legem usque hodie servavit, nec umquam transgredi fecit. Ille autem magister cum suis, isto munere a Domino dato, gratias egit, hoc signum illorum meritis potius deputans quam suis, licet contradicentium dicendo : *Non, sed hoc tua potius adipisci signum virtute quam nostra confitemur.* Talisque pugna inter eos qualem alias inter sanctum Benedictum atque discipulum nomine Maurum in fratris ereptione in flumine mergentis factam audivimus, erat. Qui autem hoc plenius scire voluerit, in libro de ejusdem vita conscripto facile inveniet. Ipsa vero tellus quam diximus marinis ereptam æstibus, in opus agriculturæ ipsius magistri monasterii valde fertilis permansit, magnamque triticeæ messis segetem ex se per unumquemque annum usque in hodiernum diem sine ulla intermissione nec desinit fructificare.

Capitulum quartum. Quomodo aves quasi oves ad caulas reduxit.

11. Nunc igitur, Deo auxiliante, maturum jam incipit tempus flavescentibus arere segetibus, quo grana flavæ messis, quæ usque in diem translationis suæ ad aream improvidos nocuorum

æstus nimborum malignasque aquilonalium pluvias ventorum indesinenter pertulit (paleis invidorum in una flammarum magna ciborum aviditate more lupercorum combustione esurientium redactis) (1), idem mei facta atque inclyta Pauli in duobus intus ac foris gemmarum varietate distinctis coram divino humanoque multum lucentibus horreis, id est, in totidem, dilectione Dei et proximi amore, in quibus vetustum et novum perficitur mandatum, invitantibus, recondam libris (2). Post non longum itaque temporis spatium, cum a prædicto patre spirituali eisdem quatuor fuisset præceptum discipulis, ut unusquisque eorum die sua, propter innumera marinarum genera avium segetes herbasque ipsius ruris prædicti pene usque ad consummationem præ multitudine devorantium, curam triticeæ messis illius jam arere incipientis et de die in diem ut postea ad horrea deduceretur flavescentis, acciperet, factum est ut die eadem quæ forte ad Paulum in ordine in messis custodia aderat, magnum segetis, ipso tamen haud animadvertente, ipsæ nocuæ aves vastando facerent detrimentum, ita ut vix vacuæ, granis penitus rostris volucrum consumptis, spicæ remansissent. Quid dicam? An enim hoc ejus negligentiæ deputabo? an Deo potius faciente ut ejus virtus, adhuc hominibus incognita, longe lateque omnibus innotesceret, ne sub modio deposita sed sursum tæda luceret, hoc evenisse fatebor? Fateor utique quod hoc divina Dei disponente providentia factum est, ut merita sui Deus ostendere faceret servi.

12. Ipse autem nimio suæ rubore negligentiæ confusus, et præ magistri timore nimis exterritus, die eadem nocteque insecuta ejus non comparuit conspectibus, sed in oratione in quodam persistens loco semotus, humanisque non comparens vultibus, Deum in colloquio suæ vicissitudinem miseriæ poscens anhelus, culpam suæ defluentibus querularum rosea lacrymarum per ora

(1) Scilicet: paleis invidorum in una flammarum combustione redactis, esurientium more lupercorum (i. e. catulorum lupi) magna ciborum aviditate. — (2) Tota sententia tali compendio reddi potest: Tempus est pro Paulo, terra bene præparata, producendi fructus, incassum obstantibus inimicis: tempus est etiam pro me ejus gesta recolligendi meis libris, qui erunt duo, quia duo sunt amores, Dei scilicet et proximi, etc.

incuriæ deflebat fluctibus (1). Postera autem die post tam lacrymosam flebilemque querimoniam, incipientibus paulatim atræ noctis furva obductæ caligine tenebris rarescere, atque sole Eois per Indicum currentibus equis oceanum flammivomos luminum globos per terras affatim ninguente, ipse de loco, in quo jacuerat, orationis, in Dei confisus cito surrexit adjutorio. Et respiciens circumquaque loca, ipsum agrum in quo seges triticea jam hesterna die semesa inerat, innumeris volucrum diversi generis sed eadem rapacitatis ingluvie sese invicem quasi quadam luporum maligna fraternitate glomerantium obsessum vidit turmis. Ascitisque in unum, absente tamen magistro, condiscipulis, dixit ad illos : *Venite mecum. Cogito enim, si Deus per vestram petitionem dedere dignetur, qui dixit : Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis : malignas aves, quæ hesterna die, sicut scitis, messem nostri devoraverunt magistri et pene usque ad internecionem consummarunt, in captivitatem ad nostræ habitationis locum unius fascis congregatione passili celeritate decurrendo deducere, et eas in unius ergastulo carceris redigere, ut de ipsis postmodum, sicuti voluerit et quemadmodum sui sceleris luere pœnas cogere elegerit*[1], *faciat magister*. Illi itaque ejus jussis obedientes, volatilium catervas, quasi balantum greges notas ad caulas solito more tendentes, absque ulla ambiguitate usque intra monasterii claustra agitantes, domum ire compellunt. Ii autem aerea per terram ambulando paulatim festinantia, a tergo sequuntur armenta.

13. Ut autem foribus accesserunt, spatiosum confertim captivis ovile repletur. Totus magno querularum cum gemitu vocum in cœlo resonantium carcer garrit, tectumque variis organorum fibris resonat. Magister autem, ubi hæc a referentibus audivit, cito pergens, inter illos qui ad hoc videndum aderant spectaculum discipulos adfuit. Cunctisque in unum fratribus cum suo sciscitante quidnam hoc esset simul et admirante, voces enim audierat incognitas, magistro congregatis, Paulus humili voce: *Hæc*, inquit, *acies volucrum, quam vides in carcere inclusam*,

[1] *cod.* eligerit.

(1) Scilicet : culpam suæ incuriæ deflebat defluentibus fluctibus querularum lacrymarum per ora rosea.

quæ tuam mihi a te in custodiendo commendatam devoravit messem, modo Deo donante, captiva tenetur, nec exiet inde, ita tamen si tu volueris, donec cuncta commissa novissimum reddat ad usque quadrantem. Ut autem hæc ab ore illius benigne prolata ac mirabiliter audierat senex, prostrato in terram cuncto corpore pronus, et sui pariter, hoc in Dei laudem, qui talia[1] per illum adhuc in puerili sistentem ætate dignatus fuerat operari, quasi ex uno ore carmen discipuli cecinere, dicentes:

Elegiaci versus.

Te, Deus, humani generis, benedicimus, auctor,
Nobis per Paulum qui miserator ades.
Te superesse poli fastigia mira regentem,
Nunc et in orbe tui pingit opus famuli :
Concrepitans paret densis exercitus alis.
Indomitas volucres qui quasi claudit oves,
Imperitans verbo cœlis, amor omnia flectens,
Nos dignetur et hic perpetuo foveat.
O genitor, fidis solatia reddere alumnis
Donis per famulum fixa tuis jubeas.
Tuque tibi trifidis positum ne desine sertis
Alme, sacrum Domini comere, Paule, gregem (1).
Hydrea non fundens, famulos ructante veneno
Doctiloquo serpens ne vertere valeat.
Inspirans septena tuis sed flumina Sanctus
Cœlo demisso Spiritus adveniat.
Semper et in nostri maneat templo quoque cordis,
Cordis ut in gremio floreat alma fides.
Corpore cum mentem tulerit sors, ut mereamur
Læta frui semper pascua cum Domino.
Amen.

[1] *cod.* talem.

(1) Scilicet : Ne desinas, alme Paule, ornare sacrum Domini gregem trifidis coronis (præmiis fidei, spei et caritatis).

Capitulum quintum. De ejus apud magistrum familiari colloquio.

14. Finito itaque carmine, cum ille adhuc in talium, super terram prostratis omnium, ut dictum est, cum magistro corporibus, jacentium erectione (respuebat enim se ab illis adorari) cordis nimio concussus dolore laborabat fratrum, et eos ne suis hoc factum sed eorum potius, præcipueque magistri meritis, quamvis per illum tantummodo fuisset peractum, ascriberetur et ostensum, et aves, ne in virtutis jam peractæ testimonio super illum, omnibus qui ad hæc undique confluebant spectaculum invenirentur, de carcere solvi et ad propria loca dimitti rogabat magistrum, magister ad illum : *Noli*, inquit, *frater carissime, noli mærore affligi, noli animo prosterni. Talentum quod a Deo per humilitatis virtutem accipere meruisti, cave ne sub telluris eversæ aggere facias deponi. Nequaquam enim, docente nos Evangelio, illum qui acceptam a domino suo pecuniam in exercenda nummulariorum opera non erogaverat, sed eam iterum jam mordaci pene consumptam ærugine sine lucro ad illum qui ei tradidit, asportaverat, coronis redimiri ; verum etiam in exteriores tenebras, pedibus in vinculis cum manibus colligatis, audimus mitti.* Et iterum : *Lucerna quæ sub modio deposita fuerat, legimus quod globos flammarum ex se non fundit, sed potius eo quod nullius aeris recuperationem extinguitur habuit, et fumo malignæ depositionis oculos tenebrescit abscondentis, et ita fit ut quod putatur virtus esse ædificationis, in vitium vertatur dissipationis. Si autem hoc quod tibi, quamvis minimum, concessum fuerit, cum magno fenore ad illum qui tibi, cum non habebas, dederit, lucratus fueris, et hoc, quod ex eo adquisisti, illo desuper irrigante, potueris lucrari, credideris, donum enim ex suo in illius per quem sive sibimetipsi semetipsum admonendo, et postea bene vivendo, sive aliis exemplum ut in bono opere illud vivendo seipsos ædificent, qualiquocumque modo præbendo impertita, pendet arbitrio, majora tibi præstabuntur ab ipso.*

15. Cum autem hæc et alia perplurima, nempe illum cur Dei gratiam quæ in eo non solum propter suum meritum sed pro-

pter aliorum curam accensa videretur et diffusa, abscondere nitebatur increpando, nunc ei ne nimia coangustaretur tristitia, consolationem clementissime præbendo, hæc etenim omni doctori convenientissimum esse dicunt magistri, pium patris habere affectum, magister dixerat : *Non solum hoc*, iterum inquit, *quod de avibus, ut ad marina absque ulla læsione dimittantur habitacula, petis, concedo ac permitto ; scriptum est enim : Non reddas malum pro malo* (1) ; *sed et hoc monasterium in quo divinæ Scripturæ doctrinam, me docente, immo Deo in corde tuo dulciter irrigante, bene et incomparabiliter didicisti, tibi et illis post te, qui ex sapientiæ fluentis tui per ostia cordis manantibus fuerint inebriati, in perpetuam offero possessionem. Confido enim in Domino quod ipse mihi aptum, in quo ei quod ætatis meæ reliquum est, inserviam, præstabit locum.*

16. Paulus autem, ut hæc ab ore illius benigne prolata audierat, cito cunctis in terram provolutis ad pedes magistri corporis artubus, benignissimum illi reddidit responsum, dicens : *Dominus* [1] *Deus omnipotens, qui cuncta, cum non essent, ex nihilo creavit, qui suo omnem cœli terræque pulchritudinem verbo fundavit, qui omnia quæ plasmavit, mirifica ratione dispensat, quique temporum a mundi primordio jura gubernat, qui stabilis in sua manens æternitate, moveri cuncta dat, qui omnibus cum recta fide ab ipso poscentibus cuncta humanæ vitæ quæ indigent in sinu collocat, ipse tibi qui talem circa me exhibere voluisti benignitatem, in die quando immortalem inter animam dividens et mortale corpus, mors improvisa miserit sortem, a mundi constitutione justis præparatam tribuat mercedem. Hoc igitur quod de captivis dixisti, gaudens accipio, et pro tali munere grates tibi benignas reddo. Monasterium vero tuum tibi sit in sempiternum. Si enim, o magister, fallaces hujus seculi quotidie in modum torrentis aquæ de supercilio montis ad ima tendentis præterfluentis, et sicut dies quam nocte irrumpente occasus intercipit de die ad diem properantis, gazas et transitorias quandoque cum ipso pariter mundo peri-*

[1] *cod.* Domine.

(1) Rom. XII, 17.

turas voluissem hereditates possidere, nonne satius et valde laudabilius in paternis videretur regnis jure hereditario detineri, quam externis, dum mea spontis incitamento funditus deseruerim, flagitarem flecti. Ipsas enim in arce poli collocatas commodius et valde locupletius habebimus, si illis modo renuntiantes quæ possidemus, usque in finem in bonis operibus perseverare conati Deo subveniente fuerimus. Expleta autem tandem talium inter eos, audientibus discipulis admirantibusque tam præclari profunditatem ingenii, assertione verborum, dimissisque quos carcer ligarat, libere ad littoreas marinorum mansiones volatilibus fluctuum, benedixerunt Deo, qui per manus suorum quotidie magna et mirabilia non desinit signa facere famulorum.

Caput sextum. De cogitatione quæ in cor ejus ascendit, ut eremi deserta adiret.

17. Post hæc autem eodem per momentaneum præparvi temporis spatium cum magistro demorante, quadam nocte cum suos modicæ quieti post laborem fessos dedisset artus, hæc ei in mente adhæsit cogitatio, ut eremi deserta penetraret, ibique a consortio mundialis vitæ sequestratus, Deo soli cognitam pie et immaculate vitam duceret egregiam, et quanto a seculi hominibus fieret extraneus, tanto per theoriam solam, id est, contemplationem divinam, Deo et angelis ejus mereretur esse proximus. De se dictum putans simpliciter juxta historiam illud propheticum : *Elongavi fugiens et mansi in solitudine* [1]. Et item : *Factus sum similis pelicano solitudinis* (1). Hoc autem posterius comma secundum spiritualem sublimioris intelligentiæ sensum volens intelligere, ad illos tantum dicebat eremitas pertinere qui, consortio mundi derelicto, timore Domini arctissima suum afflictione discruciant corpus, exemplo illius eximii Patris Antonii, qui primitus unam solitudinis arctissimam ingressus habitationem, christicolas docuit ut squalida locorum

[1] *cod.* solitudinem.

(1) Ps. LIV, 8; CI, 7.

rura per saltus peterent, in quibus contemplativos congregare fructus possent, et ibidem uni Domino pio famulatu deservire studerent. Iterum autem considerabat isdem sanctus quod Dominus in Evangelio, cum laboranti Marthæ pia sollicitudine in ministerio Domini ejusque apostolorum, et auxilium a sorore propter tantum ipsius servitutis ministerium postulanti dixerat : *Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima ; paucis vero opus est, aut etiam uno ; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (1) : summum bonum non in activo, quamvis laudabili opere, et multis copiosæ segetis fructibus abundanti, sed in sua contemplatione, quæ vere simplex et una est, collocaverat. Et ideo uno ipso pretiosissimo bono sibi opus esse ad summam pronuntiabat perfectionem.

18. Ut autem diei supervenientis lux crastina effulsit, cito cuncta hæc cogitata, et in unum ab initio cogitationis ad memoriam redacta, suo indicare fecit magistro. Ille dein, postquam paululum conticuisset, reddidit illi responsionem, hæc benignissime proferendo, dicens : *Illud, o frater carissime, præ omnibus animadvertere debemus, quod tria nostrarum cogitationum sunt exordia, id est, ex Deo, ex diabolo et ex nobis. Ut autem ex multis pauca loquar : ex Deo fiunt, cum Sancti Spiritus infusione nostri cordis habitaculum visitare dignatur, admonens omni studio ad sublimiorem bonæ actionis statum contendere, et intentionem nostram ad meliores actus suamque voluntatem convertit, sicut nunc, ut nobis videtur, et quod omnibus manifestissime et verissime palam est, ista in te accendere, Spiritu Sancto faciente, dignatus est. Ex diabolo autem cogitationum nascitur seges, vel cum subvertere nos tam vitiorum oblectatione quam etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate fraudulenter mala ostentans, vel cum se transfigurat in angelum lucis. Ex nobis autem oriuntur, cum ea quæ gerimus vel gessimus vel audimus, naturaliter ad memoriam reducimus. De quibus psalmista, sui cordis obtutum in præterita antecedentium ætatum gesta retorquens : Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui, et meditatus sum nocte cum corde meo. Et item : Do-*

(1) Luc. x, 41-43.

minus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt (1).

19. *Hanc igitur trifariam oportet nos jugiter observare rationem, et universas cogitationes quæ in carne nostra emergunt, subtili discretione discutere, ut origines earum et causas, auctoresque primitus indagantes, quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare possimus. Et hoc ita poterimus implere, si dictum apostoli fecerimus : Nolite, inquit, omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt* (2). *Hæc autem ideo dixi, ut evidenter ostenderem quod hæc ipsa cogitatio quam in mentis tuæ penetralia ungula bonæ suasionis carpsit, divina non ficta suggestio est. Sic*[1] *hoc tibi, fili carissime et Deo dilecte, omnimodis orandum est ut qui hæc admonet ut a te in opere impleantur, ipse tibi in bono opere perseverantiæ donum largiatur. Quia hoc unusquisque Deo auxiliante studere debet, ut cum ad Dei cultum se agnoverit ascitum, secundum ejus sublimitatem præceptorum suæ conversionis temperet modum. Nihil enim alicui proderit sublimiter inchoasse, si consubstantialem initio non exhibuerit et finem; et ideo qui ad arcem perfectionis tendere festinat vestigia, nullum sibi finem proficiendi faciat, nullum adquirendi terminum constituat, cum sibi dici audiat : Para in exitu viam tuam. Et etiam alias voce Veritatis dicitur : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (3).

Capitulum septimum. De ejus in eremo jejunio et quali annona utebatur.

20. Cum hoc itaque atque alia his similia, volens sancti confirmare propositum, magister perorasset, datis invicem verbis cum osculo pacificis et copia benedicendi (4), ac peragendi licentia, postera die Paulus sexdecimum ætatis suæ gerens annum a magistro egressus, amore Dei atque odio mali repletus juxta illud psalmigraphi dicentis : *Qui diligitis Dominum, odite ma-*

[1] *cod.* Si.

(1) Ps. LXXVI, 6, 7; XCIII, 11. — (2) Joan. IV, 1. — (3) Matth. XXIV, 13. — (4) Id est, copiosa benedictione.

lum (1), cujusdam loci deserti, qui paternis finibus adhærebat, secessum petit, ibique quædam habitacula et parvum oratorium, quod nunc sub nomine suorum, quorum in hoc opusculo nomina jam præfigere curavimus, fratrum, multis decoratum ædificiis dicunt, fabricavit, atque in eodem loco accepto ab episcopo presbyterii gradu, congregatisque secum una duodecim presbyteris qui ejusjussis in omne opus monasteriale secundum rectissimam regulæ canonicæ auctoritatem se subdi cupiebant, aliquantulo tempore permansit.

21. Ipse vero lectioni divinæ et meditationi et orationi vacans, propter turpissimos adolescentioris adhuc ætatis comprimendos motus biduano vel sæpe triduano corpus suum affligere solebat jejunio. Corpus autem illius tali jejuniorum cruciatum continuatione, pane æquali trutina propenso et sale sicco et aliquando per aquam in calice ad illum panem tinguendum miscitato et paucis pro omni ferculorum regalium luxu pisciculis reficiebatur. Carnem vero ullius quadrupedis aut etiam volucris omnino comedendo non tetigit, ne similis efficeretur his quibus ab apostolo per reprobam derisionem sententia dirigitur: *Quorum Deus venter est* (2). Sed illud quod alias ejusdem apostoli voce fuerat præceptum: *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* (3), ad se reputans dictum, hoc solum quod propter solam humanæ conditionis necessitatem corporei egeret victus, accipiebat. Vinum autem et omne liquoris genus quod inebriat, et statum mentis mordaci vexat dementia, excepto quod ad missarum solemnia celebranda de vino in calice consecrari solet, numquam bibit, sed quasi viperei generis venenum devitavit. De aqua autem hoc tantum degustabat, quantum ad repellendam diræ sitis necessitatem sufficere posse prævideret.

Capitulum octavum. Quomodo apud regem Marcum commoratus sit.

22. Interea cum hæc et alia multa bona opera, Dei gratia cooperante, in illo agebantur, fama ejus regis Marci pervolat ad aures, quem alio nomine *Quonomonum* vocant. Qui eo tem-

(1) Ps. xcvi, 10. — (2) Philipp. iii, 19. — (3) Rom. xiii, 14.

pore, amplissimi producto sub limite regendo mœnia sceptri, vir magnus imperiali potentia atque potentissimus habebatur, ita ut quatuor linguæ diversarum gentium uno ejus subjacerent imperio (1). Præfatus ergo rex fidei fundamentum adhuc eo tempore præ novitate huc illucque nutans perfecte ac solide ad unam perpetuæ firmitatis cameram volens ædificare, misit ad omnes primarios regni sui et eos fecit in unum locum convocari, et eis sui propositum aperuit consilii, dixitque cogitationem suam in eo esse, ut, quia seipsum, Deo disponente, ducem ac principem terrenæ habebant potestatis, illum acciri facerent presbyterum nomine Paulum, quem bonæ vitæ atque lectionis studio noverat esse probatissimum, qui eis una cum suo rege dux et signifer cœlestis esset militiæ, et de cujus manu rex et universus populus post celebranda missarum sollemnia, communionem corporis et sanguinis Domini sollemniter degustaret. Cum autem hæc ab illius ore prolata omnibus placuissent, mirantibus et dicentibus talis esse consilii cogitationem a Deo in corde regis, obumbrificante Spiritu Sancto, desuper missam, sermo regis ad Paulum dirigitur, ut ad ea quæ dicta sunt facienda veniret, et explendo jussum regis honoraret. Alioquin si spontis incitamento (2) minime verbum regis faciendo impleret, qui illum cogeret invitum, rex mitteret.

23. Paulus itaque omnia de se sub Dei nutu committens et gubernatu : quamvis enim multa, quæ objici in controversiam renitendo possent, haberet, tamen ne illius commatis in quo legitur: *Qui resistit potestati, Deo resistit* (3), fœdus videlicet timebat, infringeret(4); divina Sancti Spiritus inspiratione monitus, ab omni populo unanimiter atque rege cum magna reverentia convocatus, comitantibus secum suis duodecim presby-

(1) Quisnam sit iste Marcus, alio nomine Quonomonus (Conomonus), ignoratur; sed supponi potest fuisse rex aliquis Pictorum Australium, quæ gens recens ad fidem adducta fuerat per prædicationem S. Niniani. Certe hujusmodi regulus facile in sua ditione habere potuit, præter Pictos, etiam Britones, Scotos et Anglos, *ita ut quatuor linguæ diversarum gentium uni ejus subjacerent imperio*. Forte et idem est cum rege illo Scoto, quia a beato Teliao conversus est et baptizatus, quum Menavensem regionem invasisset ibique construxisset palatium (*Liber Landavensis*, Llandovery 1840, p. 95).— (2) Id est, sponte sine alterius incitamento. — (3) Rom. XIII, 2. — (4) Id est : timebat tamen ne infringeret fœdus illius sententiæ, quæ dicit : Qui resistit, etc.

teris in omni opere bono promptissimis, exemplum totidem apostolorum Christum suum magistrum sequentium sive serie (1) sive actu imitantibus, venit ad locum qui nunc lingua eorum *Caer Banhed*, villa Banhedos, nuncupatur, ubi nunc ejusdem regis ossa diem resurrectionis exspectantia pausant. Atque in eodem loco jura christianissimæ sive prædicando, sive exemplum bonæ operationis præbendo, religionis regem et omnem populum edocens, aliquantulo tempore est conversatus, et sive activam sive contemplativam qualiter in se vitam habebat, ostendit, et alios qui vellent, quomodo eas tenere deberent, edocuit. Quodam autem temporis processu, dum ille in eodem adhuc laborans ministerio degeret, videns illum tanta Dei gratia repletum Marcus, tam per se quam per eos qui sibi assistebant principes, multis ab eo vicibus expetiit ut pontificatum suæ regionis acciperet. Quod ei magis fuit discedendi causa quam manendi subsistentia, ita ut dicere fertur se velle potius ad alienam, maria enavigando, proficisci terram, quam pontificatus suscipere curam.

Capitulum nonum. Quod ille ad Evangelii præceptum genitale solum reliquit.

24. Interea dum his et aliis plurimis propositum ejus inquietabatur studiis, talis ei in mentem ferventi circa animæ salutem sollicitudine fluctuantem subiit cogitatio, ut patrium funditus, sancti Evangelii præceptum secundum litteram assequendo, derelinquens solum, ad externæ gentis regionem, quo illum duce Deo incertus marinorum fluctuum duceret eventus, proficisceretur, ubi utpote ulli præter soli Deo incognitus, ferventius atque instantius posset egregiam ducere vitam. Tali solummodo obice inclusus ne velut instabilis de loco ad locum demigrandi vitio culparetur, donec ad illum post paululum temporis angelus æthereis missus ab astris, talia in somnis responsa detulit, dicens illum non ibi oportere diutius immorari, seque ad illum quem sibi Dominus post transitum maris quandoque daturus esset locum, debere proficisci, in quo secundum

(1) Id est, numero.

suæ professionis propositum, pie et immaculate vivendo, posset detineri, et ne in aliquo dubitaret secum in cunctis quæ agi disposuerat, Dominum per omnia fieri. At ille statim evigilans, tali satiatus visione, gratias agit Deo, qui sicut discipulis duobus in via de se confabulantibus, ita quoque omnibus ejus jussum implere cupientibus semper adest consilium præstaturus.

25. Postera vero die talem in aures regis per nobiles qui ei familiariter adhærebant, visionem retulit, postulans ut sibi cum benedictione pergendi licentia daretur. Denuntiabat enim se angeli responsum differre non posse, ne illum, quem prius monendo habuerat leniorem, postea, si inobediens inveniretur, sentiret acriorem. Tandem ergo vir, multis pro se primariis apud regem interpellantibus, egrediendi accipiens licentiam, hoc ultimum a rege quasi pro benedictione donum postulavit, ut, quia ei septem tintinnabula præ ceteris meliora supererant, ad quorum signum ii qui ex more regio ad mensam discumbere soliti erant, omnes invitati secundum ordinem conveniebant, vel unum ex eis eidem venerabili viro tradi juberet. Sed minime rex propter ejus discessionem multum indignatus, præstare voluit.

26. Hoc autem, Deo disponente, actum est, ut Dominus, signorumque et mirabilium effector, hoc idem tintinnabulum, licet invito præside, quandoque suo potentius ac mirabilius optanti præstaret famulo, sicut in subsequentibus, cum ad locum per ordinem ventum fuerit, quomodo adipisci demonstrabitur. Sanctus ergo Paulus, optatum diu iter peragere gaudens, omnia de se Dei potestati et gubernatui committens, statim itineris semitam cœpit aggredi; non solum pedum gressibus carpendi, sed etiam bonæ vitæ moribus decurrendi, ac tandem suæ germanæ sororis in eodem opere nomine descriptæ, quæ in illius patriæ extremis finibus, id est, in littore maris Britannici degebat, domum prospero cursu pervenit. Ibique cum eadem jam tunc temporis sacrosancta virgine Deo dicata, quousque omnia quæ ad usum navigandi necessaria esse videbantur, præparata fuerant, hospes honorabilis hospitatus est.

Capitulum decimum. De ejusdem sororis postulatione quæ per ejus orationem mari cessante, amplificata est.

27. Quadam igitur die, cum jam pene omnibus navigii armamentis in eodem hospitio præparatis, cymba in anchoris deducta in littore perstaret, contigit ut vir præfatus venerabilis, appropinquante suæ navigationis die, in quodam cum prædicta sorore orationis gratia in proximo posito interesset loco, cumque oratione finita prolixiora inter eosdem sermocinationis prosilirent verba, præfata mulier propter imminentem fratris sui discessionem multum mærore depressa, talibus eumdem cum lacrymis exhortatoriæ precationis aggreditur verbis, ut si omnino discederet, vel brevissimi temporis, id est, unius hebdomadæ spatio cursum differendo apud eam maneret. Denuntiabat enim multa adhuc navigii deesse instrumenta, ut etiam in his explendis secum diutius posset immorari. Ille autem tali inconcussus corda sermone, dicebat differri se nisi usque in crastinum, vel maxime, ne saltem in hoc sororis preces denegare videretur, in diem tertium, non posse.

28. Illa vero videns hæc ab eo non posse impetrari, obortis [1] mox querularum imo pectore tempestatibus lacrymarum, talia iterum vix per fletus pariter atque singultus in aures ejus verba resonare potuit, dicens : *Paule, mi frater carissime et Deo dilecte, si tu in animo hanc eamdem deliberasti sententiam, patrium solum parentesque, fratres ac sorores, propinquos et vicinos, totamque relinquere progeniem, saltem in uno bonitatis tuæ monimentum ac virtutis nobis ejusdemque loci incolis, te quæso, impendere digneris, in quo venerabilem semper tui nominis mentionem* (1) *habere possimus, et quod futuræ posteritati non parvi emolumenti censum conferat. Non nescio enim te in omnibus tam efficaciter sequi præceptum Domini, et ideo quæcumque petieris ab eo, incunctanter tibi præstabit.*

29. Ille ad hæc : *Dilectissima soror, etiam in hoc tantum tuas suscepi preces, si tamen hoc nostrarum est virium implere.*

[1] *cod.* ab ortis.

(1) Id est, memoriam.

Si vero hoc vires nostras excellere videatur, ab illo qui recte petentibus postulata largitur, eorum in quibus adhuc imbecilliores fuerimus, efficientiæ supplementum flagitare debemus. Tu ergo quæ in te concepisti, palam edicere ne moreris. Illa vero tali gratulata responsione, non ea quæ sibi solummodo pertinere viderentur ad avaritiæ stipendium, sed quæ incolis semper beneficium ac seculis mirandum conferre possent prodigium, protulit dicens : *Iste, frater benignissime, locus in quo nunc ad horam suscipere dignatus es hospitium, quam remotus a consortio mundialium hominum, tam aptus ei qui voluerit, repperitur ad serviendum Deo. Sed illum coercentibus ex uno latere malis coheredibus, ex altero vero pelagi fluctibus confinia vastantibus, hereditate terrea valde seclusus et inops, agriculturæ habetur angustus. Sed te Omnipotentem invocante simul ac deprecante, certissime scio et firmiter credo quod nostri quantulumcumque loci spatium, maris insolentia tuam per orationem cessante, præfatus Omnipotens dilatare dignabitur.*

30. Ille vero, mox ut hæc ab ejus ore prolata audivit, ad fidissimum sibi orationis sinum confugiens, ut quasi secretius hoc posset efficere, eam separatim jubet secum orare, ut non solum per semetipsum, verum etiam per ejus orationem hoc donum deprecanti ancillæ Deus dignaretur dedere. Ille autem solus in oratione prostratus ac [1] clavibus ejusdem orationis cœlum intraturus, ad Dominum præsenti voce allocuturus, sic incipit verba rogaturus : *Domine Deus, rex omnipotens, creator magnorum mirabilium, mirabilis et mirabilior mirabilibus quæ facis, laudabilis in creatura, laudabilior in essentia, qui dixisti discipulis tuis : Si mandata mea servaveritis, signa quæ ego facio facietis, et majora horum facietis* (1) : *te deprecor ut non mea peccata respicias, sed fidei ancillæ tuæ te ex corde poscentis subvenias, et istius loci spatium, pro quo deprecatur, augere jubeas, et mare hoc quod ista vastat confinia, suum relabatur in alveum et numquam ultra valeat istum exterminare territorium.* Ipse autem, tali completa oratione, comitante secum

[1] *cod.* a.

(1) Joan. XIV, 12.

sorore suisque ad mare discipulis (jam enim suum relabi cœperat ad alveum), littora peragrans gressus figebat. Quanto enim plus æstus, id est accessus, littus terramque tegere solebat, tanto latius recedens, id est per octo stadia, quod est mille passus vel paulo amplius, idem littus exhaurire atque enudare consueverat.

31. Dum autem peragrarent idem littus, Paulus: *Ambas*, inquit, *o germana, ex istius littoris calculis manus adimple, illosque singillatim factoque intervallo in confinio maris et littoris ex utraque parte medios interpone*. Illa obtemperante, ipse pariter et sui mare decrescens a tergo insequentes, pervenerunt usque in ultimam ejusdem ponti recessionem. Illis autem omnibus super crepidinem alvei genua Deo in oratione flectentibus, Paulus, quasi ad mare loqueretur, ait: *Istos lapillos, quos ego in finibus tuis deponere jussi, designo ut sint in signum fœderis sempiterni inter me et te, ut de cetero numquam eos transgredi debeas, nec nostra ultra territoria vastando diripias*. Sicque factum est ut ab illa die et deinceps hoc pactum prædictum pelagus quasi perpetua lege constrictum servaret, nec ulla usque in hodiernum diem fracti fœderis irruptione violaret. Cumque benedicentes Dominum cum gaudio reverterentur, calculos, quos eadem soror ejus suis manibus jactaverat, lapideas miræ magnitudinis columnas in prospectum habuerunt, quæ usque hodie in testimonium ejusdem virtutis sic remanserunt.

32. Mira utique res et valde stupenda, ut cum una res fuerat postulata, redderetur duplicata, ut si absentes non crederent unam testem, conscii adhiberent alteram. Littus vero prædictum, quod mare exhaustum reliquerat, in opus agriculturæ monasterii præfatæ feminæ omnium seminum fructiferax permansit. Via autem ubi per ambitum ejusdem littoris peragrarunt, inter columnas prædictas media incedens, *semita Pauli* a transmarinis vocitatur. Sed quoniam describendo qualibus initiis a primæva ætate et deinde ad usque juventutem iste vir venerabilis suam ducere vitam cœpit, hucusque, quasi præstructo meæ paupertatis ædificii ampliore fundamento, progressus sum, huic parvo volumini finis hic sit, ut deinde ex quo citra mare Britannicum ad Armoricam regionem processerit, quibus virtutibus enituerit, quibusque agonibus usque in diem

obitus sui certaverit, compendiosiore cursu describentes, aliud subsequenti volumini exordium sumamus.

Textus libri primi explicit. Incipit liber secundus. Caput undecimum. Quod navi conscensa, primo omnium ad insulam Ossam delatus sit.

33. Derelicta igitur patria omnique sua cognatione, post arduos arctioris vitæ labores, post innumeras noctes continuarum vigiliarum instantia exhaustas, post longa jejunia sitis et famis conscia, post multa miracula talium operum sudore adquisita, prædictus vir venerabilis Paulus regni cœlestis amore præventus, ad extorrem quo cursum Deo duce ventus gubernatorque vocabat, regionem profecturus, ratem, omnium quæ ad usum navigii pertinere videbantur, armamentorum non indiguam, in qua cum suis navigaret, conscendit. Tandemque cum omnibus suis comitibus, id est, cum duodecim presbyteris, totidemque laici ordinis nobilissimis viris, sibi propinquitatis affinitate conjunctis, quorum alii nepotes, alii consobrini erant, præter sufficiens mancipium, enatato prospero cursu ponto Britannico, flante zephyro delatus, allabitur ad quamdam insulam proprio nomine *Ossam* (1), e regione Armoricæ regionis spatio sedecim millium aut eo amplius distante constitutam. Repertaque in extrema parte ejusdem insulæ statione, in loco qui dicitur *Portus Boum* (2), idem sanctus cum suis una e navi egrediens, statim cunctam perscrutatus est insulam.

34. Peragrata vero tota insula, quemdam fundum repperit quem *Arundinetum* vocant, cujusdam fontis aquæ limpidissimæ inundatione prædivitem, sed modo benedictione ejusdem viri multo locupletiorem. Qui venis abyssi eructans, rauco cum murmure lenis auræ decurrens atque in ripis dormientibus suavis soporis suadibile somnum[1] prætendens, universam totius loci superficiem fecundo virore rigabat. Ibi namque amœnitate loci atque pariter bonæ telluris amore ductus, magnoque duri itineris labore fatigatus, supradictus vir tandem quievit, atque

[1] suadibilem sonum ?

(1) Vulgo *Ouessant (Enez Huessa)*. — (2) Nunc Portus Pauli *(Porz-Pol)*.

in eodem loco parvo oratorio cum altari lapideo aliisque tuguriis in usus communes exstructis, aliquantulo permansit tempore.

35. Presbyterorum vero tantum quos in ejusdem Pauli comitatu sive scripto sive relatu interfuisse didicimus, in hoc loco vocabula censuimus esse describenda. Quorum numerum, adjunctis *Quonoco* (1), quem alii sub additamento more gentis transmarinæ *Coquonocum* vocant, qui et ipse jubente Paulo propter vitæ merita et sapientiæ doctrinam in aliis magisteriale gestabat officium, et uno diacono, *Decano* nomine (2), usque ad quatuordecim fuisse manifestissime constat. Primus ergo ex his fuit *Jahoevius* (3), deinde *Tigernmaglus*, qui et ipsi ambo eodem Paulo sospite, sicut in subsequentibus, si Deus siverit, demonstrabitur, episcopatus officio functi sunt. Deinde *Toseocus* (4), qui alio nomine *Sittredus* dicebatur, et *Wohednovius*, qui alio nomine *Towoedocus* (5) vocabatur, atque *Gellocus*, necnon et *Bretowennus* (6) atque *Boius*. Deinde *Wirmanus* (7) et *Lowenanus* (8), necnon et *Toecheus*, qui et *Tochicus*, et *Chielus* (9), atque *Hercanus* (10), qui alio nomine *Herculanus* vocabatur. Isti vero quamvis a nobis quibus virtutum ocellis effulsere, vel obliterata antiquitas abstulit, vel negligentiæ torpor malus, desidiæ frater, invidit, eorumdem tamen nominibus quasi totidem margaritis hoc idem opus nobis illustrare placuit, quippe quos et memorias necnon et basilicas in suis honoribus fabricatas habere et magni meriti scimus apud Deum existere.

Caput duodecimum. De ejus adventu ad Agnensem pagum.

36. Aliquantulum vero temporis interim præterfluebat, ideoque vir venerabilis Paulus quotidie supplices in oratione Deo

(1) A quo forsan nomen suum accepit parochia *Plougaznou (Plebs Ganoei ?)*. — (2) Qui videtur nomen suum reliquisse parochiæ *Ploudihen*. — (3) Codex habet *Lahoevius :* sed omnino legendum *Jahoevius*, ut scribitur inferius (num. 62). Colitur is die prima Martii. Gallice appellatur *Jaone*. — (4) A quo videntur appellatæ parochiæ *Plouazech* et *Plouazoch (Plebs Toseoci)*. — (5) Inde *Plouzévédé* (?) *(Plebs Towoedoci)*. — (6) Inde *Broennou* (?), olim parochia, nunc sectio parochiæ *Landeda*. — (7) Inde *Plouguernau (Plebs Wirmani)*, ut dicitur infra, num. 40. — (8) Inde *Trefflaouenan* (?). — (9) Inde *Plouquiel* (?) *(Plebs Chieli)*, prope Trecor. — (10) Inde *Plouenau* (?), prope Castrum S. Pauli.

preces offerebat, ut ille qui prius per suum angelum patriam derelinquere monuerat, iterum sibi per eumdem angelum ostenderet utrum in eodem loco adhuc commorari deberet, an ad alium locum Deus famulum suum exire pararet. Quadam itaque nocte, cum membra jejunio atque oratione fatigata aliquantulo modicæ quieti dedisset, angelus Domini in somnis talia defert responsa, dicens : *Ipse regnator cœli et terræ me tibi claro demittit olympo, et me tibi talia per auras deferre mandata jubet : Quid hic struis? aut quid in tam arcto terræ spatio marinis undique fluctibus pulsato, otia teris? Non hic tibi quiescendi locus. Alia tellus te lætum lætabunda exspectat, alius locus te optantem exoptat. Est enim in illa terra populus multus per te docendus, per te crediturus, per te salvandus, per te amodo et in sempiternum glorificandus; et quantoscumque in hac vita positus converteris ad viam veritatis, super tantos in futurum principatum habebis. Excede hinc, ne moreris : Dominus tecum est. Ipse te ad locum tibi ab ipso præparatum, in quo quiescere debeas, ductor prævius perducet. Tantum abhinc abeas.* At ille statim evigilans et Deo gratias agens, comites suos ad se colligi jubet, talem visionem replicat, arma parent edicit, et quæ in ædificio classis fuerint immutanda, renovent.

37. At illi continuo ejus jussis parent, et dicto citius navis suis armamentis instructa in littore stetit. Ille vero cum suis navim introgressus, nunc gubernaculo rector subiens, nunc cornua velatarum antennarum obvertens, spumante salo, maria alta, hymnos et laudes Deo decantans, secabat. Tandemque prora stabili cursu ad littus detorquens, accedit primum ad quamdam rupem quam vicini proprio nomine dicunt *Amachdu* (1), adhærentem cuidam insulæ quæ et ipsa vocitatur *Mediona* (2). Tum deinde reperto in eadem scroba placido portu (3), navis in anchora figitur. Ipse vero omnibus suis comitibus et navi expositis, littus intrat, omnesque secum sumens, patriam ad quam venerat, perlustrans, devenit ad quamdam plebem pagi Ach-

(1) Videtur illa rupes eadem esse quæ hodieque appellatur *Karrec ar mach* (rupes equi) seu *Karrar ar mach du* (rupes equi nigri). — (2) Melon prope Lan-Iltud vel Molène, insula inter Ossam et continentem sita (cf. Courson, *Cartulaire de Redon*, *Pouillés de Bretagne*, p. 579). — (3) Lan-Iltud vel Lampaul-Plouarzel.

mensis, quam antiquo vocabulo *Telmedoviam* (1) appellant. Ipse vero pagus Domnonensis patriæ quædam pars est, occidentem versus constituta. In ea autem quam supra diximus plebe, repperit quemdam fundum, qui modo, Deo donante, perpetua est oblatio eidem sancto, ita ut una ex tribubus ejus, quas centum numero, sicut in subsequentibus demonstrabitur, habet, dicatur ; et in ipso fundo quemdam locum cujusdam fontis lucidissimi larga effusione clarissimum atque suavissimum. Ipse vero locus dicitur modo *villa Petri* (2), qui, ut fertur, consobrinus ejus erat. Ibi tandem Deo gratias agens, parvo oratorio et parvis habitaculis constructis, paucis diebus cum suis habitavit.

Caput decimum tertium. De ejus monasterio in plebe Telmedoviæ constructo.

38. Quum autem in eodem loco demoraretur, quidam ex suis prædictam tribum in circuitu peragrantes, diversa sibi in secretioribus construxere habitacula. Unus vero ex his qui in remotiora secesserant, fuit *Vivehinus* (3) nomine, qui propter vitæ arctioris angustiam et voluntariam remotæ solitudinis habitationem, cunctorum ab ore monachus vocitabatur. Hic, perlustrato eodem fundo, quemdam fontem invenit minutissimis arenis atque candidissimis interjacentibus perlucidum, densissimis silvis magnoque saltu circumdatum. Cujus infusione rivulus derivatus [1] per universum undique locum sonoro murmure suavissimam reddebat cantilenam. Ibique amœnitate loci et fontis suavitate lætior redditus, præparvo tuguriolo cœpit habitare constructo. Sed antiquus humani generis hostis bonæ actionis fabricatoribus semper parans inferre dispendium, præparato operi ex improviso suscitat inimicum. Quidam namque bubalus qui ex vicini saltus pinguibus pascuis ferini ventris ingluviem replens, quotidie ad fontem, ut haustu fluvii sitim restingueret, venire consueverat, cunctis præ timore ejus diffugientibus,

[1] *cod.* derivatur.

(1) Antiquo, id est, latino vocabulo *Telmedovia*, vulgo *Ploudalmezeau*. — (2) *Lamper en Ploumoguer*. Cfr. Courson, p. 578. — (3) Forsan ex eo nuncupatus est vicus *Plouvien (Plebs Viheni)* prope Lesneven.

secundum morem affuit, et universam totius ædificii structùram ad solum usque diruens substravit, ac pedibus conculcans cornibus ubique dispersit, statimque vagabundus cum horrisono mugitu ad castra remeavit. Sed Dei servus illud inimici opus esse prævidens, non cessit adversario, sed opus instaurando sese objecit inimico. Iterum secundo die prædictum animal venit, et omnia quæ instaurata fuerant, diruit. Tertio die atque quarto una eademque delusione similia fecit. Et erat inter Dei servum et ejus inimicum labor æqualis, sed dissimile studium : iste ædificabat, ille destruebat; iste instaurabat, ille diruebat.

39. Prædictus vero *Vivehinus* hoc suo curat nuntiare magistro; postulat ut ipse per se veniat, et diri hostis adversitatem repellat. At ille ejus petitioni satisfaciens, prædictum venit ad locum. Utque ejusdem loci amœnitatem valde sibi placentem aspexit : *Frater*, inquit, *carissime Vivehine*, *iste locus*, *si tibi placet*, *meus erit*, *et meus sit tuus*. Et ille : *Magister*, ait, *benignissime*, *omnia quæ mea sunt vel esse possunt*, *tua sunt*, *et tua mea*. *Tuæ voluntati in omnibus obediendum est*. Et Paulus : *Immo non meæ*, *sed Dei potius obediendum est voluntati*. At ille : *Verum est*, inquit, *sed non nescio tuam non discrepare a Dei voluntate; et ideo sic omnia tui oris verba*, *quasi Dei mandata*, *implenda sunt*. Interea dum colloquerentur ad invicem, supradictus ferus more suo adfuit. Statimque ut de longe veniens Paulum ante fores tugurii jam iterum restaurati assistentem conspexit, tremefactus et pavens procedit, prostratusque ante pedes illius tribus vicibus, humiliato ad terram capite genua flectit, tamquam commissi sceleris veniam ab eo impetraturus, et quasi ab annis prioribus in isto opere fuisset edoctus. Sed vir sanctus nil moratus ante se satisfacienti veniam dedit, dicens : *Dimitto tibi ; vade in pace*, *sed tamen cave ne umquam iterum huc aliquando venias*. At ille iterum caput inclinans, et quasi valedicens, ad sua remeavit, seseque in abditis silvarum locis condidit, ita ut postea nequaquam inibi visus fuisse perhibetur. Fugata itaque tali peste, sanctus in eodem loco derelictus, aliis passim in circuitu demorantibus, locum fontemque benedixit, ac statim oratorio parvaque cellula fabricata , ibidem aliquanto tempo-

ris spatio permansit. Iste est locus qui nunc monasterium sive vulgato nomine *Lanna Pauli* in plebe Telmedoviæ (1) dicitur, ubi innumera ejus beneficia omnibus cum recta fide poscentibus usque hodie præstantur.

Caput XIIII. De ejus comitatu ad plebem lapideam.

40. Post non longum temporis, iterum monitus ab angelo Domini, destinavit in animo illius regionis ad quam venerat, ducem ac principem, sicubi invenire posset, visitare, quibus moribus, quibusque legibus patria potiretur, investigare, et locum aliquanto secretiorem invenire in quo a contuberniis mundialium hominum sequestratus, expeditius atque instantius uni Deo posset insistere, priore loco aliquibus ex suis derelicto. Surrexit itaque iter acturus, ipse et sui pariter cum eo, veneruntque ad quamdam plebem, quam proprio nomine incolæ ejus *Amcinim lapideam* dicunt, in extrema parte pagi Leonensis in littore maris Britannici constitutam (2), usque ad locum qui in ea dicitur *Caer* seu Villa *Wiormanni* (3). Tandem lassus atque ex itinere fatigatus ibi sedebat.

41. Discipuli autem ejus præ nimia lassitudine pene consumpti, saltus in circuitu peragrantes, aquam in vicino quærunt. Et non invenientes regressi continuo, venerunt ad illum, suæ sitis necessitatem querulæ vocis murmure deprimentes, et nisi mox eorum necessitati subveniret, ex hac vita citius migraturos acclamantes. At ille, querulis eorum vocibus pulsatus, ad tutissimum sibi semper secretæ orationis sinum confugiens, sic invocando Dominum deprecabatur, dicens : *Domine Jesu Christe, qui Moysi famulo tuo jubendo ut virga quæ prius in colubrum versa fuerat, et quæ marmoreos undosi maris sinus trajecerat, lapidosam arentis metalli excuteret silicem,*

(1) Hodie, sicut seculo IX, Lampaul-Ploudalmezeau. Nota diserte hic indicari vocem *Lanna* significare *monasterium*. — (2) Forte *Grouanec*, ubi visitur sacellum nomine S. Pauli dedicatum, olim trevia. Locus ille refertus est lapidibus, et vulgo vocatur *Ar-Grouanec-is (Plebs lapidea)*. Ex epistola ven. viri Favé parochi, scripta mense maio 1873. — (3) *Plouguernau*. — *Tremeneach en (Plouguernau* ultimus pagi Agnensis terminus erat ex hac parte. Cfr. Kerdanet (Miorcec de), Les vies des saints de Bretagne, par Albert Le Grand, p. 202.

populo tuo per vastæ solitudinis arva ad terram repromissionis gradienti, et præ aquæ penuria valde tabescenti, limpidissimæ aquæ fluenta largiter manare fecisti, ita ut populi multitudo et jumentorum biberet, et raucor murmurantium cessaret : digneris, quæso, ex istius telluris viscere duro ex ejusdem baculi cuspide perforato, fontem huic parvissimo gregi aquæ dulcissimæ tribuere, ex quo pestiferam possint sitim restinguere. Et cum hoc dixisset, sustentaculi sui cuspide tribus vicibus diversis in locis terram percussit, ac statim, tribus glebis in eisdem locis effossis, subito totidem fontes largissimi in tantum proruperunt, ut non solum flammeam sitim sedare possent, verum etiam cœtus agminibus catervatim ad littus innitentes, sui supplemento vicini maris perpetuam esuriem effugarent.

42. Discipuli autem hoc prægrande miraculum considerantes, simul et admirantes qualis esset iste vir, etenim manus Domini erat cum illo, hymnos et laudes decantando Deo gratias agebant, qui quotidie magna et mirabilia signa per manus suorum non desinit operari famulorum, cujus manus, si fides petentis non vacillat, semper adest parata ut tribuat, qui non solum petenti postulata tribuere novit, sed etiam ampliora conferre consuevit. Exemplum e vicino est. Sanctus vir oraturus, unum suis fontem tribuere precatur ; sed Dei pietas majora semper præstare didicit quam rogatur. Quia qui unum ex suis dare donum postulatus fuerat, ita simul conferre non denegat et in hoc mirabiliora : quæque nunc data fuerant ad repellenda diræ sitis importuna jacula, nunc ad depellendas diversorum morborum ægritudines habentur insignia. Prædictorum enim fontium ablutione multi debiles et ægroti qualicumque morbo fuerint detenti, Deum per ejusdem sancti intercessione exorantes, sanitati restituuntur.

Caput XV. De inventione oppidi.

43. Interea dum in eodem prædicto loco membra, tanti itineris labore fatigata, modicæ pausationi dedissent, quidam homunculus Dei dispositione affuit; sciscitatusque ab eis primo cujus esset familiæ, deinde quo principe ipsa regio regebatur,

quibusque legibus eadem potiretur, et postea de cujusdam loci valde secretissimi in Dei famulatu persistere volenti admodum convenientissimi ostensione postulatus, humiliter caput inclinans, et Deo gratias agens cum talibus habere colloquium meruisse : *Ego*, inquit, ad Paulum respiciens, *o dilectissime Deo famule, cujusdam viri valde christianissimi, nomine Withuris, inter alios pastores porcos pascendo pascor, cujus dominio eadem regio domini imperatoris Philiberti præscriptione sub christiana religione regitur. Cujus faciem videre si velitis, ego vestri itineris prævius ero ; locum quoque in hoc quod quæritis, status sui positione valde vobis gratissimum, si placet vobis, ostendam. Et ne vobis videar quasi falsa mentiens, et ignaros fallens* [1], *hic ne moremini. Tantum me sequimini ; ego mea implebo promissa.* Sanctus itaque Paulus cum suis eodem pastore prævio iter arripiens, per viam publicam, quæ a loco ecclesiæ plebis prædictæ ad solis occasum ducitur, abiens, usque ad oppidum quod in ejus nomine vocitatur (1), pervenit.

44. Introgressus autem portam prædicti oppidi, quæ modo ad occidentalem ejus plagam nobiliori structura fabricata est, statim fontem non præparvum repperiens lucidissimum, signo crucis in nomine sanctæ Trinitatis erecto benedixit. Ex cujus frequenter sacratissima infusione multi debiles et ægri diversis morborum generibus detenti pristinæ restituuntur sanitati. Oppidum autem tunc temporis per circuitum erat muris terreis tempore prisco mira proceritate constructis circumseptum, nunc vero muris lapideis eminentiori altitudine fabricatis magna ex parte invenitur communitum. Qui locus velut insula ex omni parte, absque australi plaga (2), mari Britannico in modum arcus cum maxime tenditur, per circuitum ejus undique deflexo sinuoso tractu ambitur. Locus, inquam, valde decorus atque amœnissimus, cujus facies in meridiem respiciens ad omnes radios solis ab ortu usque ad occasum patet conspicua. Sanctus denique Paulus quales in eodem loco habitatores reppererit, si

[1] *cod.* mentiens... fallens.

(1) Manifeste hic indicatur urbs Paulina seu Castrum S. Pauli Leonensis *(Saint-Pol-de-Léon)* : quod et ejus situ confirmatur. — (2) Id est, australi plaga excepta.

in hoc loco designavero, non erit absurdum. Nam sibi castellum intrinsecus scrutanti sus silvatica cum suis natis circa ejus ubera lac suggendo suspensis, reperta fuisse refertur. Quæ per manum ejus una cum suis delinita, ita fuit cuncto jure antiquæ feritatis expulso redomita, quasi ab annis fuisset prioribus domestica. Ex qua ejusque progenie innumera porcorum regii generis seges multos postea per annos est procreata. Alvearium quoque cujusdam arboris antro mellis apumque tam abunde refertum invenit, ita ut ex eo in multis partito innumera fuisse repleta memorantur alvearia. Quo invento et ipse gratulabundus Deo pro talibus donis gratias referens, Deum omnium bonorum datorem benedixit.

45. Nec reticendum est quid sibi de bestiis quæ ibidem repertæ sunt, facere jussum fuit. Ursus namque qui vicinas devastando regiones ventris ingluviem replere consueverat, ut ab eo visus est, tremebundus aufugit. Statimque non longe ab oppido idem in territorio quod lingua incolarum pars *Brociana* dicitur, lapsus in quamdam foveam mira profunditate effossam, a Deo, ut vere æstimo, tali bestiæ cecidit dispositam, collumque perfringens pestiferam finivit vitam. Necnon et bubalum inibi visum, interdicto ei ab eodem posito, expulit, ut numquam in illis habitaret regionibus, sed ad alia demigraret loca. Ipse est, ut multi affirmant, quem, sicuti in eodem opere præfati sumus, ex quodam alio pupulerat loco. Quam admiranda sunt, sancte Paule, tuæ virtutis opera! Nimirum ea prudenter abjiciens quæ non solum nihil boni humano generi sed et multum mali conferre posse sciebas, illa vero diligenter accipiens quæ non solum nihil mali, si tamen eis bene uteretur, homini, sed etiam multum boni conferre posse non dubitabas. Necnon et alia diversi generis monstra, diabolicæ servitutis, quæ ibidem antiquitus abundarat, indicia, confestim ut eum viderunt, in fugam abierunt, et numquam postea ibidem visa sunt. Quem locum, omnibus nefariis ab eo retrusis, sale et aqua benedicta et in circuitu ejus deintus et deforis cum laudibus et hymnis conspersa, sacravit atque benedixit, ut ubi superabundarat peccatum, ibi superabundaret gratia, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et imperium in secula seculorum. Amen.

Caput XVI. De ejus itinere ad Battham insulam.

46. Cum autem uno eodemque productus prædicto pastore, sanctus iter ageret ad quamdam insulam, quæ quatuor aut eo amplius millibus a præfato castello circium versus constituta distans, lingua vicinorum *Battha* proprio nomine vocitatur, in qua comes quem quærebant, propter inquietudines et tumultus hominum devitandos frequenter degere consueverat: quippe nam et ipse in divinis præditus valde scripturis et in scribendi artificio miro in modo peritissimus erat, et ideo tali in loco esse cupiebat ubi meditando et scribendo divinas scripturas liberius atque solutius vacare posset; contigit ut obviam sibi venientes tres cæcos, a quodam puerulo nunc per iter in directum productos, nunc eodem faciente quasi ludificandi gratia per diversa errabundos, haberet. Illi autem ut sonum illius cum suis transeuntem audierunt, quasi uno ore clamaverunt dicentes: *Si dona principi transeunti sociisque in promptu non sunt, quæ orbis* (1) *erogentur, oramus, nostræ egestatis misereminі.* Sanctus autem Paulus misericordia motus super eos, et genua Deo in oratione flexus, ait ad illos: *Tale donum quod quæritis, modo in promptu non habemus. Deus autem quod utilius vobis fuerit donum, reddere dignetur.* Et accedens ad illos, iterum inquit: *Ille qui aperuit oculos cæcorum clamantium ad se: Jesu, fili David, miserere nostri, vestros aperiat oculos.* Statimque immissa baculi sui cuspide non solum squamas corporeæ cæcitatis depulit ab eis, sed etiam intima cordis eorum lumina peccati caligine suffusa, rutilo visu restauravit, ut post hæc, meliora gerentes, Deum toto nisu sequerentur.

47. Rursum parvo spatio ejusdem itineris emenso, alios duos repperit quibus linguæ plectrum loquendi officium perdiderat; sed eis manus ad petendum aliquid, signum erat. Quorum similiter misertus inopiæ, linguas ad loquendum restituit, et eos ut ea deinceps quæ Deo placerent, sermocinarentur, edocuit. Facto iterum parvo intervallo, dum idem iter perageret, forte quatuor paralytici in grabatis portabantur. Qui, ut eum cum suis

(1) Id est, cæcis.

transeuntem viderunt, rogabant ut sui misereretur. At ille, non immemor verborum beati Petri apostoli, qui claudum jacentem in porticu Salomonis, excusando se aurum et argentum non habere, sanavit : *Aurum*, inquit, *et argentum non est mihi, sed quod habeo, hoc vobis do. In nomine Jesu Christi Nazareni, surgite et ambulate*. Et statim surrexerunt, et ambulabant non solum pedum sed etiam morum gressibus. Isti itaque omnesque præfati debiles jam sani effecti, prohibiti sunt ab eo ne alicui hæc facta loquerentur. At illi abeuntes divulgaverunt eum per totam regionem illam.

Caput XVII. De ejus introitu in eamdem insulam.

48. Sanctus autem Paulus suique comitatus post transitum cujusdam vadi quod inter erat, cui vocabulum *Golban Promontorium* dicitur (1), introgressi in insulam, pervenerunt ad locum quem usque hodie proprio nomine *Secretum* appellant. Cujus in habitaculis reppererunt Withurem, quatuor libros sancti Evangelii, quos ipse in paginis descripserat, usque ad extrema jam jamque deducentem. Ut autem præfatus comes sanctusque Paulus mutua inspectione ab alterutro agniti sunt, invicem se mutuo salutaverunt, profusisque ex oculis lacrymarum fontibus præ gaudio eructantium, prolixius stantes fraterna stringendo colla, vix tandem ab osculo caritatis aliquando sufficienter satiati, sederunt : quippe, quos duplicata tenebat propinquitas, nam carnalis nexu originis consobrini, spiritualis autem quæ est in Christo, fratres erant religiosæ caritatis glutino conserti.

49. Interea dum sibi ad invicem confabularentur et secum quærerent quanta qualiaque sibi, postquam divisi alter ab altero fuerant, accidissent, et usque ad locum devenissent in quo idem sanctus quomodo a rege Marco divelli potuisset, referebat, allapsum initio sermonis est quomodo cymbalum de his quæ ei supererant, ab eodem rege fuerat postulatum nec tamen impetratum. Et ecce statim in ipsa sermocinatione is cui servandi

(1) Hic locus, ni fallimur, adeo agitatam de situ *Gobæi* promontorii controveriam plane dirimit.

piscium gurgustii (1) cura commissa erat, utrasque manus oneratus advenit : nam una esocen (2) miræ magnitudinis, altera vero clocam valde mirificam portabat, cujus annulus marinis plenus sanguisugis perforatus atque ambesus erat. Comes vero, viso tali dono, gratias egit Deo. Hoc tamen non suis sed Pauli meritis contradicentis, cujus in adventu datum fuerat, reputabat, dicens: *Paule frater, usque quo huc venisti, talem piscem hoc pelagus mihi non reddidit, nec piscator umquam de gurgustio clocam adduxit.*

50. Paulus autem, cum sonitum illius, jubente ut pulsaretur comite, magna cum admiratione audisset, labia sua præ gaudio resolutus, constanter arrisit; et comes ad illum : *Frater carissime*, inquit, *quid rides?* Et ille : *Cymbalum*, ait, *quod video, me ridere fecit; hoc est enim in veritate quod a meo principe Marco, cum ab eo discedens, aliquando postularam, de quo antea nostræ sermocinationis ordo loquebatur; et ideo gratias ago Deo meo, cujus potestate omnia quæ voluerit, quando et quomodo voluerit, ad illum cui voluerit, dantur. Nec ullus potest accipere quicquam boni vel mali, nisi ipse dederit aut permiserit : quippe qui, quæ creavit, ad illud quod voluerit sub manu sua habet. Et nos ipsi creatura ejus sumus : Ipse enim, ut ait propheta, fecit nos et non ipsi nos* (3). *Et ideo quidquid petierimus ab eo, non ab alio aliquo petendum est, qui omnia quæ nobis necessaria fuerint, etiam antequam petamus, semper oculis suæ majestatis videt ; et si ab eo retardari videantur, hoc non quasi ad perniciem sed ad nostram utilitatem nobis deputandum est. Non enim ob aliud ea quæ a nobis postulata fuerint, ab eo retardantur, nisi ut mirabilius et perfectius, si tamen nostra patientia perseveranter pulsando longanimis extiterit, restituantur, sicut modo de hac cloca vere et absque ulla dubietate ita esse manifestum est. Credo enim quod hoc donum per te, Deo qui tibi illud remiserit, disponente, possim percipere, eo acceptabilius atque pretiosius, quod non ab alio aliquo nisi ab ipso solo missum esse cognoscimus.*

51. Comes vero jam nomine dictus hæc et alia his similia ab ejus ore prolata gratanter accipiens, ait illi : *Paule, frater*

(1) Gurgustium, casa ubi pisces nutriuntur. V. Du Cange, Ed. Henschel, ad h.v. — (2) Genus salmonis. V. Du Cange. — (3) Ps. XCIX, 3.

carissime, quis hominum tam stultus et stolidus invenitur quam qui ea quæ Deus disposuit, solvere velit, dum nullus omnino potest resistere voluntati ejus? Omnia enim in ejus ditione posita sunt, et ea particulatim distribuit cui voluerit. Et cum hoc dixisset, præfatam accipiens clocam, tradidit eidem sancto donatione perpetua consecratam, dicens : *Quod tibi Deus remiserit, gratanter accipe. Jure enim tibi debetur donum quod ad te quominus per nos datum, a Deo novimus esse transmissum.* Ille vero accipiens et Deo gratias agens, comiti pro tali dono benedixit. Hæc est autem illa eademque cloca quæ per cunctos Latinorum populos *Hirlglas* id est *Longifulva* nomine noto vocitatur, cujus per operationem, quamvis ejusdem sancti impetrantibus meritis, non solum multos languores fugatos, sed et in quodam loco ejus tactu redivivum quemdam mortuum, eisdem qui viderant attestantibus, audivimus esse suscitatum (1).

Caput XVIII. De cujusdam serpentis in eadem insula reperti expulsione.

52. Post hæc et alia plurima inter se familiarissimæ sermocinationis colloquia ab alterutro memorata, præfatus Withures enarravit ei cum magna cordis contritione de quodam serpente, cujus virosa importunitas orientalem in eadem insula plagam multa ex parte vindicarat. *Cujus*, inquiens, *tyrannica crudelitas vix binis hominum cadaveribus totidemque boum quotidie remorari, complaceri vero non potest. Multotiens enim ego et pueri mei mecum ad expugnandam talem bestiam in armis progredientes, non solum in aliquo lædere potuimus, sed etiam pluribus ab ea interemptis vix pauci evasimus. Talis enim est natura ipsius serpentis ut, cum pedibus carere videatur, costis tamen et squamis, quas a summo gutture usque ad imam alvum*[1] *parili modo dispositas habet, ita instruitur ut squamis quasi unguibus, costis quasi cruribus innitatur. Non enim ut vermis cui spinæ rigor non est, et in directum corpusculi sui partes gradatim por-*

[1] *cod.* alveum.

(1) Tintinnabulum istud adhuc servatur reverenter apud Leonenses : ipse illud veneratus sum anno 1876.

rigendo contractas, contrahendo porrectas, modum explicat; sed alternis intenta conatibus, latera sinuosa circumfert, ut per exteriorem spinæ curvaturam rigentem costarum aciem tendat, costis autem natura ad summum rectis squamarum ungulas figat. Quod vicissim et celeriter agendo non solum plane perlabitur, sed et convexa conscendit, tot vestigiis instructa quot costis. Et ideo in tergo eius nihil proficientibus jaculis, omnique telorum ictu irrito, quæ per horrendam squamarum cratem quasi per obliquam scutorum testudinem[1] *labuntur, miroque in modo nec corpus lædunt, sed ipso corpore pelluntur, insuper magnam multitudinem morsu comminuere, impetu proterere, halitu vero pestifero expirare facit. Quæ, ut sonum alicujus audierit, tumida colla, aperto pestiferi capitis nocivo gutture, totius insuper venenosæ invidiæ luminibus expansis, saxo molari ad caput eminenti eminentior supponit, posterioribus ejus tortuoso sinuamine a longe prospicientibus. Est enim miræ magnitudinis, ita ut de loco capitis usque ad vipereæ caudæ ultima loca, centum viginti aut eo amplius pedum spatium inesse videatur.*

53. Hæc de eadem serpente a præfato principe prolata, ne alicui dubitanti ad incredulitatem veniant, videat et ipse suis, sicut ego prius dubitans modo affirmans meis prospexi luminibus (1). Locus enim in quo totius corporis latebrosa circumstabat habitatio, modium ac semissem sementis hordei, quod in eadem insula nimis abundat, aut eo amplius, colonis, capit, attestantibus. Sanctus autem Paulus hæc de serpente audiens, incunctanter de loco sessionis suæ surgens, dixit: *Ibo et ipse, ut videam quæ talis decretæ*[2] *potius extirpanda quam plantanda. Caput enim serpentis cito conterendum est. Tantum mihi itineris ducatum præbete.* Contradicente autem principe, se talem bestiam non visurum, ne simili morte ut ceteri periret, cum juramento protestatus est cum eo panem[3] non esurum nec aquam gustaturum, donec de tam horribili diabolicæ fraudis phantasmate aut ipse vinceretur aut ipse potius vindicaret, Deique populos de sub jugo mortiferi principis liberaret.

[1] *cod.* testitudinem. — [2] *sic.* — [3] *cod.* pane.

(1) Cryptam serpentis adhuc exhiberi in orientali parte insulæ Batthæ, narravit nobis mense maio 1876 ven. vir Olivier, parochus S. Pauli Leonensis.

54. Et cum hæc dixisset, omnibus qui inerant, secum licet nolentibus comitantibus tamen, quid faceret videre cupientibus, pervenit ad locum ubi insulanus draco extra terminos proprii patrimonii insederat. Ille vero, ut de longe venientium tumultus audivit, statim solito more quasi miles armatus ad pugnam se præparando, serpentinum caput præfato lapidi quasi scuti limbo supposuit. Sed mox ut Paulum utpote militem fortiorem sibi cum impetu venientem animadvertit, lumina flectens lucifuga, quasi se occultando latebrosa quærit latibula. Sanctus itaque memor divini eloquii ubi dicitur: *Calcabitis super serpentes et scorpiones* (1), et cetera, illum desuper comminando his dictis increpat, dicens: *Quid hic, pestiferæ segetis maligne sator, struis? Quare has non proprias tuos in usus sedes vindicare voluisti? Sic ille cujus similitudinem tenes, aliquando dixerat: Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; in cœlum conscendam; similis ero Altissimo* (2). *Sed suo nisu deterior factus, immersus et præcipitatus in infernum est, ubi te paria exspectant regna, ibi te paterna hereditas futurum exposcit heredem. Cui enim alii patrii census vectigal jure debetur? Quid ergo nostri juris septa effringere præsumpsisti? Nam hic tibi blandienti Eva decepta, protoplastique* [1] *Adam deceptrix ad fallendum. Secundi Adam sumus, qui nos ad cavenda tuæ malignæ emissionis jacula vere sapienterque edocuit. Aut si tu similia posse agere æstimaveris, nescis quod qui sibi grandia repromittunt, cito dejiciuntur? Tuos igitur deponere tumores Christique ediscere trophæa ne pigriteris. Vere enim, ut ait quidam, magna cadunt, inflata crepant, tumefacta perimuntur.*

55. Et cum hæc dixisset, stolam qua induebatur illius nefario circumstringens collo, sui hastile baculi eidem nodoso adacti ligamini quasi pro fune in manibus arripiens, per viam quæ ad plagam ipsius insulæ borealem tendit, eodem se sequente usque ad mare progreditur serpente, stantique in confinio maris littorisque (3) præcipiens ait: *Serpentina crudelitas,*

[1] *cod.* prothoplastique.

(1) Luc. x, 19. — (2) Is. xiv, 13, 14. — (3) Locus hodieque vocatur *Punc-ar-serpaint (Puteus serpentis)*. Le Men in *Bulletin archéologique du Finistère*, tom. IV, p. 112.

priusquam cærulei maris fallacibus demergaris caribdibus, maculosa gorgonei gutturis extende colla, et sine ut mea propria accipiam vestimenta. Et statim illa ejus imperio obediente, indumentum accipiens, dedit ei licentiam pergendi, interdicto ei posito uti ne ullis umquam christianorum regionibus accederet, sed ad deserti maris inaccessibilia ab ullo hominum loca festinaret, ubi solitaria infulis suæ tyrannidis spoliata, præsumptionis suæ atque ultra modum jactantiæ piacula fame, siti mæroreque consumpta expiaret. Illi vero qui ad spectaculum istud videndum venerant, tali stupefacti prægrandi miraculo, facta Deo in commune gratiarum actione, quo desuper largiente idem sanctus impetrarat ut etiam serpentibus imperaret, magnis periculis se esse gaudentes liberatos, domum reversi sunt.

56. Post hæc autem idem sanctus cum suis discubuit in domo præfati comitis, et sedentes sumpserunt præparatum sibi solemne convivium. Et facta Deo solito more gratiarum actione, prædictus comes eamdem insulam maligno habitatore retruso ereptam, et oppidum antea memoratum et Evangelium ab eo perscriptum cum cymbalo jam sibi tradito in oblatione perpetua pro habitatione regni cœlestis eidem cum tituli inscriptione consecravit sancto, omni censu terreni principatus iisdem possessionibus per secula deleto. Sanctus itaque Paulus data benedictione gratias agit Deo Withurique, ejusdem doni donatori, atque tam in eadem insula quam in oppido commoratus, in Dei servitio diebus ac noctibus perseverans, usque ad obitum permansit. Withures vero, his suo relictis consobrino, ad alias sibi vicinas regni sui mansiones ejusdem sancti benedictione migravit.

Caput XIX. Quomodo episcopatum rege Philiberto jubente suscepit.

57. Eodem itaque tempore, cum in eisdem præfatis habitationibus idem sanctus sua jam tandem deliberatione (1) multis pridem annis magno cum labore conquisita ad votum, quasi

(1) Id est, liberatione, libertate (ad Deo perfecte serviendum).

quidam artifex omnibus officinæ suæ instrumentis coram se præparatis, uteretur, scilicet ut, dictum præcipue apostoli implendo ubi dicitur: *Sine intermissione orate* (1): in quantum potest homini adhuc in corpore degenti, semper orationi vacaret, adjunctis tamen eidem orationi cunctis bonorum operum quasi quibusdam insignibus, ubi locus interlucens includi exposcebat, supplementis, ne videlicet in tali instrumento uno foramine incaute per interrupta derelicto, inde otiositas ejusque soror desidia, torporque earumdem fidus frater, vel alia aliqua pestis nociva velut improvisi quidam inimici erumperent: cum ergo posita imprimis quasi primi fundamenti angulari lapide orationis industria, propter jejuniorum bidui sive tridui cum divinarum meditatione Scripturarum et propter vigiliarum admirabilem diebus ac noctibus infatigabiliter continuatarum exercitationem necnon in eisdem propter ineffabilem suæ humilitatis ac patientiæ cum cordis et corporis munditia atque insepibilem custodiam ab omnibus jam quasi quædam tæda splendidissima quæ cunctas occiduæ partis Domnonensis patriæ tenebras effugare posset, splendescere videretur [1], ita ut de eodem quoque Domini dictum fuisse prolatum, nemini in dubium veniret: *Ille erat lucerna ardens et lucens* (2); cunctis undique præfatæ regionis congregatis visum est populis ut, quia eadem ad quam venerat patria totius pene christianæ religionis expers erat, ipsum valde venerabilem virum omnes una cum suo duce Withure adeuntes implorarent, ut pontificatus gradum accipiendo, omnes ab erroribus suis ad viam veritatis converteret, et eis mores veræ religionis pie fideliterque ediceret, totiusque sacerdotii atque clericatus jura restitueret, quippe quem sapientiæ doctrina vitæque merito ad hoc officium cunctorum judicia dignum esse judicabant.

58. Sed hæc eorum oborta intentio incassum fuisset exinanita, nisi solus comes præfatus meliori præventus consilio, per seipsum ad sanctum veniret, et quasi alia fingendo ex aliis alio aditu circumveniret quem tali officio crebris vicibus pul-

[1] *cod.* videtur.

(1) I Thess. v, 16. — (2) Joan. v, 35.

satum non solum nullum dedisset assensum, sed etiam velle potius peregrinum fore quam episcopum non nesciret. Ob hoc itaque ad Paulum veniens, coram eo pronus in terram adorat, causamque suæ necessitatis aperit, dicens : *Ex quo, sancte Dei Paule, rex Philibertus* (1) *istam mihi regionem sub suæ potestatis conditione ad regendum tradidit, ob nostri incuriam vel legatorum indigentiam, difficultatem itineris propter malignorum hominum aut etiam bestiarum necnon serpentium in desertis regionibus insidias expavescentium, nullum inter nos vel per mutuam legationem habuimus colloquium. Quapropter multum dubietatis pluribus e causis quas per nosmetipsos diffinire non potuimus, habentes, tuam præ omnibus adeundam credidimus benivolentiam, qui nostræ in hoc necessitati, si tamen nobis aliqua coram te gratia aut alicujus præfixæ amicitiæ respectus remansit, subvenias, hoc est, ut prædictum regem hoc nostræ legationis in manibus habens indiculum adeas, in quo præfatæ causæ a me descriptæ ejusdemque annuli sigillo ab ipso mihi quasi pro signo traditi habentur inclusæ, quod quasi secretius, utpote morem gentis quam adibis sciens, taliter volui destinare. Cito enim ut viderit, propria rex animadvertet signacula. Tu vero ea quæ ad nos vel dictando vel scribendo remiserit, reportare satagito. Cuncta autem vestri itineris in cibariis et in mancipiis necessaria, a me tradentur. Tantum nostræ petitioni assensum reddere ne moreris.*

59. O beata simplicitas, quæ neminem fallis, nec ab ullo alio falli te posse prænoscis ! Sed tu in hoc, Paule, non falleris. Modo presbyter, regem adibis, a quo regrediens, quamvis invitus cum meliore dono reverteris. Cui vero te in hoc, agne mansuetissime, comparaverim ? An forte phrenetico te similem esse dixerim, qui funem in manibus ex quo ligetur, portat ? Absit. Tu enim portas non quo ligeris, sed quo alios solvere solitus eris. Nam litteræ quas portabat in manibus, erant hæc verba continentes : *Ad regem. Cum acceperis, domine mi rex, epistolam hanc, scito quod miserim ad te istum Dei hominem, nomine Paulum, ut, quamvis nolentem, nobis eum ordines episcopum. Multis enim vicibus hoc officio pulsatus, episcopatum se denegat accepturum, cum illum præ omnibus nostræ ætatis*

(1) Scilicet Childebertus I, filius Clodovei.

huic ministerio sive sapientiæ doctrina vel vitæ merito scimus esse dignissimum. Hæc et his similia de ejusdem gestis ad regem explorandis, litteræ continebant.

60. Paulus vero ejus jussis obtemperans, acceptis secum XII presbyteris absque sufficientibus mancipiis (1), in Dei fisus adjutorio, viam ut iret aggressus est. Post magnos ergo sudores difficilesque longæ peregrinationis plurimis diebus atque noctibus labores, tandem fatigatus pervenit ad Parisios civitatem, cujus in palatio id temporis rex Philibertus jura legesque populis dabat, ubi te, sancte Dyonisi, grex monachorum multusque Francorum populus in sui adjutorium per secula supplex invocat. Sanctus autem Paulus, cum intrasset ad regem atque ex more salutandi pronus coram eo adorasset, præfatum indiculum humiliter, caput inclinans, regi tradidit. Rex vero, recluso proprii nummismatis sigillo, perspectisque quas idem tomus continebat litteris, ad Paulum respiciens, ait : *Paule, Deo dilectissime, ut quid talentum tibi depositum, quasi alieni juris cupidus, sub terræ aggere deponere voluisti ? Nonne satius erat ut nummulariis ad excolendum redderetur, et suo domino cumulatius atque perfectius assignaretur? Quare jugum Domini suave de collo tuo et onus ejus leve de humero tuo excutere conatus es? Putas quod ii solum qui nullam de aliis habentes curam, omne quod habent, in suæ avaritiæ usus retorquere conantur, locum excusationis in die judicii habebunt? Animadverte, et vide quia non solum illi supplicio damnandi sunt, qui aliorum jura decerpunt, sed etiam ipsi qui nulla proximorum egestate moti, omnia sua sibimetipsis voluptuoso deflectere nituntur animo, igni gehennæ sunt plectendi perpetuo.* Sanctus vero talis depositi atque avaritiæ, cujus vitii argueretur, inscius, in terram se veniam precaturus prosternens, promittit se de omnibus satisfacturum, si sibi apertius talia revelarentur. Philibertus ergo, eo de terra erecto : *Accipe*, inquit, *episcopalem gradum multis tibi vicibus irrogatum, cujus ministerio plurimorum possis proficere saluti.*

61. Sanctus denique, imperante rege ut tres in medium episcopi, qui illum eidem gradui consecrarent, adducerentur, lacrymis cum singultu per ora defluentibus, contradicere non

(1) Id est, præter mancipia quot decebat.

valens, accepit quod nolebat. Quæ vero donaria post talem promotionem sibi a rege tradita sunt, sive scripto sive relatu omnibus notum est. Nam ex duobus pagis, Agnensi Leonensique, centum numero tribus idem rex cum tituli præscriptione in perpetuam diocesim eidem pro hereditate regni cœlestis consecravit sancto, omni tamen censu regali eisdem tribubus, quasi a terra in cœlum translatæ fuissent, per secula deleto. Quas per nomina atque circuitus, quia in aliis quamplurimis chartis ad ejusdem sancti caput depositis habentur inscriptæ, in hoc nolumus interserere loco. Et in omnibus locis in quibus a rege digrediens per unamquamque noctem requiescere vellet, usquequo ad sedem propriam remearet, sibi suisque perpetuus haberetur honor. Paulus vero, his gratanter acceptis, Deo gratias egit, regique, multis inter se habitis colloquiis acceptaque revertendi licentia, valedixit. Hic est Philibertus, quem nunc propter vitæ meritum in numero sanctorum nostrum semper invocamus in adjutorium. Post hæc autem Paulus, domum suam reversus, per plurima tempora episcopatus officio functus est, atque in eodem episcopatu plurimas, Deo juvante, virtutes operatus est; quas si per ordinem transcurrere velimus, nec lingua ad loquendum nec manus sufficit ad scribendum.

Caput XX. De ordinatione episcoporum adhuc eo vivente.

62. Destructis vero templis in cultu antiquitus dæmonum fabricatis, diversas in circuitu ecclesias atque monasteria cultui divino mancipata construere jussit, in quibus clericorum ministeria, qui divini cultus ritum populis ostenderent, constituit. Et quosdam quidem volentes clementer ac benigne persuadens, quosdam autem nolentes districte feriendo corripiens, omnes tandem convertit ad fidei veræ unitatem. Et quorum corda prædicatio emollire non valebat, eorum duritiei signis et virtutibus obviabat. Et quod verbis prædicabat, hoc illis in facto præmonstrabat. Cum igitur totam per regionem Ecclesia bonorum operum institutione velut quoddam organum totius cantilenæ concordia per omnia instructum concineret, ipse jam senectute fessus unum ex suis discipulis, *Jahoevium* nomine,

ut pro se episcopatus officio fungeretur, constituit. Cui per unum annum ministranti atque statim in Christo dormienti, alium ex suis subrogavit, illum qui *Tigernomaglus* dicebatur, qui et ipse eidem ministerio per annum et diem unum deserviens, dormivit in Domino. Quibus ex hac vita translatis, sanctus iterum parvo intervallo suo inservivit officio, donec ei iterum aliquando quemdam ex suis, qui *Cetomerinus* vocabatur, in sede episcopali, ut pro se ministraret, visum est constituere.

63. Die autem ordinationis illius quid miraculi contigit, in hoc non omittendum est interponere loco. Nam ipsa eademque die *Judualus*, cognomento Candidus, Domnonensis patriæ magna ex parte dux nobilissimus, qui et ipse sancti Samsonis consobrinus dicebatur, ut Paulum in carne videret et se ejus orationi commendaret, advenerat. In ejus statim præsentia cujusdam cæci miserabiliter clamantis : *Miserere mei*, *Paule*, *miserere mei*, densissimam ab oculis cæcitatem Paulus mirabiliter expulit. Judualus vero, viso tali miraculo, illud territorium quod modo dicimus *Pauli* (1), sub consecratione in perpetua oblatione pro animæ suæ redemptione eidem tradidit sancto. Ipse tamen ad sua ejusdem sancti Pauli benedictione remeavit.

64. Sanctus autem Paulus pontificali sede prædicto derelicta Cetomerino, migravit ad *Battham*, propriæ habitationis insulam, ubi cum plurimo grege monachorum sub ejus magisterii disciplina regulariter viventium multa ætatis decrepitæ tempora impendisse refertur, ita ut præ nimia senectute, consumptis jam carnibus, cutis solummodo atque ossa igne divini amoris arefacta remansisse videbantur, et quasi per lucidissimum vitrum ita per palmæ ejus interiora solis radios splendescere videres. Hoc siquidem ita esse, corpus illud adhuc intactum atque incorruptum ostendit, quia in tali specie qua, cum anima ab eo soluta est, vigebat, ita examen divini judicii diemque resurrectionis exspectat. Denos autem quatuor decies fere aut eo amplius annos eumdem in carne ætatem habuisse, senes antiquissime referebant. Hac vero ultima ætate tantum orationi operam dedisse, et per eam prophetiæ gratiam adquisiisse dicebant.

(1) *Mespaul* vel *Lampaul-Guiemilliau (?)*.

Caput XXI. Quod prophetiæ spiritu ventura prænuntiabat.

65. Sciendum quoque est eidem sancto inter alia Sancti Spiritus dona prophetiæ gratiam non defuisse. Nam dum in eadem insula, derelicto episcopatus officio, orationi tantum, sicut jam præfati sumus, operam impendens commaneret, multa de his quæ in proximo ventura forent, populis in vicino habitantibus per Spiritum admonitus demonstrabat, eosque, si quando aut gladius inimici, aut terræ sterilitas, aut morborum diversitas, aut alia aliqua pestis immineret, cavere præmonebat, uti eleemosynis et orationibus Deum exposcerent, quo ipse ab eis imminens periculum averteret.

66. Multa etiam de his quæ post egressionem ejus fierent, ventura multo ante prædixit, et quod circa corpus ejus magna inter monachos ipsius insulæ atque oppidi clericos cum suo episcopo concertatio fieret; quomodo eadem pugna pace superante exciperetur, præmonuit. Ad eamdem quoque insulam *Marcomannos*, id est Normannos, quandoque venturos esse, qui eam penitus devastarent, omneque ejus ædificium, sive tollendo sive comburendo, ad solum usque destruerent, denuntiavit. Quod vere absque ulla dubitatione jam contigisse, omnibus notum est. Ex eo ergo tempore usque hodie crebris irruptionibus eamdem insulam devastare, quidquid in ea invenerint, diripere, idem barbari non desinunt, nisique Deus adjuverit, numquam desinent. Deus autem, qui omnes ad se venientes salvat et neminem vult perire, ipse nos ab eorum insidiis malignorum eripere, defendere atque salvare dignetur. Amen.

Caput XXII. De ejus obitu, et quomodo translata sit ejus anima.

67. Aliquantis tamen diebus ante ejus exitum, tempus egressionis suæ a corpore revelatum est ei ab angelo Domini. Nam quadam nocte, dum post vigilias delirus senex membra senio confecta in cella ad hoc constituta modicæ dedisset quieti, ut

quasi denuo per hoc recreatus consuetum peragere posset opus, angelus ei rutilo circumdatus lumine de supernis allabi in somnis visus est aulis, cujus splendor non solum ipsius cellulæ parvæ, sed etiam totius mundi tenebras, quasi sol splendidissimus effugare sufficiebat. Qui talia ad senem deferebat verba, dicens: *Sancte Dei, rex cœlorum terræque creator, ordinis angelici factor hominumque redemptor, me tibi siderea splendentem mittit ab urbe. Dies tuus in proximo adest: jam enim tua a Domino recompensanda merces est. Te quoque concivem atque convivam exposcunt cœlicolæ. Te gloriosissimus sanctorum chorus excellentissimum exspectat militem in superna felicitate locandum. Jam tibi aperta regni cœlestis patet porta, victor ut ingrediaris æterna tabernacula. Ipse*[1] *siquidem et ipsa die lætus lætum exspecta egressum, ipsumque*[2] *diem novissimum. Dominus ipse angelici exercitus sanctorumque cunei, innumero stipatus agmine cœlestia decantante organa, gloriose in occursum tui adveniet, ut tibi seni jam deliranti dignam retribuat mercedem, meritosque præstet honores.* Et statim his dictis æthereas conscendit in aulas. Sed lux, quæ cum eo cœlitus emissa fuerat, remansit; ac deinde usque ad ejus obitum per noctes quasque cellula prædicta ejus lucifluo aspergine, quasi magnarum lumine lampadarum, illustrari non cessavit.

68. Sanctus itaque Paulus, statim ut lux crastina effulsit, congregatis undique suis discipulis, extremum eis secessionis suæ a corpore denuntiavit diem, atque præcepit ut corpus suum, cum spiritum exhalaret, duceretur ad monasterium in agro positum, quod nunc ejus oppidum dicitur, et in eo sepulturæ more conderetur, ne, si in insula linqueretur, omnes qui ad ejus reliquias convenirent visitandas, freto exclusi, injuriam paterentur. Sciebat tamen qualiter circa tale corpus bellum habituri essent. Deinde usque ad horam novissimam, eos lectione divina instruere atque eis mystica quædam spiritualis instrumenti, qualia numquam ab ullo audierant, per dies aperire non cessabat; noctibus vero solito more orationi incumbebat.

69. Imminente vero exitus sui hora, astante quoque monachorum atque clericorum ejus in circuitu magna cohorte, dixit:

[1] *cod.* Ipse.— [2] *cod.* ipsamque.

Filioli mei, ecce novissima hora est. Ecce, quod amavi, jam video; quod desideravi, jam intueor. Cœlicolarum agmina cum suo rege venientia jam contemplor; jam me in suis amplexibus habere desiderant. Hæc eo dicente, omnes vocem magno cum fletu levaverunt, dicentes: *Quid faciemus, clementissime pater? Quo ibimus? aut cui nos commendas?* Et ait illis: *Nolite, carissimi, nolite flere, nolite lugere. Non sicut orbati, vos relinquimini. Habetis vobiscum pastorem in omni opere Domini probatissimum, aliosque viros omni doctrina spirituali eruditos. Scitis quoque quali vos exemplo confirmaverim et quali instrumento docuerim. Quæ audistis a me et vidistis in me, hæc cogitate, hæc agite, hæc et alios edocete; vos omnia edocui.* Et cum hæc dixisset, acceptis corporis et sanguinis Domini sacramentis, manum ut eos benediceret, levavit dicens: *Benedictio Patris et Filii et Spiritus Sancti super vos descendat.* Et responderunt omnes: *Amen.* Et post hæc in conspectu omnium, absque ullo membrorum solutionis dolore, inter ipsos angelorum sanctorumque quos videbat choros, suam reddidit animam, tibi, Domine Jesu Christe, proprio datori, ab omni pollutione carnali immaculatam, atque statim obdormivit in Domino. Quarto itaque Idus Martii sanctus in pace Paulus, pontifex egregius, vir valde venerabilis, obiit, atque cœlum ut cum Deo regnaret, meritis confessor pariter et virgo, lætus intrare promeruit.

Caput XXIII. De felici monachorum atque clericorum circa corpus ejus concertatione.

70. Eodem itaque in Christo dormiente, circa corpus ejus inter monachos insulæ atque sacerdotes oppidi contentio orta est, in loco cui modo *Signaculum* nomen est, cui utriusque eorum cohorti judicio debetur. Oppidani dicebant: *Noster episcopus fuit; nobiscum multos debiles et ægros sanitati restituit; nobiscum cæcos lumine, mancos manibus, claudos gressibus ditavit. Et quid plura? Noster est, noster erit; quia quod vobiscum est conversatus, nostri beneficio fuit; et ad ultimum sic commendavit ut corpus ejus nobiscum conderetur.* At insulani e contra respondebant, dicentes: *Nolite nobis obviare de ejus virtutibus.*

Plures enim nobiscum capite et fine salvavit quam dum vobiscum in medio episcopatu vos deservierit; et quid mirabilius egit, quam quod nobiscum in serpente fecerit? Scimus siquidem quod vester aliquando episcopus fuit; sed nos adiit, vos autem dereliquit, et ad ultimum nos elegit cum quibus in Christo Jesu dormierit. Et quid nobis plurimorum jactura verborum? Vobis adhuc in seculo viventibus possessiones reliquit: nobis semetipsum donavit. Possessiones inter vos dividite: nobis in Christo mortuis vel mortuum relinquite.

71. Hæc et his similia contendebant. Sciens autem Cetomerinus quæ ei ob hanc causam ab eodem sancto fuerant commendata, duo vehicula cum totidem bubus unicuique eorum subjugatis supposuit. Quæ demum taliter constituta atque ad invicem juncta erant ut unum eorum ad insulam, alterum vero ad oppidum tendere deberet. Positoque inter se æquo libramine feretro in quo exanime corpus jacebat, solus ipse sanctus eligeret cum quo examine ire vellet. Mirandum valde est quod sequitur. Utraque siquidem turba in suo vehiculo illud se habere putavit depositum, de quo prius habitura fuerat bellum. Sicque diversa sequentes itinera, diversa habuere solamina. Nam insulani spe sua frustrati, cum venissent domum, nihil invenerunt nisi vehiculum. Sed Dei divina disponente gratia, cum laudibus et hymnis ante se decantatis, ejusdem corpus venit ad oppidum, ubi honorifice sepultum in pace requiescit, et ubi per ejusdem sancti meritum plurima omnibus Deum in veritate invocantibus beneficia usque hodie, dumque mundus iste steterit, præstantur, patrante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor perennis, et indeficiens imperium per infinita secula seculorum. Amen.

Explicit vita S. Pauli Aurelii Domnoniensis, qui colitur IV° Idus Martii.

Hexametri versus.

Vita sacrosancti descripta est ordine Pauli,
Hinworete, tuis quam scripsi fidus alumnis,
Cujus ad imperium qui constent nempe fideles
Nunc tandem, fratres venerandi, vota tenete
Et vestri propriis sancti gaudete trophæis.

Namque viri vobis splendent exempla fidelis,
Moribus egregia castis et florida factis.
Post hoc nullus eat pravi per lubrica facti,
Nec pedibus pergat pravorum devia morum,
Nec dextra lævaque simul declinet oberrans;
Justitiæ potius sectator sed pius instet
Tramitis, et recto lancem libramine penset.
Nunc ergo Dominum poscamus voce fideli
In commune simul, dignetur ut ipse paterna
Nos pietate suos semper defendere alumnos,
Hostis ne valeat nos vincere fraude malignus;
Ut postquam linquens terram, corporis una
Spiritus hospitia discesserit, ad pia scandens
Culmina, sanctorum requies ubi fulgida fulget,
Cum Paulo vitam valeamus habere perennem.
Desuper in nobis Christi benedictio fiat.

ACTA S. VINCENTII MARTYRIS

ARCHIDIACONI CÆSARAUGUSTANI

QUI PASSUS EST VALENTIÆ IN HISPANIA

ET RELATIO TRANSLATIONIS EJUSDEM.

Gloriosissimi martyris Vincentii Acta Bollandus altero Januarii tomo ad diem 22 edidit; eadem Ruinartius inter *Acta martyrum sincera* exscripsit. Sunt illa quidem sincera, haud tamen genuina aut primigenia. Acta enim præsidialia ferox persecutorum invidia destruxit. Quare christianorum vivæ vocis traditione martyrii forma, species tormentorum, martyris responsa, et reliqua rei gestæ adjuncta conservata ac postmodum litterarum monumentis consignata, secundi generis acta constituere, quæ, uti res ipsa loquitur, authentica aut genuina dici nequeunt, quamvis sinceritatis nota minime carere dicenda sint.

Inter plurima sanctorum acta, quæ prædecessores nostri coacervarunt, duo addenda tomis Januarii S. Vincentii Actorum reperimus exemplaria, quorum unum breve ac succinctum, diffusius alterum atque explicatius, utrumque tamen bollandianis istis antiquius æstimamus. Hæc enim longiorem illam amplioremque formam induunt quæ seculo VIII et IX adscribenda videtur. Quam ob causam Ruinartio consentire nequimus, arbitranti ea esse acta quæ tempore sancti Augustini in publico fidelium cœtu legebantur. Præterea in verbis Augustini quæ ad opinionem suam confirmandam affert, nihil est quod non apte quadret in illa, quæ nunc ex Bollandianorum collectaneis producimus acta, paullo quidem diffusiora sed ad sequioris ævi amplitudinem minime pertingentia.

Acta sancti Vincentii quæ, ut diximus, non ex authenticis instrumentis sed ex orali fidelium relatione orta sunt, in rebus quidem præcipuis conveniunt, in aliquibus differunt sive formis et adjunctis pœnarum, sive verbis et personis ad quas verba diriguntur, sive etiam genere suppliciorum, aliisque rebus minutioribus.

Dabimus primo loco Acta illa brevia, quæ concinnitate ac simplicitate ad authenticorum formam actorum proxime accedunt.

Deinde sequentur Acta abundantiora, quorum magnam partem bollandiana illa continent, sed multis verbis dilatatam et auctam. Quædam etiam his actis expressa a bollandianis absunt, aut aliter leguntur apud Bollan-

dum et Ruinartium. Ad quorum distinctam notitiam ac facilem comparationem faciet typorum discrimen, et puncta addita.

Ita ut minores typi indicent quæ huic exemplari et bollandiano sunt communia, majores quæ huic nostro propria, puncta vero, ea quæ apud Bollandum sunt superaddita, punctorum numero totidem fere lineas repræsentante.

Acta brevissima prædecessores nostri anno 1754 Mediolani exscribi jusserunt.

Acta longiora deprompta sunt ex duobus codicibus Romanis, quorum variantes lectiones annotavimus.

Tandem dabimus relationem de Translatione S. Vincentii martyris Valentia Ulyssiponem, ex codice MS. asservato olim in bibliotheca collegii Societatis Jesu Duaci in Gallia. Hujus translationis fit frequens apud historicos mentio, ut videre est in altero tomo Januarii, ad diem 22. Accuratam relationem nunc primum in lucem edimus. In exteriori apographi folio sequentia leguntur :

Infrascripti testamur hanc relationem de Translatione S. Vincentii martyris, desumptam esse ex libro manuscripto in folio, tecto corio rufo, varia sanctorum acta continente, qui in bibliotheca collegii Duacensis Societatis Jesu asservatur. Duaci, hac die 10 junii 1652.

Laurentius Ludovici, Soc. Jesu, Sac. Theol. Prof.
Michael Senechal e Soc. Jesu, S. Theol. Professor.
Jacobus Platel, Soctis Jesu, S. Theol. professor.

I. PASSIO BREVIOR (1).

1. In Christi nomine incipit Passio beati levitæ et martyris Vincentii.

In illis diebus, cum gravissima in christianos persecutio ebulisset, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, in Augustana provincia, civitate Valentina, Datianus iniquissimus præses officium crudelitatis adversus Dei sanctos suscepit. Qui

(1) Hæc est ejus inscriptio in apographo nostro :

PASSIO S. VINCENTII LEVITÆ ET MARTYRIS
EX ANTIQUISSIMO MS. BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ MEDIOLANENSIS
INVENTO IN ADVERSARIIS
EMINENT. CARD. FEDERICI BORROMEI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

mox ut ingressus est urbem, suos direxit milites, ut episcopum Valerium et Vincentium levitam, una cum ceteris Ecclesiæ ordinibus, catenarum nexibus alligatos et penuria famis affectos, ad Valentinam civitatem perducerent. Qui cum perducti fuissent et in custodia carceris reclusi, cum eos jam defecisse per supplicia existimaret, jussit Datianus suo eos conspectui præsentari; et cum cerneret illos hilari vultu atque sincerissimos, in hanc vocem[1] iratus prorupit : *Quid dicis tu, Valeri, qui sub nomine religionis contra decreta principum facis ?* Ad hæc beatus Valerius episcopus cœpit leni voce responsa carnifici dare. Cui levita Vincentius ait : *Noli, pater venerabilis, quasi mente timida submurmurare, sed libera voce exclama, ut conteras rabiem tyranni, qui contra Dei ministerium latrat.*

2. Ad hæc Datianus ira repletus, ait: *Amovete hunc episcopum, et Vincentium rebellem in equuleo suspendite et torquete, ut discat per tormenta principum jussis obtemperare.* Qui suspensus cum diu torqueretur, ait Datianus: *Dic mihi, Vincenti, ubi tuum miserum conspicis corpus ?* At ille subridens, ait: *Hoc est quod semper optavi: paratus est Dei servus omnia pro Salvatoris nomine sustinere.* Tunc iratus Datianus, clamare tortoribus cœpit: *Miserrimi, cur deficiunt manus vestræ, ut non prævaleatis torquentes superare Vincentium ? Adulteros et magos atque parricidas vincere potuistis, ut nihil penitus inter illata supplicia celare potuissent, dum illos durius torquebatis: et nunc solus Vincentius vestra poterit superare tormenta? Et non illum ita potestis discerpere, ut Christum suum negare cogatur ?* Tunc beatus Vincentius denuo subridens, ait : *Christum fateor Dei filium, Patris altissimi unicum ; cum Patre et cum Spiritu Sancto protestor esse Deum ; et negare me cogis, qui ea quæ vera sunt, confiteor ? Plane debes torquere, si mentiar.* Iratus autem præses, jussit eum flagellari, et ardentes ferri laminas supra pectus martyris poni, atque liquefacto plumbo ferventes guttas adjungi ; et super recentes vulnerum plagas adusti salis fragmina spargi præcepit.

3. Post hæc interrogabat Datianus milites quid beatus Christi ageret levita. Renuntiatur illi a militibus quod hilari

[1] *apogr.* in hac voce.

vultu, spiritu fortiori, pertinaci magis professione quam cœperat, Christum Dominum confitetur. Tunc jussit eum præses recludi in carcere tenebroso, et fragmina testæ per totum jactari, ut cum vir sanctus membra dare voluisset quieti, acutissima testæ fragmenta vulneribus infigerentur. Sed dum custodes a somno evigilassent, subito lux refulsit in carcere, et mollia stramenta illic apparuerunt, in quibus[1] levita Domini superjacens, psalmum Domino canit, et hymnum lætus exultat. Et territi custodes timebant, ne Christi minister Vincentius de carcere effugisset. Quibus beatus Vincentius exclamans dixit: *Nolite timere, sed potius, si valetis, appropinquate, et cœlestem lucem oculis haurite, et Datiano iniquissimo renuntiate qua fruar luce.* Quo Datianus audito, ingemuit, et ait: *Quid amplius faciemus? Jam victi sumus. Reportetur ad lectulum, et stramentis mollioribus reponatur. Si inter tormenta defecerit*[2], *plus eum facimus gloriosum.* Et cum ad lectulum fuisset reportatus, continuo Deo reddidit spiritum.

4. Quod cum renuntiatum fuisset Datiano, jussit corpus ipsius in apertum projici campum, ut ejus cadaver canes aut bestiæ consumerent. Tum corvus juxta cadaver sedit, qui venientes abigebat aves, simul et lupo venienti audacter irruit, eumque pulsum longius fugavit. Et hoc Datianus audiens, non ferens tanti nominis gloriam, jussit nautis ut eum longius a littore in mare projicerent. Qui jussa sui principis adimplentes, in alta pelagi vada lapide corpori alligato merserunt; sed Domini manu gubernatum[3] continuo defertur ad littus. Quod dum repertum fuisset, anus quædam, Ionice nomine, eum cum omni honorificentia tradidit sepulturæ. Dum turba fidelium hoc audisset, ex sepulcro sanctum ejus corpus rapuerunt, et ad ecclesiam cum gaudio reportantes, summa cum veneratione sepulturæ tradiderunt. Passus est beatus Vincentius levita in civitate Valentina die undecimo Kal. Febru. sub Datiano præside, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

[1] *apogr.* in qua. — [2] *apogr.* deficeret. — [3] *apogr.* governatum.

II. PASSIO S. VINCENTII

EX CODD. VATIC. 1196 ET 5696.

1. (Vacat in apographis nostris, nam nullus hic est prologus. Servamus autem numeros assignatos a Bollando Passioni a se editæ T. II Januarii.)

2. Beatus Vincentius extitit patre Euticio progenitus, qui fuit Agesi [1] nobilissimi consulis filius : mater vero ejus Enola ex Osca urbe noscitur procreata. Qui a pueritia studiis litterarum traditus, superna providente clementia, quæ sibi eum prævidebat vas electionis futurum, gemina scientia, sub beato Valerio Cæsareæ Augustæ civitatis episcopo efficacissime claruit; a quo etiam sanctitate insignis diaconii apicem [2] suscepit. Et quoniam idem episcopus impeditioris linguæ fuisse dignoscitur, tradito [3] doctrinæ ministerio venerabili Vincentio, ipse orationi et divinæ contemplationi sedulus insistebat. At vero memoratus archidiaconus vices sæpe dicti pontificis diligenter et opportune exequebatur.

3. Cum igitur apud Cæsaream Augustanam civitatem, ut multorum sinceritas et signata veritatis verba testantur, Datiano cuidam præsidi gentili et sacrilego sæviendi in christianos rabies aspirasset, et a dominorum imperatorumque suorum jussu potestatem in christianos se accepisse gauderet : cum antequam mordere posset, velut canem eum latrantem perpessa fuisset Ecclesia : contigit [...] episcopum gloriosissimum [4] virum Valerium cum sancto Vincentio, quem gradus diaconii sublimabat et perseverantia boni Deo carissimum fecit, ejus furori priores occurrisse, beatiores se in ipsa futuros confessione credentes, si statim pretiosam coronam virtutum suarum meritis festina devotione rapuissent.

4. Quos considerans Datianus in fide Christi fundatissimos atque constantes, a vexatione itineris incepit fatigare, atque ab urbe memorata ab civitatem Valentiam post se [...] trahi a suo præcepit officio : ita ut cum summa pœna carceris famis inopiam, stridorem catenarum, [...] manibus, collo et cervicibus ferri pondera sustinentes, per omnes artus mortalis corporis supplicia paterentur. At ubi

[1] Ad variantes lectiones indicandas, apographum nostrum ex codice Vaticano 1196 signabimus n. 1 ; apographum 5696, n. 2. — Agressi 2. — [2] diaconatum 2 *loco* d. a. — [3] *sic* 2. traditus 1. — [4] *sic* 2. *om.* 1.

defecisse eos pœnarum injuriis credidit, [...] timens ne eorum prævenius occasu[1] sævitiæ suæ damna pateretur, produci eos jussit de carcere, quos putabat nec spiritu jam nec corpore posse prævalere; mori tamen eos ante tormenta nolebat. At ubi ejus sunt impiis oculis præsentati, respiciens eos, vehementer expavit, quod et corpore essent incolumes et mente constantes, et iratus custodibus dicebat: *Quid istis,* inquit, *indulgendo pastum et potum largiorem propinastis?* Et mirabatur furore[2] cæcus, robustiores esse quos Deus paverat: irascens[3] se vinci posse ab his quos fortes esse et mente et corpore attendebat.

5. Interea jam confusus in animo, fingit audaciam : et quasi ad timidos vox ejus inflata sic incipit : *Quid agis, inquit, tu, Valeri,* qui *sub nomine religionis contra principes facis?* [.....] Hæc autem dicebat episcopo, credens quod ceteros facile superaret, si eum qui caput esset Ecclesiæ, superasset. Sed Deus fecit eum a minore, hoc est a diacono superari : ut adverteret quid facturus aut dicturus esset ille qui in capite sacerdotii erat, cum etiam levita ejus, qui haberet minoris officii ministeria, superasset.

6. Igitur cum quasi fortiorem se esse æstimat, judiciaria præditus potestate, et quasi exsuperare posset episcopum de Domino Jesu Christo quæ sunt credenda et docenda loquentem[4], fervens spiritu prorupit in hanc vocem[5] beatus Vincentius, et ait : *Quid sub murmure verborum mansuete superbum alloqueris? Exclama potius, et increpa istum infidelem christicola*[6], *ut contrita rabies quæ*[7] *contra Dominum suum*[8] *latrat, ipsa vocis auctoritate frangatur.*

7. Tunc Datianus injuriatum se dum sævit, ingemuit, et ad officium cum furore ait : *Amovete* [. .] *episcopum Valerium* [...], *et hunc Vincentium* [...] *applicate* [...], *qui rebellis animo prius in contumeliam publicam venit* [...]. Cumque esset[9] in ejus conspectu applicitus, ait: *Admovete*[10] *eum ad equuleum, membris distendite, et toto corpore dissipate* [...]. At ubi levatus est et extensus, ait ad eum Datianus : [..] *Vincenti, ubi istud* [..] *miserabile corpus tuum conspicis?* At ille : *Ex hoc,* ait, *in sublimibus ago : et istos principes tuos in hujus*

[1] casu 2. — [2] *ita* 2. furor 1. — [3] *ambo addunt* quod. — [4] de D. J. C. quæ sunt cred. loq. 1. de D. J. C. quæ sunt cred. et doc. *sine* loq. 2. — [5] in hac voce 2. — [6] *om.* 2. — [7] rabie, qui 2. — [8] s. Dom. 2. — [9] *om.* 2. — [10] amovete 2.

seculi potestate fidentes, altior despicio. Datianus dixit: *Nullum erit tormentorum genus, quod tuum*[1] *prætereat corpus.* Beatus Vincentius dixit : *Hoc est quod semper optavi* [...]. *Nemo mihi amabilior, nemo mihi familiarior te est. Tu solus maxime ad mea vota concordas* [....]. Tunc adhiberi ei ungulas præcepit[2] et flammas. Quod cum fieret, putabat eum sibi verba humilia responsurum. Cui vir Dei Vincentius dixit : *Hæc est gloria nominis christiani : uberiorem præstas mihi gloriam, cum exquisita acerbiora tormenta tecum fuerint superata. Paratus sum ego servus Christi ad omnia; ut, dum devotionem meam punis in corpore, acerbius ipse puniaris in mente.*

8. Clamare Datianus cœpit, et in tortores et in carnifices suos ipso furore flagrare, virgis similiter et fustibus milites suos cædere, et in ipsos amplius desævire. Dum adversus Christi servum devotissimum sævit, suos cœpit ministros diabolus cædere et laniare, et eos qui in sua erant [...] ditione vexare. Tunc beatus Vincentius ait : *Quid*[3] *est, Datiane? Si consideras Dei virtutem, ecce jam*[4] *de apparitoribus tuis vindicor : nam quod pœnam meam æstimas esse, vindicta est.* Ad hæc martyris verba summa voce Datianus cœpit infremere, et ore rabido cum stridore dentium[5] anhelare : ut ostenderet perfidiam quæ Christi martyrem lacerabat, se potius quam Dei famulum lacerare. Fessi denique cessere carnifices, et fatigata torquentium manus, dum per latera pendet, victa defecit. Expalluit in torquentibus vultus [...], sudoris rivulis liquescentia membra tabuerunt. Anhelum fessis pectus extabuit : ut probarent seipsos potius inter sancti martyris tormenta torqueri.

9. Ipsius quoque Datiani facies nimio pallore turbata et, quasi amens effectus, confusis oculis cœpit esse dejecta. Clamabat denique ministris suis, dicens : [...] *Non agnosco manus vestras. Homicidas semper superastis; parricidarum et magorum silentia alta rupistis ; arcana ipsa adulterorum vobis incumbentibus patefacta sunt : et quisquis mori*[6] *confessus*[7] *timebat, in mortis* [...] *confessionem*[8] *perductus est* [...]. *O milites principum heroum, quod in contumeliam principum dicitur, non possumus cogere ut vel pro nostro solo pudore taceatur* [...]. Et conversus ad beatum Vincentium, dixit : *Nega te christianum esse, et nega Christum Deum esse, et liber abscede.*

[1] non *add.* 1. *om.* 2. — [2] pr. ung. 2. — [3] Quod 2. — [4] *om.* 2. — [5] dent. strid. 2. — [6] mortem 2. - [7] *om.* 2. — [8] in mortis confessione 2.

10. Tunc hilari vultu et læto corde martyr Dei Vincentius dixit : [...] *Christum Deum et Dominum meum esse in omni loco confiteor, et tu me negare posse æstimas*[1], *cum ego quæ sunt vera, confiteor ? Tormenta mentientibus adhibentur : unde apparet te etiam contra leges tuorum principum agere; illi enim negantes torqueri constituunt : christianum me esse confiteor : tu a me quæris audire quod non sum. Unde magis ego verum dicens a te torqueor, qui mendacium elaboras*[2] *audire.*

11. Jubet Datianus subinde novos et recentiores ei mutare carnifices ; nec sola latera ejus contentus exscindere, sed dorsum ejus et pectus jussit et ventrem ungulis lacerare. At ubi cœpit profluus[3] venarum cruor secreta viscerum patefacere, et vox sana et hilaris insanissimo judici insultare, crudelitatem suam Datianus ad consilium revocat, et quia videbat non remansisse membrum quod laniaret in corpore, ad animum se putat[4] accedere. Denique victum se, et ejus dolens superatum esse tormentis, ait ad eum Datianus : *Miserere tui, Vincenti, ne florem perdas nunc primum vernantis ætatis; et in primis annis positus, ne vitam minuas longiorem. Parce suppliciis tuis, et vel sero*[5] *quæ parata sunt tibi tormenta lucrare.* Cui constanter beatus Vincentius ait : *O fraudulentissime persuasionis assertor, quid in me non audeas qui ipsum Dominum meum attentare conatus es ? Ecce video vota tua, cerno cruenta consilia. Misericordiam illi quærant, qui misericordiam denegant Christi ; et iram tuam illi timeant, qui iram divinam non metuunt. Istud quod tu misereri confingis, non est pietas sed egestas. Sed magis in furore quo inchoaveras, cresce* [...]. *Nihil de cogitatis a te suppliciis subtrahas, ut dum nihil videris remanere quod*[6] *facias, in omnibus te victum et superatum agnoscas.*

12. Tunc Datianus, furoris sui stimulatus spiritu, jubet eum ad legitimam quæstionem aptari, atque ad suos carnifices ait : *Quæcumque latronibus, parricidis et convictis solent adhiberi tormenta, contra istum audacissimum*[7] *agitentur. Et quousque ejus anima exeat, ejus omnia membra deficiant. Ne existimetis victum esse dum vivit.* Ad hæc beatus Vincentius vultu hilaris et animo sincerus ex omni parte intrepidus, dixit : [...] *Istæ minæ*

[1] existimas 2. — [2] elabores 2. — [3] profluens. — [4] putabat 2. — [5] sere 1. sera 2. — [6] quid 2. — [7] contumacissimum 2.

tuæ laudes [...] *meæ sunt; et terror asperior, cumulatior gloria. Cum te irasci æstimas, tunc incipis misereri.* At ubi est depositus de equuleo beatus Vincentius, ultro pergit ad supplicia parata flammarum : et candentis ferri laminas circa se paratas quasi aquas[1] ex fonte fluentes cœpit attendere. Nihil timoris in aspectu, nihil in verbis trepidationis ostendens, stabat[2] firmus in fide, et tormenta omnia veluti blandimenta suscipiens, Christum in se esse, vinci non posse omnium aspectibus ostendebat. Torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur [....]. Vulnera vulneribus imprimuntur et super tormenta desæviunt. Sales ignibus crepantibus[3] sparsi minutius per membra dissiliunt : et jam non ad membra sed ad ipsa interna viscera suppliciorum tormenta perveniunt [....].

13. Inter hæc Datianus quid ageret vel quid diceret, a suis militibus inquirebat. Cui illi dicunt universa jam exercuisse supplicia, quæ Vincentius hilaris vultu, spiritu fortior, pertinacius quam cœperat, despicit : et amplius Jesum Christum Deum[4] suum esse, quam inchoaverat, confitetur. Ait Datianus : *Heu me, vincimur*[5]. *Cujus pertinacia si vinci non poterit, vel hoc*[6] *erit remedii : ut quamdiu spiritus*[7] *est in ipso, semper duret in pœna.* Tunc fecit eum claudi in tenebroso loco [...], in quo testas[8] acutissimas fecit aspergi, ut ex omni parte male incisa fractura quamcumque tetigisset partem corporis, perforaret ; et gyrans membra ad requiem, ictibus se iterum repetitis excuteret [...]. Prius tamen fecit eum ad arborem fortiter tendi : ut[9], dum circumplexa cacumina ramorum ipsum remissa distendunt, patefactis mediis panderetur[10]. Post hæc[11] clausum reliquit in tenebris, ne vel oculis spectaret ad lucem. Nec ullus ibi relictus est, ne consortio alicujus hominis juvaretur, imperans custodibus ut eum sibi in tormentis mortuum nuntiarent.

14. Igitur cum prima quies fessos custodum artus somno incumbente laxasset, hoc quod Datianus in pœna gravissimæ mortis intulerat, commutatur in gloriam. Carceris illius nox atra et horrida novam lucem accepit. Flagrant cerei ultra solitum fulgore radiantes [...]. Ipse stramentis mollioribus jam refectus, psalmos Domino canit, et hymnos lætus exultans [.....] modula concinit suavitate [.....] : ita ut cuncta

[1] *om.* 2. — [2] *ita* 2. ostensabat 1 *loco* o. s. — [3] sp. crep. 2. — [4] Dominum 2. — [5] per *add.* 2. — [6] vestri *addunt ambo.* — [7] spes 2. — [8] testes 2. — [9] *ambo* ut. — [10] *ita* 2. pandetur 1. — [11] hoc 2.

vicinia quæ in ejus suppliciis mæsta pendebat, a dulcedine sonitus mulceret auditum.

15. Denique trepidi subito expavere custodes, et evasisse per fugam quem servandum susceperant, palluerunt [......]. *Nolite,* inquit, *timere,* exclamans Vincentius martyr : *laudes meas ipse non fugio. Properanter*[1], *si potestis, irrumpite*[2], *et solatia martyris angelico obsequio ministrata oculis haurite securi. Ubi reliqueratis tenebras, videte lucem, et quem suspiriis gemescentem, pœnam fugisse credebatis, in laudes Dei veri*[3] *exultantem gaudete. Laxa sunt vincula, creverunt vires, et omne corpus mollioris stramenti fomenta refecerunt. Miramini potius, qui timetis, et plenis pia voce præconiis asserite confessorem Dei semper esse victorem. Quin imo nuntiate Datiano qua perfruar luce. Commentetur adhuc si quid potest, diabolus. Quanto enim majores excogitaverit inferre corpori*[4] *pœnas, tanto meliorem animæ excitat*[5] *gloriam. Nam cum tulisset mihi humanam lucem, lux mihi divina apparuit : et hominum mihi consolatione*[6] *sublata, consolatio mihi data est angelorum.*

16. Nuntiantur a custodibus et facta et dicta Datiano. Quæ audiens Datianus exsanguis effectus est ac pallidus, et ipse sibi[7] male conscius in se cœpit sentire supplicia quæ in Dei famulum sæviebant. Et quia veritas ex ore fallentium[8] ideo[9] egreditur ut auctorem puniat falsitatis,[10] tandem vox vera etsi invita[11] simplicitate prorupit : *Et quid,* ait, *amplius faciemus, qui fuimus*[12] *in omnibus quæcumque fecimus, victi? Transferatur ad lectulum, stramentis mollioribus fulciatur. Nolo eum gloriosiorem facere, si inter tormenta defecerit* [....]. Fertur ad lectulum gaudentium manibus et lætantium humeris, qui corpus ejus omne lamberent. Cum honore portatur : nec non etiam eorum qui in ipsius fuerant crassati suppliciis, obsequiis utitur bajulorum. Probatus Dei famulus etiam inimicorum meruit servitutem. Statim ut est in lectulo positus, orans perrexit ad Dominum, perfectam secum martyrii bajulans palmam. Quem ideo[13] continuo Christus accepit, ne diceret Datianus sua eum miseratione servatum[14] [....].

17. Nuntiato igitur ejus excessu, confusus ac superatus,

[1] properate 2. — [2] *ita* 2. insurgite 1. — [3] vivi 2. — [4] inf. corp. 2. *om.* 1. — [5] excitavit 2. — [6] consolatio est 2. — [7] *om.* 2. — [8] fallentis 2. — [9] *om.* 2. — [10] et *add.* 2. — [11] *ambo* invicta. — [12] sumus 2. — [13] vero 2. — [14] salvatum 2.

ait Datianus : *Si non potui superare viventem, persequar vel defunctum. Non est spiritus qui repugnet : tamen in exsangues artus corporis destituti novis suppliciis debacchabor, et de pœna jam mortui satiabor, de quo mihi non potuit provenire victoria. Projicite eum*, inquit, *in apertum campum, ut nullo corpus ejus tectum obstaculo a feris canibus et avibus consumetur*[1] *: ut, quod solum inferre possum mortuo, non habeat sepulturam.* Expositum corpus ad supplicia [..] non aliqua manus humana servat, quæ forte corrupta crederetur, non ipsa pia miseratio christiana, quæ sibi martyrem provenisse in commune gaudebat. Nec ullus prorsus accedere permissus est prope. Sed cui nullum hominis excubat officium, angelica præerat et divina custodia. Corvus denique in conspectu residens, pro ipsa genuini[2] coloris nigredine velut funereum habitum gerens, et lugentem se et custodem pariter ostendebat. Sed ut ostenderetur non sine angelis a corvo exhiberi custodia, venientem lupum ad corpus a cervice intrepidus corripuit, et feritas impetu[3] corvi imminentis expavit. Nulla fera, nulla avis accedere potuit, ubi corvum divino judicio custodem aspexit. In martyre prophetica renovatur antiquitas : et avis quæ Heliæ missos cœlesti jussu portaverat cibos, nunc beato Vincentio martyri jussa præministrabat obsequia.

18. Territus hoc nuntio Datianus, ait : *Istum ego vincere nec mortuum possum; et perversitate*[4] *sævitiæ meæ gloriosiorem illum, dum acrius persequor, feci. Sed et*[5] *si consumere hunc terra non potuit, pelagi eum profunda suscipiant, ne erubescamus sub oculis omnium etiam a mortuo nos Vincentio superatos. Victoriam ejus vel maria celabunt. Insutus*[6] *in fiscina, ut condecet parricidam, atque in coangusto perone cum gravissimo lapidum pondere corpus lacerum constipetur. At ubi spatia maris nautæ longiora processerint, piscibus jactetur in pastum : ut si feræ eum terrenæ fastidiunt, vel belluæ eum marinæ consumant.* Quid agis, sævissime Datiane ? Fecisti etiam martyrem nostrum in alio elemento esse gloriosum. Cervicetenus obstrictum corpus aptatur in fiscina, et quasi qui possit fugere, hinc inde lapidum ponderibus coarctatur [.....]. Incitantur nautæ remigiis : et ita alta pelagi sunt lacertoso certamine, ut fuerat præceptum, ingressi, ut oculis[7] eorum essent montes absconditi.

[1] *sic* 1, 2. — [2] genuina 2. — [3] impetum 2. — [4] perversitatem 2. — [5] *om.* 2. — — [6] insitus 1, 2. — [7] oculi 1, 2.

Igitur cum omne littus jam aspectibus esset occultum, metuentes ne in alteram provinciam raperentur, medio maris immerserunt. Et redeuntes ad Datianum hilares cum Eumorfio sacrilego, funereas victorias nautico sibi plausu cantabant, nuntiantes Datiano subtractum oculis omnium esse Vincentium [...].

19. Sed velocius gubernante Dei manu eosdem martyris prævenerat corpus; et quod adhuc arbitrabantur in profundum demergi, jam ad portum venerat, ante in littore honorem debitum repetens sepulturæ quam inter fluctus[1] nuntiaretur expositum [.....].

20. Nam quemdam virum cujus fidem, credo, martyr didicerat, in visione alloquitur, indicans se in quo jaceret[2] littoris loco. Qui dum trepidus et lætior venit[3], quædam sancta vidua, quæ ætate et sanctitate pollebat, ab ipso sancto Vincentio vera signa accepit, ubi corpus reportatum a fluctibus moles arenæ tumulaverat. Demonstrat ergo illa sancta anus, et evidentius sibi manifestata[4] indicat signa [....]. Inveniturque beati Vincentii corpusculum ab his quos voluerat sanctis, et sanctis manibus honeste satis est traditum sepulturæ. Ubicumque autem in nomine ejus est instructa basilica, ac si ipse locus sit ubi corpus ejus est[5] positum, ita virtutum exuberant beneficia, ut in beati Vincentii fide benedicamus per totas Hispanias nomen Domini Jesu Christi, qui semper regnat cum Patre et Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

III. TRANSLATIO S. VINCENTII.

PROLOGUS SUBSCRIPTÆ RELATIONIS.

Principia subscriptæ relationis beati Vincentii, invicti martyris, sumpta sunt [de] Passione; sequentia vero de regum Francorum qui Merovingi dicti sunt, excerpta sunt historia; reliqua autem quæ de beati martyris scribuntur translatione et secunda tumulatione, ex ore viri venerabilis et tam religione

[1] int. fl. *om.* 1. — [2] *sic* 2. jacere 1. — [3] *sic* 1, 2; *legendum forsan* hæsitat. — *ita* 2. manifesta 1. — [5] *om.* 2.

divina quam carnis prosapia reverendi Fernandi, audivimus, qui tunc in eadem morabatur patria, et ejusdem episcopii in quod [1] beatus martyr translatus est, archidiaconus fuerat.

RELATIO DE TRANSLATIONE SANCTI MARTYRIS VINCENTII.

1. Cum beatus Vincentius, invictus martyr, sub Datiano, Hispaniarum præside, diversa tormentorum genera, per inhabitantem in se Spiritum Sanctum corde et animo robustus, corporaliter etiam superasset, et ad pristina corpus lacerum repararetur supplicia, quod nullus tyrannorum in anterioribus gestis fecisse legitur, jussu tyranni in lectulo molliori deponitur. Sed Deus omnipotens in suo martyre suam ostendit omnipotentiam; nam tyranni excogitatam malitiam convertit in invicti martyris laudem et gloriam: nam de lectulo Datiani assumitur, et in amœno cœli paradiso collocatur. At præses insanus, qui vivum vincere non potuit, mortuum se posse vincere insanus æstimavit. Projectum enim martyris corpus lupis et canibus, novo miraculo et inaudito a corvis protegitur. Deinceps malitia præsidis ei sepulturam abnegat, et in alto mari jubet submergi, ut marinis belluis fieret esca. Sed altissimus provisor qui eum in terra a lupis custodivit et avibus, ipse servavit eum a marinis piscibus. Cum igitur corpus sanctissimum multa transnatasset maria, tandem angelico ductu delatum est in portum [2] urbis Valentiæ, in qua passus fuerat. Ibi juxta littus maris a christicolis corpus sanctissimum sepulturæ traditur, et super eum parva basilica construitur; non enim illo in tempore magnam poterant ædificare, paganorum persecutione prohibente. In hac basilica per octingentos annos corpus sacrosanctum requievit, usque ad tempora Adephonsi regis Portugalensis.

2. Cæsaraugusta civitas, quæ tempore quo beatus passus est Vincentius, paganis erat subjecta, anno Domini quingentesimo tertio a Clotario, rege Francorum, et ejus fratre Childeberto est obsessa, in qua beatus Vincentius archidiaconus fuerat.

[1] *apogr.* qua. — [2] *apogr.* portu. *Exceptis verbis* in civitatem *nn.* 9 *et* 11, *ponit ubique casum ablativum pro accusativo cum verbis movendi.*

Quam cum Franci viriliter expugnarent, habitatores civitatis tædio et timore nimio affecti, dalmaticam ejusdem martyris, quam apud se habebant, assumpserunt et, super murum urbis obsessæ ascendentes, regibus ostenderunt. Reges vero ubi tunicam beatissimi martyris viderunt, proni in terram adoraverunt, et eam assumentes obsidionem solvunt, et in Franciam feliciter reversi sunt. Qui extra muros urbis Parisiacæ ecclesiam satis honestam in honore beatissimi martyris Vincentii construentes, ibidem tunicam prædicti martyris pro magna dote et magnis reliquiis deposuerunt. Ibidem præfatus rex Childebertus et Olhogoda, regina ejus, tumulati quiescunt: nam Clotharius Suessins in ecclesia quam sancto Medardo ædificaverat, patrono suo, quiescit. Ecclesia autem prædicta a beato Germano episcopo dedicata est; in qua idem confessor sanctus usque hodie corpore quiescit, in qua multa miracula meritis sanctorum Vincentii et Germani Christus facit. Prædicta civitas Hispaniæ, nobilissima Valentia, temporibus Wisigotharum et Suevorum regum longo tempore a christianis est possessa. Sed peccatis exigentibus christianorum, Saraceni qui in Africa habitabant, mare transeuntes Hispaniam suæ ditioni subegerunt. Partem vero Hispaniæ occidentalem christiani usque hodie possident, non suo merito, sed sancti Jacobi, qui eam sui corporis illustravit, ut credimus, patrocinio. Valentia autem cum basilica in qua sanctus Vincentius quievit, in sortem Saracenorum venit. Sic nulla reverentia Christi martyri exhibebatur, quia nullus ibi christianus inveniebatur.

3. Tandem post multa temporum interstitia, temporibus Alexandri papæ tertii, circa annum incarnationis Dominicæ millesimum centesimum sexagesimum, regnante in occidentali Hispania Aldephonso, rege Portugalensi, cui nomen regium prædictus papa concessit, nam antea lingua vulgari Valles Portugalensis vocabatur, Deus omnipotens thesaurum suum manifestavit. Est civitas quædam in Lusitania, nomine Olisepona: quam rustici lingua vulgari Lyxibonam [vocant][1]. Hanc civitatem cum Saraceni longo tempore possedissent, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo in christianorum

[1] *supplet. ex conject.*

ditionem restituta est hoc modo. Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto, cum Conrandus, imperator Romanorum, et Ludovicus junior, rex Francorum, exercitus suos per Hungariam, Trasciam et Græciam contra Sangum, principem Damasci, patrem Noradini, qui civitatem Edissam Mesopotamiæ inclytam noctu nativitatis Dominicæ ceperat, et omnes christianos interfecerat, perduxissent, Morini, quos Flamingos vocamus, naves præparantes congruas, omnia in eis trans mare profecturi posuerunt necessaria : cumque omnia tanto itineri apta præparassent, mense Martio littora Flandriæ linquentes, mari Britannico se committunt. Qui prospero cursu navigantes, ad Hispanias veniunt, et per mare Adriaticum euntes in Lusitaniam, in circuitu civitatis Oliseponæ anchoras sistunt. Civitas autem prædicta Saracenis plena [erat][1]. Christiani qui navibus consistebant et armis ad civitatem expugnandam sufficienter abundabant, accepto inter se salubri consilio, visum est illis non ultra contra Saracenos Syriæ progrediendum, cum illi in Hispania sibi essent in offendiculum. Tandem post multos et longos assultus cum magno labore auxiliante gratia divina, civitas capitur, Saraceni interficiuntur, venumdantur et expelluntur ; et civitas tota mundatur, corpus in civitate constituitur, ecclesiæ componuntur et clerus ordinatur. Igitur cum rex Adephonsus a relatoribus audisset quod beatus Vincentius in jam dicta basilica juxta Valentiam sepultus quiesceret, cum gaudio magno equitatu illuc perrexit, quæsivit et non invenit, quia nondum venerat tempus inveniendi.

4. Quidam autem presbyter in civitate sæpe fata, parochiam quamdam tenebat, rebus pauper sed meritis dives. Erat enim justus, incedens in omnibus mandatis Domini sine querela. Et cum simplicem et puram frequenter faceret orationem, quadam nocte in visione capitis sui vidit virum assistentem sibi, et dicentem : *Surge velox, et vade. Præpara tibi iter marinum, et quære martyrem Vincentium : in basilica enim quiescit juxta urbem Valentiam, secus maris portum. Cumque eum inveneris, in hanc civitatem deportabis, et erit huic civitati gaudium et exultatio, et multi in adventu ejus gaudebunt.* Cumque prædi-

[1] *supp. ex conj.*

ctus presbyter evigilasset a somno, ait: *Domine Deus, si est hæc visio abs te, præsta mihi auxilium gratiæ tuæ, et perfice gressus meos in præceptis tuis, et mitte mecum angelum tuum sanctum, ut possim in inventione sancti tui testis laudare et glorificare nomen tuum*. Accingitur igitur venerabilis presbyter, et causam sibi injunctam impigre peragit; et constanter navem præparat, et utensilia navigio apta componit in ea. Cumque interrogaretur ab intuentibus quid cogitaret, vel ubi navigare vellet, ille sapiens secretum divulgare injussus nolens, nec margaritam ante porcos projicere suam, dicebat sibi ligna ad ædificandam domum deesse, et illa se velle comparare. Assumpto igitur secum diacono suo et uno tantum pueruIo, naviculæ etiam remiges, Dei gubernatus auxilio, marino se committit periculo.

5. Quumque ab urbe recessissent et multa maris spatia volucri cursu transvolassent, necesse fuit eis velum navis erigere; sed funis qui ad hoc necessarius erat, inventus est deesse. Consternati ergo ex hoc nautæ et valde contristati, quia nec villa nec civitas aderat, ubi posset inveniri, consilium super hoc flagitant presbyteri. Quibus presbyter ait : *Fratres, in Domino confidite, quia timentibus Deum nihil deest, nec his qui diligunt eum in veritate*. Tunc presbyter surgens et in Domino confidens, caput suum levavit et super aquas inclinavit : et in fundo ejusdem aquæ funem illis aptum prospexit; quem nautis ostendens, eumdem de aquis trahere jussit. At illi Dominum laudantes, funem de aqua extrahunt, et sex cubitis longiorem quam in velo suspendendo necesse fuerat, inveniunt. Quod videns presbyter ait nautis : *Quod necesse est in velo suspendendo, de fune præscindite; reliquam autem ejus partem nobis forte necessariam reservate*.

6. Tunc cursu prospero navigant nautæ, et post multa maris spatia tandem perveniunt ad portum urbis Valentiæ. Timentes Saracenorum incursionem, antequam littori appropinquarent, expectaverunt diei terminum et noctis initium. Accendentes autem ignem de navicula, prior cum suo diacono et pueruIo exiit, et nautis ibidem relictis. Tunc lumine sub palliis occultato, procedit presbyter ad basilicam cum pueruIo et suo diacono. Diaconum pro foribus basilicæ subsistere præ-

cepit: ipse cum puero interius intravit. At venerabilis presbyter, qui ex quo revelationem martyris requirendi acceperat, jejuniis et orationibus convenienter fuit intentus et maximo periculo ab hostibus mentis et corporis liberatus, ut bonum quod bene cœperat, melius perficeret et optime consummaret, in oratione genua flectit, et puerum post se stare præcepit. Brevis pro tempore fuit oratio, quia timore Saracenorum non potuit diutius in eodem loco orare vel subsistere; sed antequam orationem consummaret, qui post eum stabat clamavit puer : *Domine, domine, ecce vir quidam multum pulcher hic stat juxta me.*

7. Presbyter autem ut hæc a puero audivit, caput, quod ad orationem usque ad terram inclinaverat, sursum erexit, et post respiciens, nullum præter puerum vidit. Tunc presbyter puero dixit : *Fili, accipe tres lapides, et pone in loco ubi steterunt illius viri pedes.* Puer autem obediens ejus præcepto, posuit lapides in loco. Diaconus autem qui pro foribus excubabat, ex præcepto domini sui ad nautas qui naviculam custodiebant, perrexit : et eis assumptis cum ferramentis fossoriis et ad macheriam perforandam aptis, quæ secum attulerant, ad basilicam rediit ad opus inceptum. Omnes præter puerum se accingunt, et in locum ubi vir steterat et puer lapides posuerat, terram effodiunt; sed thesaurum desideratum minime inveniunt. Fossa autem quam fecerant, fundamentum nudaverat : in cujus profunditate vident lapidem album, speciem habentem sarcofagi, inter ceteros lapides paulisper eminere. Mox venerabilis presbyter fide plenus, et de thesauro jam sibi per visionem ostenso inveniendo securus, arrepto ferramento lapidem viriliter percutiens, in frusta confractum dejecit ex latere uno. Qui intro circumspiciens, sarcofagum ligneum invenit. Quumque manus tam ipse quam socii ejus injecissent, ut eum de suo loco promoverent, tantus odor et inæstimabilis de eo ascendit, ut vix sustinere possent, quasi in extasim rapti. Tandem, resumptis viribus, Deo gratias agentes et de præsentia martyris per odorem mirificum sibi demonstratum minime dubitantes, partem funis quem de aqua tulerant, assumunt et sarcofago circumligantes, in vecto ligneo ponunt.

8. Tunc reverendus presbyter et ejus diaconus eo assumpto in humeris, cum summa festinatione pergunt ad littus maris

Erat adhuc nox. Puto martyrem ejusmodi gestatoribus delectatum, qui, cum diaconus, vices sacerdotis diligenter est executus. Inter civitatem Valentiam et littus marinum, in arena erant a Saracenis fossæ factæ, valde profundæ et horrendæ: cumque gestatores sacri corporis in tenebris corporalibus, quia nox erat, incederent, diaconus qui præcedebat, in unam earum subito cecidit. Mira res! diaconus qui mortuus portabatur, vivo cadente, non cecidit; sed presbytero ex una parte gestante, virtus divina ex altera parte ne caderet, sustinuit. At presbyter casum diaconi nec vidit nec sensit: *Cur*, inquit, *non pergis? Quare stas immobilis? Perge, quia non est nobis utile hic diu subsistere.* Tunc diaconus de profundo clamans fossæ: *Quomodo*, inquit, *possum incedere, qui in profundo hujus sum demersus foveæ?* Audiens hoc presbyter, ultra quam dici potest, admiratus et contristatus: *Quis*, inquit, *es, Vincenti? Non credo hoc esse tuum corpus quod portabamus ego et meus diaconus. Si autem tuum est corpus, ut quid cecidit gestator tuus? Numquid eris victus in translatione, qui fuisti victor in passione? Ergo in tua delatione aliquas vices habebit diabolus, in cujus passione nullas habuit Datianus? Si est veraciter hoc corpus tuum, redde mihi diaconum meum.* Cum hæc pietate plena depromeret verba, diaconus virtute et meritis beati martyris momentanee sublevatus de fovea: *Quid*, inquit, *tardas? Veni, eamus.* Tunc Deum et sanctum martyrem collaudantes, ad portum venerunt, et sanctum corpus in navicula decenter composuerunt, et cum velocitate, ne a civibus sequerentur, a littore redeunt.

9. Illa hora qua sanctum corpus recessit a littore, custodes qui vigilias noctis in civitate Lixibona observabant, divina inspiratione omnes simul clamare cœperunt: *Sanctus Vincentius venit.* Statim ut aurora apparuit, corvi qui eum a lupis et canibus custodierunt, super navem volitare cœperunt. Aliquando volitabant; postea super corpus sanctum sedentes, gaudio crocitabant. Si vero aliquis requirat de corvis istis, si fuerunt hi qui corpus ejusdem martyris in campum projectum, ne a canibus et lupis contingeretur, protexerunt, me nescire profiteor; quamvis in archivo nostri monasterii scriptum sit in quodam miraculo de beato Vincentio eos adhuc vivere et adventum in quodam cœnobio prævolitando nuntiare. Quibusdam

hoc mirum videtur miraculum, quamvis illi qui de animalium naturis scribunt, vitam corvi asserant septem millium annorum longiorem. Prædicti corvi corpus sacrum non deseruerunt, quousque cum illo in civitatem fecerunt introitum.

10. Quum autem clara dies illuxisset, post sequentem qua beatum tulerant Vincentium noctem, pueri civitatis Lixibonæ per omnes civitatis plateas clamabant, dicentes: *Sanctus Vincentius venit, sanctus Vincentius venit.* Cumque interrogarentur quare hujusmodi clamorem emitterent, nullam rationem reddebant, sed iterum magnis vocibus clamabant: *Sanctus Vincentius venit, sanctus Vincentius venit.* Hoc quotidie faciebant. Episcopus autem et sapientes civitatis in admirationem versi, inquirebant inter se quid hæ puerorum voces significarent. In se autem reversus episcopus, præcepit inquirere si aliquis presbyterorum vel magnatorum in civitate videretur deesse. Facta igitur diligenti inquisitione, prædictus venerabilis presbyter visus est abesse. Episcopus autem et omne civitatis consilium ejus expectaverunt adventum. Tandem felici navigatione completa, salvi et integro numero cum sanctissimi martyris reliquiis et suis corvis ingressi sunt clam de nocte in civitatem. Statim ut dies facta est, iterum pueri magna voce cœperunt clamare, dicentes: *Sanctus Vincentius venit, sanctus Vincentius venit.* Priorem enim clamorem fecerant de adventu futuro, hunc autem ultimum de adventu jam facto.

11. Presbyter autem corpus sacrum in domum suam tulit, et quadam arca honorifice deposuit. Corvi autem super domum cœperunt gaudentes volitare. Episcopus autem et cives ex voce puerorum intelligentes sanctum Vincentium intra civitatem venisse, mandant presbyterum, quem audierant rediisse de itinere. Inquisitus ab episcopo et civibus ut quid et ad quid marinum iter tam periculosum, tam longum cum paucis arripuisset, et si de corpore sacratissimo beati martyris aliquid sciret (nam pueri civitatis multo tempore eum venire prophetaverant, et jam in civitatem venisse voce clara nuntiabant), perpendens presbyter illud Salomonis: *Sapientia occulta et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* recogitans etiam puerorum oraculum, confessus est et non negavit: confessus est se beatum attulisse Vincentium. Narrat etiam quam prædiximus, de sancti

inventione historiam. Fit gaudium in civitate et exultatio. Præparatur tumulus lapideus tanti martyris susceptione dignus.

12. Episcopus cum clero et totius civitatis populo cum ineffabili lætitia ad domum sancti procedit, corpusque beati martyris de arca presbyteri levatur, et in majorem ecclesiam cum multorum lacrymis deducitur. Ibi retro altare martyr in tumulo lapideo reponitur, et, ne aliqua inde fraus vel furtum successuris temporibus posset fieri, vinculis ferreis et sigillis circummunitur : quæ munimenta ferrea ne aliquam intuentibus generarent molestiam et sancto martyri hanc ligaturam judicarent indignam, devotione et instantia Adephonsi et filiæ ejus Mathildis reginæ prædicta ferrea ligatura argento, auro et lapidibus pretiosis opere anaglypho[1] est cooperta et adornata. Cum igitur sancti martyris reliquiæ de domo presbyteri in majorem ecclesiam universali totius civitatis processione cum ineffabili gaudio tumulandus deferretur, corvi nihilominus super eum gaudentes volitabant, et cum in ecclesiam induceretur, super tectum ecclesiæ usque dum in tumulo clauderetur, resederunt.

13. Presbyter autem venerabilis quem Deus hujusmodi translationis ministrum ordinaverat, quique injunctum sibi requirendi martyris negotium impigre et constanter executus fuerat, a civibus magnifice diligebatur et honorabatur; ab episcopo vero et clero in eadem ecclesia ubi sanctum martyrem reposuerunt, est promotus canonicus, et custos sacri corporis constitutus. Civitas Lixibona cum tota provincia tanto thesauro dotata gaudet et exultat, laudans regem regum et Dominum dominantium, qui talem eis contulit sua gratuita gratia patronum, orantem pro eis ipsum Deum et Dominum regnantem in secula seculorum. Amen.

14. Facta est hæc beati Vincentii martyris translatio a civitate Valentia in Lixibonam, transactis a passione ejus octingentis et eo amplius annis, Romanæ Ecclesiæ præsidente Alexandro papa tertio, in provincia regnante rege Adephonso, Romanorum vero imperium procurante Federico illustri, apud Francos autem principante piissimo rege Ludovico octavo, ipsos et nos semper regente Domino nostro Jesu Christo.

[1] *apogr.* anaglifo.

S. DOMINICI SORANI

ABBATIS

VITA ET MIRACULA

A COÆVIS CONSCRIPTA

ET NUNC PRIMUM EDITA.

1. In iisdem schedis majorum nostrorum supplementa ad diem 22 januarii continentibus, unde mox exhibuimus duplicem Vitam S. Vincentii ejusdemque translationem, reperimus terna Acta S. Dominici Sorani abbatis, anno 1031 demortui, eaque, ut videtur, editis tum copia rerum tum auctoritate non paulo præstantiora.

2. Horum prima, satis rudi stylo conscripta et præterea librariorum sive inscitia sive oscitantia admodum corrupta, debemus Joanni, S. Dominici discipulo et assiduo comiti : quod non solum ex eorum inscriptione, sed et ipsius scriptoris diserto testimonio (1) comprobatur. Aliquanto brevius quam Vita edita (2) enarrant quæ egit sanctus priusquam Joannem sibi adscivisset comitem, at longe fusius miracula ejus et prædicationes postea secuta : unde rursus confirmatur genuina inscriptio. Ea autem in eum finem concinnata fuisse ut in anniversaria sancti commemoratione legerentur, indicat exordium. — Apographum nostrum in capite notatur exscriptum esse ex collectaneis manuscriptis *Octavii* (immo Constantini) *Cajetani* (3), tunc in monasterio Benedictino S. Gregorii Romæ repositis, quæque adhucdum asservantur in Urbis bibliotheca Alexandrina (4). Ejusdem multiplicia menda in editione nostra corrigere conati sumus, ita tamen ut ea ipsa in adjectis notis legentium oculis appareant.

3. Alteri vero lucubrationi, *e ms. Vallicellano tom. V* excerptæ, *Miracula S. Dominici* titulum facit nostrum exemplar. Et re quidem vera nihil aliud refert præter miracula a sancto vel in ejus gratiam patrata, tum ante mortem (5), tum in ipsa morte (6), tum post mortem illius (7). Hunc

(1) Num. ult. — (2) De qua mox dicemus paulo inferius (num. 5). — (3) De quo videsis Armellini, *Bibliotheca Benedictino-Casinensis*, Part. I (Assisii 1731), p. 123, 136. — (4) Vid. *Catalogus codicum mss. præter orientales qui in bibliotheca Alexandrina Romæ adservantur*, auctore Henr. Narducci (Romæ 1877), cod. 91, n. 48 (pag. 25). — (5) Num. 1-12 : ubi præcipue notanda sunt ea quibus ultio divina exercetur in sacerdotes concubinarios eorumque uxores inviso castitatis prædicatori insultantes (num. 5-12). — (6) Num. 13. — (7) Num. 14-37.

autem libellum et ipsum ab aliquo beati viri coætaneo exaratum fuisse, haud ægre ostendere licet. Imprimis enim non semel significat scriptor se illa narrare quæ comperit *per idoneos testes* (1), quin immo et per eos qui miraculi beneficio gavisi et adhuc superstites erant (2). Porro in serie miraculorum, quam secundum ordinem temporum digestam facile judicabis, occurrunt nonnulla, et quidem inter ultima, quæ brevi post medium seculum XI contigisse, citata virorum nomina vel facta aliunde nota perpicue demonstrant (3).

4. Tertia denique Acta, quæ jam certum nobis est ex citatis Constantini Cajetani collectaneis item excerpta fuisse (4), ab utrisque modo indicatis manifeste derivata sunt. Eadem scilicet omnino narrant,—et prius quidem quæ in prima Vita, deinde quæ in opusculo de miraculis leguntur, servato in utraque parte eodem narrationis ordine et identidem etiam iisdem verbis, — sed fere compendiosius et prætermissis miraculis ante mortem in secundo libello commemoratis (5), præter unum (6). Itaque ea typis vulgare supervacaneum duximus, sed ex iis quasdam excerpsimus quasi lectiones variantes quibus subinde apographorum nostrorum principalium textus emendari queat (7).

5. Jam compendium istud præluxisse putem Alberico diacono Casinensi, a quo conscripta fertur Vita a Bollando (8) ex codice quodam Casinensi (9) et deinde rursus ex eodem codice et altero item Casinensi (10) a Mabillonio (11) edita : et quidem ab utroque attributa Alberico *Cardinali*, nulla tamen, credo, alia auctoritate quam Bucelini et Ciacconii, quum nulla hujus dignitatis mentio fiat apud scriptores coævos Leonem Ostiensem (12) et Petrum Casinensem (13), ubi Albericum ex professo laudant et ejus operum catalogum texunt, neque etiam ullus Cardinalis hujus nominis occurrat in documentis illius temporis (14) ante annum 1100. Hujus Vitæ scriptor exorditur his verbis: « Venerabilis Patris Dominici » ortum, vitam obitumque, et de miraculis quædam, quæ per eum, vel » auris adhuc fruentem vitalibus, vel carnis jam eductum ergastulis, » cælestis est operata dignatio, lacinioso impolitoque nimis quidam ser-

(1) Num 13 extr., num. 24 in. — (2) Num. 22 extr., num. 26 extr., num. 36 extr. — (3) Vid. notas appositas ad num. 30 et seqq. — (4) Catalogi bibl. Alexandrinæ cit. supra, cod. 91, n. 50. Legitur scilicet et ad calcem apographi nostri nota illa : « Transcripta », etc. — (5) Num. 1-11. — (6) Num. 12. Sed, quod notandum est, illud refert statim post narratum sancti obitum. — (7) Eas lectiones distinximus apposito numero 2, apographum principale ubique notantes numero 1. — (8) Ad diem 22 Januarii. — (9) Num. 101. *Bibliotheca Casinensis*, tom. II (1875), p. 417. — (10) Nunc 141. Ibid., tom. III (1877), p. 265. — (11) *Act. SS. O. S. B.*, sec. VI, Part. I (Edit. Paris), p. 356. — (12) *Chron. Casin.*, lib. III, c. 35. — (13) *De viris illustr. Casin.*, c. 21 (ap. Muratori, *Script. Rer. Ital.*, tom. VI, p. 37). — (14) Cit. apud Jaffé, *Regest. RR. PP.* et Watterich, *Vit. RR. PP.*, tom. II.

» mone descripserat: et, quod culpa accidisse arbitror relatoris, non» nulla aliter quam sint gesta edisserens, stylo historiam vitiosam men» daciis vitiosiorem reddiderat.» Hæc certe neque ad breve illud elogium referre licet quod in codice quodam Casinensi se legisse testatur Mabillonius et jam recens editum (1) gaudemus, neque ad Vitam a Joanne conscriptam, quæ nihil habet de miraculis sancti invocatione post ejus mortem impetratis, nec tandem ad *Miracula S. Dominici*, ubi nihil legitur de ejus ortu et vita.

6. Reponet forte aliquis libellum de miraculis haberi potuisse loco continuationis Vitæ conscriptæ a Joanne, idque egregie inde confirmari quod scriptor illius libelli circa finem (2), dum inducit nomen Petri Raynerii, *cujus*, ait, *in superioribus fecimus mentionem*, quum tamen nulla Petri Raynerii reperiatur antea mentio nisi in Vita priori (3). Præterea vero omnino incredibile videri Vitam hanc fuisse ignotam Alberico, quippe qui, teste Petro Casinensi coævo (4), interfuerit Synodo Romanæ anni 1079, in qua iterum reprobati sunt errores Berengarii, et qui, ut ipse in Prologo suo profitetur, *reverendos loci* (cœnobii Sorani) *senes, sub disciplina olim educatos Dominici, convenit*; ac paulo inferius : *Pleraque vero*, ait, *Johannes senex grandævus fermeque decrepitus, ore præ vetustate dentibus vacuo ac balbutiens, in auribus meis retexuit : qui in annis adhuc puerilibus Dominico in discipulum traditus, cum eo ad ipsum usque est vitæ exitum conversatus*. Vim utriusque argumenti libens admitto. Nihilominus tamen et Vitam ab Alberico memoratam non eamdem esse cum ea quam conscripsit Joannes, ipsa verba modo citata perspicue demonstrant : neque enim et imperitiæ et mendacii tam aperte insimulasset virum quem tantæ auctoritatis esse prædicat. Et ulterius aperte colligitur hanc priorem Vitam eidem fuisse ignotam : secus enim ea omnino illi commemoranda erat et ratio reddenda cur ipse denuo eam retractare præsumpserit. Concludere itaque prorsus necesse est monachos Soranos, postquam compendii illius ipsis facta est copia, quo in officio S. Dominici celebrando uti consueverunt (unde et in lectiones divisum in codice exhibetur), jam antiquiora et prolixiora documenta, quod vulgo, ut eruditis notum est, fieri solebat, neglexisse et illud solum Alberico Soram venienti et de vita S. Dominici inquirenti obtulisse.

7. Solam narrationem mortis S. Dominici ex illo compendio fere ad verbum desumpsit Albericus, cetera contraxit vel omisit, admodum pauca supplevit. Sed quid tandem in eodem adeo ipsum offendit ut scriptorem mendacem asserere non dubitarit, quum tamen præter miracula nonnulla et quæ de intentatis in S. Dominicum vexationibus a presbyteris concubinariis eorumque complicibus ille refert (quæ certe nullatenus fidem supe-

(1) Ex cod. Casin. 146 in Florilegio ad tom. III *Biblioth. Casin.*, p. 365. — (2) Num. 30. — (3) Numm. 22 et 32. — (4) *De vir. ill. Casin.*, c. 21, cit. supra.

rant), eadem omnino de sancto suo litteris mandaverit? Illud, credo, unum quod de culpa Casinensium monachorum ad S. Dominicum venientium in Actis brevioribus traditur, cujus quidem culpæ, ut facile opinari fas est, apud ipsos Casinenses nulla servabatur memoria. Verum illud ipsum reperit compendiator apud Joannem (num. 21) : is vero, jam senex decrepitus, Alberico de vita S. Dominici interroganti, rem odiosam enarrare oblitus est aut forte data opera, ne eum offenderet, prætermisit.

VITA ET OBITUS B. DOMINICI CONFESSORIS DE SORA PER JOANNEM, IPSIUS DEI VIRI PEREGRINATIONIS INDIVIDUUM COMITEM ET VENERABILEM DISCIPULUM.

Laudandus hodie Dominicus,

1. Celebritatis hujus solemnis festivitas sermonem exigit hodiernum. Pulchritudo quidem ejus de tanti viri miraculis atque virtutibus ad quædam dicenda nos provocat: et de qua provincia, vel de qua civitate, vel etiam de qua tribu originem traxit B. Dominicus. Hetruria namque illius provincia fuit; civitas vero Fulgidium [1] dicitur. Parentes autem ejus Joannes nomine, mater Ampa [2] vocabantur; qui a pueritia, ut sacras litteras disceret, litterarum studio eum tradere omnimode studuerunt. Sed cum jam juvenilis esset ætatis, placens Deo, ut bona arbor bonos educeret fructus, in hymnis et orationibus et jejuniis persistendo, cilicio semper indutus, cœpit pollere virtutibus atque miraculis.

qui a prima ætate perfecte sanctus et thaumaturgus,

2. Talibus igitur splendens morum ornatibus, exiens de patria, progeniem derelinquens, pervenit in locum, qui *Petra dæmonis* est appellatus; ibique [in] [3] monasterio sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ a Dionisio abbate monachalem regulariter est adeptus habitum, quem mirificis artibus [4] adornavit. Et de virtute in virtutem gradatim conscendit, et ad sacerdotii provectus est infulam. Post aliquantulum vero temporis, de exercitio monachali eremiticum requirens laborem, Dei caritate plenus, devenit in locum, qui *Scandrilia* dicitur,

factus monachus Benedictinus

et sacerdos,

[1] civitate Fulginensi ducatus Spoleti 2 *(id est Compendium de quo in Præfatione, quodque signamus n. 2).* — [2] Apa 2. — [3] *verba uncinis inclusa vel ex* Compendio *vel ex conjectura suppleta sunt.* — [4] dotibus 2.

ubi non pauco tempore delapso legem Domini quotidie meditabatur. Cum ergo rumor illius accresceret, suæque vitæ radiis plurimos illustraret, multi fama sanctitatis ejus dulciter invitati cœperunt habitum secularem relinquere, et Dei se famulatui sub ejus magisterio mancipare. Constructo igitur ad honorem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi cœnobio, patrem eis instituit.

degit aliquamdiu solitarius.

Cœnobium instituere cogitur;

3. Ipse vero dilectæ solitudinis appetitor, ad quemdam transmigravit locum, qui proprie *Domus* dicitur, ibique conjuncto sibi quodam Joanne, religioso monacho, sanctæ Trinitatis ecclesiam cœpit ædificare, juxta quam constructis tuguriunculis singulariter in Dei laudibus morabantur. Paucis vero diebus ibidem transactis, ad locum devenit congruum; ubi ecclesiam *Sancti Petri de Lacu* fabricavit. Constitutis ibi postea fratribus, sub priore illos posuit: ipse autem solitudinem requirens, pervenit ad locum qui *Plataneta* [1] ab ipsius terræ habitatoribus nominatur, ibique oratorium construxit, atque ab eo loco numquam discedere volebat [2], nisi cum prædictam congregationem temporibus constitutis revisere procurabat.

sed mox, socio Joanne, repetit solitudinem,

ecclesias tamen passim ædificans,

stabile vero oratorium sibi.

4. Quadam denique nocte cum psalmodiis intentus, omnipotenti Deo supplicaret, nocturnales hymnos præveniendo, columnam cernit immensam, quæ de cœlo descendebat, colore arcus cœlestis similem qui pluviali videtur in tempore: cujus licet cacumen æthera tangere videretur, ima tamen illius pars ad locum usque pervenerat in quo Omnipotentis Dei famulus morabatur. Tunc lætus effectus de tanta cœlite visione, prostratus in faciem, Deo laudes in hunc modum cœpit devotius decantare, dicens: *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus*. Interea cum sol effugatis nocturnalibus tenebris orbi more solito radiasset, vir Dei, convocato Joanne monacho, cujus et superius facta mentio, quid divinitus viderit, cœpit simpliciter [3] enarrare.

Ibi cœlestibus ostentis

5. Alio quoque tempore, dum in cella eremi positus resideret, ac de cœlestibus [4] quiddam attentius cogitaret, subito circumspiciens vidit immensam lucem a superis radiasse mirabilem;

et raptibus recreatur.

[1] Prælateneta 2, *sed perperam*. — [2] decreverunt 2. — [3] suppliciter 1. — [4] Scripturis 2.

huic autem incomparabili, quemadmodum dictum est, luci tres unius qualitatis vidit igneas inesse columnas : supra quarum cacumen positus cum esset in extasi, cœlitus elevatus est super omnem nubium altitudinem, miroque modo nec non valde stupendo cunctum conspexit orbem terrarum, divino lumine circumfusus. Post aliquantulum vero spatii, in semetipsum reversus, partem quamdam ejusdem claritatis per unius momenti spatium in eodem loco, quæ supersedebat [1], intuitus est. Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in sanctitate, faciens prodigia.

Alio constructo cœnobio,

6. Præterea non paucis a Burello majore precibus intervenientibus, in *Sangro* construxit cœnobium, quod ab hominibus illius terræ incolis *S. Petri de Avellana* dicitur, quod ipse Burellus [2] multis ditavit prædiis atque divitiis (1). Post hoc recedens inde, angelo ipsum comitante, pervenit in Campaniam, in locum qui *Trisaltus* [3] dicitur, in radice montis qui *Porche* [4] vocatur, ubi rivus aquarum [5] affluenter oritur, juxta quem quoddam permanet antrum, in quo jejuniis et orationibus, sibi angelo administrante, tribus annis hominibus incognitus mansit.

rursus se abdit.

Detegitur,

7. Sed quia lucerna non potest abscondi sub modio, sed posita super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, cellam pandentes [6] venatores cervum quemdam insequentes : nimirum res mira, nempe illis inaudita, in antrum in quo sanctus latitabat, cum cervo intraverunt, ibique sanctum absconsum invenerunt; sed illico bellua illa ab oculis eorum evanuit. Unde de tanta visione venatores mirati, et beati viri sanctitate cognita, et benedictione illis tradita, repedarunt ad

[1] *sic* 1; *legendum forsan* quo semper sedebat. — [2] quod quidam dives, Benedictinectus nomine 2. — [3] Trisultus 2. — [4] cui Porchæ prænomen est 2. — [5] *ita* 2. aquæ non 1. — [6] *Non una est anacoluthe in hoc scripto.*

(1) Hanc donationem factam esse anno 1025, colligitur ex Chronico Casinensi III, 39; ubi de filio illius Borelli : « Borrellus autem comes Borrelli majoris filius... » monasterium Sancti Petri quod vocatur de Avellana, quod videlicet pater ipsius » beato Dominico *ante quattuor et quadraginta annos* ad construendum tra- » diderat,... beato Benedicto devotissimus optulit » (*Mon. Germ.*, Script. tom. VII, p. 731). Porro diploma alterius istius donationis, quod ex Regesto Petri Casinensis nobis servavit Gattula (*Ad historiam Abbatiæ Casinensis Accessiones*, p. 178), anno 1069 confectum est.

propria, tale miraculum omnibus denuntiantes. Tunc omnis vicinia cœpit ad eum undique concurrere, et salutem animæ quotidie audire et corporis recipere : cæcis namque lumen reddebat, surdis auditum, claudis gressum, omnibusque quacumque detinebantur infirmitate, sanitatem restituebat. **concionatur et omnes sanat infirmos.**

8. Quadam vero die tres fratres et ejus condiscipuli prædictæ congregationis, cui jam triennio nulla mentio de eo facta fuerat, ex mandato ipsius congregationis, gratia visitandi et requirendi ad eum venerunt. Quos cum gaudio ad invicem dantes sibi pacis oscula, benigne recepit, et cibos quos divina gratia sibi ministraverat, caritative insimul comederunt. Quadam denique nocte, dum B. Dominicus se sopori dedisset, angelus Domini apparuit in somnis, dicens ut in loco in quo manebat, prope rivum sub radice montis posito, ad honorem Dei et B. Bartholomæi apostoli monasterium quantocius construeret. **Dum fratres eum invisunt, jubetur divinitus construere monasterium B. Bartholomæi.**

9. Tunc sanctus a somno expergefactus, et tali visione lætus effectus, hanc orationem fudit ad Dominum, dicens : *Domine Deus, pater omnipotens, qui mundum ex nihilo creasti, et Adam protoplastum* [1] *de limo terræ formasti, et ipsum mundum peccato primi hominis perditum pretioso sanguine Filii tui redemisti, et Lazarum mortuum quatriduanum jam fœtentem ad hanc vitam de sepulcro revocasti, tu Deus omnipotens, adjuva me in cunctis operibus hujus cœnobii B. Bartholomæi apostoli peragendis, et benedic omnibus hujus monasterii habitatoribus, defensoribus et coadjutoribus, nostris precibus pro illorum commissis apud tuam clementiam assidue intervenientibus, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.* Dilucescente vero die, sanctus suis manibus pro construenda ecclesia fundamenta jaciens, suis præcepit fratribus et condiscipulis ut ipsum modis quibus poterant, adjuvarent, et ædificata ecclesia ad monasterium cum benedictione et licentia remearent. **Postridie inchoat opus, adjutus a fratribus.**

10. Quodam tempore, cum talia gerebantur, et sanctus ad opus calcariæ nonnullos homines haberet, diabolus, humani generis inimicus, de rupe quæ superreminet ecclesiæ, magnum admovit saxum. Descendens de monte, arbores præcipitando **Saxum a dæmone immissum**

[1] protoplaustrum 1.

hominesque terrendo, prope murum ecclesiæ pervenit; sed a sancto signo crucis facto, absque aliqua læsione muri ita se fixit ac si creatum ibidem fuisset : quod utique penes murum [1] ecclesiæ brachio uno extento usque hodie visibiliter permanet. Construxit namque tria [2] ibidem ipse altaria : primum ad honorem B. Bartholomæi apostoli et omnium apostolorum, alterum ad honorem B. Dei genitricis et virginis Mariæ et omnium sanctorum, tertium vero ad honorem B. Joannis Baptistæ et B. Michaelis archangeli et omnium angelorum.

sistit.

Rursus se abdit.

11. Quibusdam fratribus ad servitium Dei sanctique Bartholomæi die ac nocte perficiendum constitutis, ipse autem monente angelo, ut solitus erat, perrexit in montem qui *Cacumen* vocatur; ubi ad honorem Dei et B. Michaelis archangeli juxta quemdam rivum in pede montis oratorium construxit, quod cuidam religioso et optimo viro, Petro nomine, in custode oratorii idem [3] dereliquit. Rediens inde, circuibat montes et colles et incognita loca silvarum, quo usque pervenit ad flumen qui *Flaternus* vocatur, ibique ad honorem beatæ semperque virginis Mariæ construxit ecclesiam, ubi mansit duobus annis et dimidio. Sed quoniam prædicti fratres S. Bartholomæi cœnobii ejus visitatione suaque dulci admonitione mellifluaque allocutione multo jam tempore transacto caruerant, miserunt nuntios cum litteris dicentibus ut ad suos quos plantaverat nutriendos famulos et filios quantocius rediret. Ipse vero litteris acceptis et relectis, de salute et prosperitate fratrum Deo servientium lætus in Domino effectus, cum gaudio ad monasterium remeavit.

Invisit monasterium S. Bartholomæi,

ibique puerum mutum et claudum sanat.

12. Paucis denique diebus evolutis, quadam die cum in monasterio positus cum ceteris fratribus orationi incubuisset, puer quidam Verulanus, mutus et claudus, in ecclesiam B. Bartholomæi ante ipsius sanctitatis conspectum a parentibus est adductus ; flexisque poplitibus sanctum modis omnibus deprecantur ut eorum filius, suis orationibus apud Deum intervenientibus, sanus redderetur et incolumis. Qui [quum] cum fratribus circa altare in oratione recumbens Deum deprecaretur,

[1] muro 1. — [2] constructa namque tripartitim 1, et in ea tria ædificavit altaria 2. — [3] *sic* 1 ; *pro* (quod-ibique): quod commendans fide dignis personis Collispardensibus et Aletrinensibus, alium quæsivit locum cui *Flaternus* nomen est 2.

intente defixis oculis in cœlum gemens, oravit ut [1] Dei clementia et meritis B. Bartholomæi et omnium sanctorum linguæ loquelam pedumque gressus miserrimo puero restitueret. Qui surgens ab oratione, signo crucis facto supra corpus pueri, manu sua ipsum [2] apprehendens, loquentem et deambulantem incolumem parentibus reddidit.

13. Eodem quoque tempore quædam illustris femina, dum nimio fluxu sanguinis laboraret, et a nullo medicorum sanitatem consequi valeret, aquam de qua manus ejus lotæ fuerant, servientes latenter abstulerunt infirmanti [3] diligentes. Quam cum devotissime quæ gravi detinebatur ægritudine perhausisset, ita sanitati est reddita ut si nihil incommoditatis sustinuisset. Per idem quoque tempus quidam puer, Leo nomine, de oppido quod Castrum vocatur, maximo calore febrili vexabatur. Qui cum ex eadem aqua quam jam diximus, biberet, statim ab ejus corpore febris discessit. [Similem] quoque potentiam miraculi quidam presbyter meruit experiri. Cum enim post missarum solemnia vir Deo plenus suas abluisset manus, idem presbyter, qui gravissimis febrium æstuabat incendiis, eamdem furtivo modo sumens ablutionem, ori suo devotus applicuit. Quam cum penitus ebibisset in Christi nomine, qui virtutum diversis operibus suum locupletaverat famulum, omnis ab eo ægritudo protinus est effugata.

Tres ægri sanantur bibendo aquam qua manus suas abluerat.

14. Talibus ergo ab eo Deo permittente peractis, *Castrenses* videlicet, *Vicani*, *Guarcinates* [4] et *Collepardenses* [5], audientes famam sancti, ejus videntes mirabilia et virtutes quæ quotidie ab eo fiebant, ad B. Dominicum in ecclesia S. Bartholomæi unanimiter venerunt, flexis genibus sanctum omnimode rogantes, ut prædia, montes, silvas pro parentum suarumque animarum redemptione caritative et benigne ab eis reciperet. Collepardenses vero insuper potestatem piscari flumine ecclesiæ concesserunt [6], sicque missarum solemniis a sancto celebratis sacerdotalibus vestimentis ad hoc induto, omnes pariter manus suas in manibus almi Patris Dominici mittentes, firmiter pro-

Accolæ vicini tradunt prædia ecclesiæ B. Bartholomæi,

[1] *pro* (intente-ut) ait clara voce ut 2. — [2] ipse 1. *om.* 2. — [3] infermanti 1. — [4] *om.* 2. — [5] *hoc loco bis* Callepardenses 1; *deinceps* Collep. *Ubique* Collispardenses 2. — [6] *Hujus facultatis mentionem om.* 2.

miserunt, pœna excommunicationis supposita, ut nec ipsi neque illorum heredes de omnibus quæ ecclesiæ tribuerant, contrairent; benedictione autem a sancto impetrata ac percepta, et corporali et spirituali cibo omnibus oblato, unusquisque cum gaudio ad propria repedavit.

quam Romanus pontifex in tutelam suam recipit.

15. Igitur post Castrensium reditum paucis denique[1] diebus evolutis, B. Dominicus ad Joannem, venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificem, humiliter perrexit, devotis ipsum exorans precibus ut ecclesiam S. Bartholomæi quam ipse construxerat, universa bona ecclesiæ quæ tunc habebat et in futura habitura erat, sub cura et protectione sanctæ Romanæ Ecclesiæ reciperet. Quam prædictus pontifex una cum universis fratribus pacem a S. Dominico illatam, [in bonam][2] gratiam et acceptabilem accepit, et sicut sanctus ab eodem petierat, ita ecclesiam et omnia quæ ipsius erant, et de cetero habere poterat, sub cura et protectione sanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetualiter recepit, statuensque ipsam ecclesiam primam omnium ecclesiarum adjacentium castrorum, et ipsi sancto Dominico liberam potestatem ordinari abbatem in ecclesia concessit, si forte sanctus, ut asserebat, in aliam vellet transmigrare locum. Præterea ipsi ecclesiæ visitationem infirmorum et sepulturam liberam habere permisit; et hæc suis litteris et suis scriptis confirmavit, et pœnam excommunicationis omnibus injunxit qui contra donativa et contra privilegia ecclesiæ S. Bartholomæi a Romano pontifice per beatum Dominicum in posterum perpetuo concessa aliquando contrafacere voluerit.

Sacerdotis pravi concubina a Deo punitur.

16. Per idem vero tempus, dum B. Dominicus a domno Joanne, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo et universali pontifice, remearet, Guarcinum pervenit. Ibidem est aspectatus[3]. Altera vero die, clero et populo in ecclesia convocatis et missarum [solemniis] et officio celebratis, cœpit sanctus omnem prædicare et admonere populum et sacerdotes, ut in eo servitio, videlicet in vigiliis, orationibus, jejuniis et eleemosynis vigilanter persisterent, et cœpit corrigere et reprehendere sacerdotes de avaritia, luxuria et omnibus vitiis, et maxime ut ab illicitis se

[1] neque 1. — [2] *supplet. ex* 2. — [3] *sic* 1 *pro* expectatus (?) *ut infra* n. 29; *immo legendum forsan* pernoctatus.

abstinerent conjugiis. Mane autem facto, cum Vicum tenderet, quædam Guarcinas mulier, Potentia nomine, obviavit sibi cum fustibus et lapidibus, ipsum percutiendo, dicens : *Tune es ille Dominicus qui nostra [spernis] connubia, nostrosque sacerdotes prohibes nobiscum connubia copulare?* [1] Vix sermonem compleverat, dextera manus illius miserrimæ cum qua sanctum percusserat, illico arescit sacrilega. Sicque sanctus injuriatus et tumultuatus Vicum pervenit.

17. Altera vero die B. Dominici mandato universus populus, tam viri quam mulieres, in ecclesia S. Angeli convenerunt. Ubi sanctus missarum solemnia decantavit, et populo prædicavit, et admonuit omnes ut Deo semper servirent et in ejus servitio diu noctuque perseverarent : quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ; et benedictione omnibus illata, atque comestione a sancto percepta, Collepardium pervenit. Sed antequam ad castrum veniret, clerus, viri et mulieres ac pueri cum palmis et floribus obviam ei exierunt, laudem Deo decantantes et deferentes, quod talem dominum ac defensorem in patria nostra habere meruerimus. Postquam terris est reddita dies, [2] omnes majores et minores cito citius de lectis suis prosilientes, ad ecclesiam S. Salvatoris cum oblationibus unanimiter venerunt, ut missam et officia et sancti prædicationem suamque mellifluam admonitionem a se populo prolatam, dulciter audirent et auribus cordis attentius accommodarent. Ubi vero sanctus universum populum deprehendit pro animarum salute ad ecclesiam devotius venisse, cœpit humiliter eos prædicare et salutaria semina regni cœlorum latius inserere, monens ut de commissis impietatis scelerum ultrices pœnarum flammas lacrymarum, orationum, jejuniorum et eleemosynarum ubertate extinguerent : quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Tunc omnium prece adhibita, caritative cum ipsis sanctus manducavit et bibit. Sic omnibus valefaciens et benedicens, ad monasterium beati Bartholomæi apostoli remeavit.

Dominicus a populo bene excipitur

in variis locis,

et audientes habet in concione.

18. Paucis diebus transactis, contigit quod sacerdos illius mulieris cujus manus olim exaruerat, Benedictus nomine, dia-

Sacerdotem depravatum a Deo tactum sanat.

[1] *supplet. ex* 2. prohibes ferre 1. — [2] *add.* et 1.

bolica pulsatus suggestione, B. Dominico præsumpsit detrahere, dicens: *Numquid hæc est Dominici sanctitas, quæ omnibus diebus missarum celebrare studet solemnia? Cum igitur mea defuncta fuerit*[1] *mulier, hæc eadem coram humanis oculis studebo peragere, quatenus ab omnibus almificus valeam nuncupari.* Cumque talia nec non quædam similia ridiculosa delatraret, omnipotentis Dei nutu terribili percussus est ultione, ita ut paralysis[2] protinus incurreret ægritudinem. Discant interea detractores mordacem compescere linguam, ne, quod absit! unde salus ei[3] acquiri poterat, lethalis pernicies oriatur. Sacerdos equidem ægritudine detentus, quantocius decurrens, pervenit ad sanctum, pedibusque ejus provolutus, cœpit eum omnimode deprecari, ut sua prece interveniente salutem corporis recipere posset. Fusa vero oratione, et signo crucis super infirmo edito, sanum et incolumem qui læsus fuerat, reddidit.

Liberat feminam a dæmone vexatam

19. Per idem vero tempus malignus[4] spiritus, humano generi semper inimicus diabolus, mulierem quamdam Collepardensem, Mariam nomine, subito invasit ac ita gravissima vexatione atterere cœpit, ut animam a corpore extorqueret. Quæ [quum] cum vicinis et parentibus ad monasterium B. Bartholomæi venisset, et S. Dominicus ecclesiam ingressus clementiam Dei exorasset et per tres horas ante altare orationi incubuisset, ad eam quæ vexabatur, recessit et, signo crucis super ea edito, dixit: *Jesus Christus, Filius Dei vivi, ipse te absolvat ab hac dæmoniaca vexatione.* Illico sathanæ laqueis vincta, quæ pernimium vexata fuerat, præmissa oratione restituit[ur] sanitati.

et duos quos ante juvarat,

20. Rusticus quidam habens unicum filium contractum et mutum, quem B. Dominico devovit, quadam denique die, dum ad B. Dominicum filium suum cum exenio[5] deportaret, instinctu diaboli, qui semper humanæ invidet creaturæ, homo ille cœpit cogitare et dicere: *Ascendam in arborem istam, et quod defero exenium, ibi depono; et si filium meum sanum mihi reddiderit, depositum postea portabo.* Qui de arbore descendens, solum quem portaverat filium, ad sanctum adduxit, rogans omnimode ut quantocius filio suo sanitatem tribueret.

[1] fuit 1. — [2] paralysim 1. — [3] *sic* 1; *forsan pro* eis. — [4] maligni 1. — [5] exemio 1; *deinceps* exenio. *At* enxenio *hic et deinceps* 2.

Sanctus vero, fusa oratione, sanum patri restituit. Cognita eorum fide, injungens patri ut in arborem non ascenderet, et filio, donec domum rediret, nullo modo loqueretur. Qui venientes ad arborem, sancti præceptum minime observantes, filius alloquitur patrem, dicens: *Tolle depositum, et comedamus, quoniam sanus effectus sum;* patrem vero de arbore præcipitantem fractis cruribus, filium contractum et penitus nullam loquelam habentem, invenerunt homines inde transeuntes. Quos de terra levantes, ad B. Dominicum deportaverunt, ipsumque enixe cum lacrymis flagitantes ut illis sanitatem præberet quantocius. Sanctus vero flexis genibus tacitam precem fudit ad Dominum; qui assurgens ab oratione, jussit illis ut sani et incolumes semper laudes Deo decantantes et deferentes, ad propria remearent.

quique fraudarant promissis.

21. Per idem vero tempus, cum talia gererentur, Cassinensis præpositus, audita fama sanctitatis eximii Patris Dominici, duos monachos cum magnis exeniis piscium ad eumdem patrem transmisit. Cumque jam prope monasterium B. Bartholomæi advenissent, et concito gressu illuc tendere festinarent, versutia antiqui hostis, humani generis inimici, furtum de piscibus quos B. Dominico deportabant, molimine calliditatis suæ in illos concitavit, quatuorque de majoribus piscibus in cavernis petrarum absconderunt. Venientes autem ipsos ad monasterium, sanctus ante fores portarum in eorum pergit occursum. Quos humiliter apprehendens, introduxit in ecclesiam, dicens: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia apponentur vobis. Recordamini illud propheticum : Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Tunc deinde sanctus, illis osculatis, manu sua illos conduxit, una cum ipso suisque fratribus refectionem recipientes. Quo in loco biduo ab ipso detenti fuerunt, plenissima spirituali ac corporali fruentes caritate. Tertia vero die indixit illis redire volentibus, ut piscibus quos in cavernis petrarum absconderant, nequaquam appropinquarent : quoniam in serpentes conversi fuerant. Inde illi obstupefacti, misit cum eis duos fratres, baculum suum deferentes. Qui venientes ad locum, sicut sanctus prædixerat, serpentes repererunt. Mox illos cum baculo tangentes, in suam rediere naturam. Quos statim de cavernis tollentes, ad B. Dominicum

Duos monachos Casinenses eum de oblatis fraudantes

mira scientia et signis commonet.

detulerunt. Igitur illi obstupefacti de tanto viso miraculo (nam immensus pavor illos arripuit), ad B. Dominicum concito properant cursu, genibus adhærent sancti, lacrymis pedes rigant, ut pro salute eorum orationem Domino funderet. Unde sanctus nimia pietate permotus, tali oratione præmissa, illis triduano indicto jejunio, blande eos alloquitur, monens ne divina ab eis prætermittantur mandata, replicans illud Salvatoris mandatum : *Nolite possidere aurum et argentum* ; et apostolus inquit: *Victum et vestitum, et eis contenti sitis*. His dictis, in osculo sancto diutius commorati, cum gratiarum actione Cassinum redierunt.

Soranum monasterium condit,

22. Eodem quoque tempore dum B. Dominicus jam satis abundeque ecclesias, monasteria, oratoria construxisset, villas et prædia monasteriorum curam gerendo et disponendo circuiret, pervenit ad locum qui *Petra imperatoris* est appellatus. Ibidem construxit oratorium sanctæ Trinitatis, quod cuidam religioso monacho dereliquit. Nonnullis diebus ibidem peractis, ad S. Petrum de Lacu pervenit. Per idem tempus cum B. Dominicus a cœnobio S. Petri de Lacu ad monasterium S. Bartholomæi visitandorum fratrum gratia tenderet, Petrus Rainerii, Soranus dominus, sibi obviavit, accusans se multis et maximis criminibus fore irretitum. Cui vir sanctus inquit peccata sua quæ plurima in seculari contraxerat conversatione, jejuniis et orationibus ceterisque spiritualibus fructibus [expiaret] [1], et inter ceteros pœnitentiæ fructus illud sibi maxime injunxit, in proprio prædio [monasterium] [2] construeret et tanta rerum liberalitate ditaret, ut certus numerus ibidem Deo servientium affluenter vitæ necessaria habere valeret. Annuit libenter viri Dei jussionibus Petrus, eumque simpliciter [3] obsecrans secum pariter equitare et universam terram inspicere [4], et quemcumque locum sanctus elegerit, cœnobium se pollicetur ædificare. Tunc B. Dominicus ait ad illum : *Observatio nostri Ordinis summam deposcit quietem et securitatem. Quapropter, si nobilitati generositatis tuæ videtur non esse contrarium, primum omnium res quas Deo ejusque famulis tradere pro remedio, ut asseris, animæ tuæ desideras, simul perlustrantes inspicere debemus ;*

[1] *suppl. ex conject.* — [2] *supplet. ex* 2. *om.* 1. — [3] suppliciter (?) 1. — [4] suscipere 1.

inde vero, facto testamento, te tradente nobis coram testibus, recipere eas in nostra convenit donatione. Cui cum assensum suum Petrus præbuisset, assensu sequens post duos dies, inspectis omnibus, aptum atque conspicuum, quem cernitis[1], elegit locum. Tunc clarissimus vir Petrus, scripto juxta consilium B. Dominici testamento, tradidit ei omnia et de sua jure demigravit[2] potestate atque dominio. Congregatis igitur plurimis artificibus et operariis, ad honorem Dei genitricis et virginis Mariæ monasterium construxit. Inde ad cœnobium B. Bartholomæi rediit. Sorano comite sumptus faciente.

23. Per idem vero tempus sanctimoniales inconsulto B. Dominico Petrus Rainerii ibidem constituit, ut die noctuque hymnis et laudibus Deo deservirent. Sed diabolus, totius bonitatis æmulus et veritatis inimicus hostisque salutis humanæ, immisit in eas amorem rerum [temporalium][3], fluxam seculi gloriam, escam variarum delectationum, cogitationum, libidinum et reliqua hujus vitæ blandimenta. Interea dum cæca et fœda fama hujus conversationis aures Dominici perculisset, Petrum ad se accersiri jubet, eumque dure et acriter corripiens, injunxit illi ut, sine dedecore sanctimonialibus expulsis et in alio loco constitutis, fratres sub regulari disciplina Domino jugiter servituros cito citius inveniret ibique ordinaret. Illico Petrus pedibus viri Dei provolutus, commissi[4] veniam postulans, se facturum quidquid jusserat, pollicetur, ipsumque insuper omnibus exorans precibus ut de grege sibi commisso et de ecclesia perpetualiter sibi tradita ut pater et dominus de cetero curam gereret. Et his dictis, dans illis osculum, prosecutus est illos cum tota congregatione usque ad portas monasterii, rursumque illis osculatis, ac benedictione super illos tradita, redierunt Soram. Non patitur ibi manere moniales

24. Eodem quoque tempore, dum fama tanti patris circumquaque loca posita cœlitus perlustraret, duo quidam cæci, suo- Duobus cæcis oculorum usum impetrat,

[1] quem sicut cernitis 1. — [2] denegavit 1. — [3] (rerum-interea) *locus corr. et suppl. ex* 2 — [4] commissam 1.

(1) De hac donatione Leo Ostiensis in Chronico Casinensi II, 32: « Per idem tempus, ait, (videlicet abbate Casinensi *Atenulfo, qui sedit annis undecim,* ab *anno* 1014) Rainerius, gastaldeus Soranæ civitatis, obtulit beato Benedicto de rebus hæreditatis suæ in finibus Arpini, locum qui vocatur Collis de insula, cum omnibus adjacentiis ac pertinentiis ejusdem loci » (*Mon. Germ.*, Script. tom. VII, p. 649).

rum consanguineorum manibus attractati, ad cœnobii B. Bartholomæi venerunt. B. Dominicum cœperunt exorare et dicere: *Succurre, quæsumus, sancte Dominice, nostræ miserabili cæcitati, quatenus propriis amissis tenebris, lumen cœli possimus aspicere et Deum omnipotentem valeamus devotius collaudare.* Tunc sanctus ait: *Jesus Christus, Filius Dei vivi, aperiat oculos cordium vestrorum, ut videntes ejus mirabilia, Filium Dei esse firmiter credatis;* et signo crucis super oculos cæcorum edito, qui olim cæci fuerant, statim a B. Dominico sunt illuminati.

sacerdoti loquelam,

25. Per idem vero tempus quidam presbyter Arpinas, Martinus nomine, tanta corporis incommoditate fuerat impeditus, ut amissis infeliciter oris officiis, omnimodis elinguis efficeretur; nec medicorum valebant remedia ei subvenire. Qui passionem suam loquendo minime poterat indicare. Qui audiens B. Dominicum tantis miraculis ac virtutibus fore insignitum, suis affinibus signo quo poterat, inducit ut ad tantum medicum vehere festinarent. Quem cum celeri gressu ad sanctum detulissent, signum crucis super ægrum erigens, continuo meruit perfrui quam cupierat sanitate.

claudo gressum.

26. [Contigit] eodem quoque tempore ut claudus quidam, ejusmodi comperto miraculo, mira devotione veniret ad B. Dominicum, cunctosque cum sancto manentes monachos humillima prece deposceret ut apud eumdem patrem cui familiariter deserviebant, ejus dignarentur intercessores existere. Qui cum sancto omnes se in oratione dederunt, et precibus præmissis ad Deum, recepto vigore infirmus velociter surgit incolumis, et qui suis non venerat pedibus, propriis remeat gressibus.

Concionem habet qua hortatur ad fraternam caritatem,

27. Per idem vero tempus B. Dominicus ad ecclesiam sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ de *Cannavinnano* perrexit, ibique post missarum solemnia clerum et populum Guarcinatem, Vicanum, Collepardensem et aliam multitudinem viciniarum circummanentium sic alloquitur: *Fratres et filii, hæc mando vobis ut diligatis invicem. Unde Dominus in Evangelio ait: In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Dilectionis ostensio operis est exhibitio. Dilectio siquidem est certum signum quo boni discernentur a malis, filii Dei a filiis diaboli. Nam quicquid boni*

habetur sine dilectione, nihil prodest. Unde apostolus ait : Si tradidero omnes facultates meas pauperibus, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem et dilectionem non habeam, nihil mihi prodest. Si autem habueritis caritatem, implestis legem, quia plenitudo legis est caritas. Ut ergo habeatis caritatem et fraternum amorem, invidiam a vobis repellatis ; nam ubi invidia est, fraternus amor ibi esse non potest. Quod apparet et in duobus filiis Adæ, Cain videlicet et Abel. Cain namque cum invidiam haberet erga fratrem, ejus sanguinem fudit[1]. *Vos ergo vestros diligatis fratres. Et qui non diligit, manet in morte. Unde B. Joannes ait : Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.*

28. *Et his verbis Dominus noster Jesus Christus nos docet qualiter bonas arbores et malas cognoscere debeamus : nam omnis arbor de fructu suo cognoscitur. Cognovimus ergo Cain malam arborem fuisse, quoniam fratrem suum interfecit. Bonæ autem arbores sunt fideles, qui in vinea Dei, scilicet Ecclesia, plantati, cognoscuntur de suis fructibus, hoc est bonis operibus. Tales arbores fuerunt apostoli, quorum fructus commendantur a Domino, cum dicitur : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum vestrum afferatis et fructus vester maneat. Arborem quoque fici plantavit quidam in vinea sua, cumque per tres annos in ea fructum quæsiisset et non invenisset, præcepit cultori vineæ ut eam succideret. Caveat ergo unusquisque vestrum, dilectissimi, ne* [*similem*] *audiat sententiam ; caveat ne succidatur de vinea Dei.* **ad bona opera**

29. *Per hos siquidem annos jam aspectavit*[2] *plantatam : et Creator noster expectavit in adolescentia, expectavit in juventute, expectavit in senectute, denuo expectavit nos mala cogitantes, expectavit mala operantes, expectavit jam longo tempore in malo perseverantes. Quid amplius quærimus ? Quid amplius expectamus ? Quid amplius tardamus ? Sane finiti sunt anni nostri, finita est mensura vitæ nostræ. Novissima hora est. Tamen si hodie convertimur, quamvis indigni veniam promerebimur. Peccator enim quacumque hora conversus fuerit ad* **et tempestivam pœnitentiam**

[1] fundit 1. — [2] *sic* 1. *Cfr. supra, n.* 16.

Dominum, vita vivet, et non morietur; justus vero quacumque die a justitia declinaverit et se ad iniquitatem [1] *converterit,* [*in*] *iniquitate sua quam operatus fuerit, morietur. A fructibus igitur cognoscetis eos. Ac si diceret: Habete intelligentiam, ut fructus, hoc est opera, malorum considerantes, separetis vos ab eis, ne in æternum supplicium cum eis involvamini.*

quaque vaticinatur

30. *Laboretis itaque, dilectissimi fratres, ut sitis bonæ arbores; nitamini mittere de vobis bonos fructus, scilicet opera Dei placabilia, ut sunt sacrificia, jejunia, orationes et eleemosynæ, et his similia; et hoc faciatis non ad favorem populi nec ad laudem humanam, sed, ut in Evangelio dicitur, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, et sic illo cælesti gaudio, illa cælesti beatitudine poteritis perfrui. Præterea ex parte Dei et B. Bartholomæi apostoli, cujus ego sum famulus, rogo et præcipio ut ecclesiam ipsius quæ suo nomine est ædificata et tradita, omnimode diligatis, timeatis, nec in aliquo ullo modo illam offendatis, quoniam preces quas assidue Filio Dei, Jesu Christo Domino nostro, pro illo bestiali et pessimo genere quod homines vestræ terræ interficiebat fudi* [2]*, ne amplius occideret, meritis et intercessionibus B. Bartholomæi apostoli sunt exauditæ. Et ecclesiæ sanctæ Dei genitricis et virginis Mariæ, quæ mihi commissa et legali jure a Petro Rainerii Sorano est tradita, me curam gerere de cetero oportet* [3].

de cessatione mali grassantis.

Liberatâ muliere energumena,

31. Interea dum B. Dominicus universam populi multitudinem circumstantem pariter alloqueretur, quædam mulier ex Hetruriæ partibus, infestissimo dæmone vexata, ad B. Dominici præsentiam a parentibus flexis genibus est allata. Cumque per tres continuas horas orationi incubuisset, ad eam quæ vexabatur et seipsam [4] dentibus lacerabat, accessit et signum crucis super ipsam faciens dixit: *Unigenitus Dei Filius, Dominus noster, ipse te ad pristinam dignetur reducere sanitatem.* Quæ a pedibus sancti ita sana exsurgens ac si nihil incommodi [5] pertulisset. Tunc omnis illa turba circumstans, tali comperto et perpetrato miraculo, laudem Domino decantavit, qui tale miraculum per suum operatus est famulum. His ita-

[1] *corr. juxta sensum ex* Ezech. XVIII, 21, 24 *pro* ab iniquitate 1. — [2] fudidi 1. — [3] de cetero portat 1. — [4] se invicem 1. — [5] incolumi 1.

redit ad cœnobium S. Bartholomæi.

que peractis, B. Dominicus non immemor benedictionum quas hominibus assidue[1] solitus erat impendere, vexillum crucis super universam illius populi multitudinem faciens, devotius illam benedixit. Benedictione omnibus tradita atque porrecta, cuncti quantocius remearunt ad propria. Ipse autem sanctus ad B. Bartholomæi cœnobium suis propriis gressibus repedavit.

Inde ad ecclesiam Soranam,

32. Per idem quoque tempus Petrus Rainerii, de quo supra mentionem fecimus, cum clericis et militibus ad B. Bartholomæi cœnobium perrexit. Quo in loco biduo ab ipsius monasterii fratribus detentus est. Igitur B. Bartholomæi cœnobio sub priore a sancto constituto, cunctisque valedicens fratribus, sicut ei per Spiritum sanctum revelatum fuerat, ad ecclesiam Dei genitricis et virginis Mariæ, quam ipse in cura et regimine susceperat, cum Petro profectus est. Quam cum gratia orationis ingressus fuisset, cæcus quidam pro foribus ejusdem cœnobii sedens, ab intrantibus et egredientibus comperit B. Dominicum illuc advenisse. Ejus fama sanctitatis jam ubique sonuerat. Cumque oratione completa, ostium ecclesiæ egressus fuisset, cæcus in terra toto corpore prostratus, B. Dominicum intentius[2] deprecabatur ut lumen oculorum sibi conferre quantocius dignaretur. Sanctus igitur Dominicus hoc audito, cœloque aliquantisper[3] intendens, et super cæcum signum nostræ redemptionis edens, ait : *Dominus et Salvator noster, qui est vera lux, ipse te illuminet :* illicoque ab oculis ejus sanguis effluxit et visum continuo recepit.

ubi cæco visum restituit,

et innumera patrat miracula,

33. Interea cœpit signis clarescere et virtutum miraculis adornari. Nam et dæmones verbo fugabat, ægros oratione curabat, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum restituebat, et alia quamplura, quod longum est enarrare per singula. Beatus autem Dominicus omnia monasteria et oratoria supradicta quadraginta quatuor annis et dimidio construxit et ordinavit. Postea vero in B. Bartholomæi cœnobio continuis quindecim mansit annis. Sane in cœnobio Dei genitricis et virginis Mariæ, quod in Sorano prædio positum est, viginti annis et dimidio.

per viginti annos,

[1] *add.* intente 1. — [2] attentius 1. — [3] aliquantisque 1.

ibique, fratribus adstantibus,

34. Quodam denique die, dum B. Dominicus Tusculanum pro ecclesiæ negotiis proficisceretur, contigit ibidem infirmari. Quem Joannes, supradictus monachus, qui semper ei comes itineris erat, conspiciens, virum Dei ut ad monasterium quantocius rediret, hortatur. Acquievit cohortanti Dominicus, et ad monasterium quantocius est regressus. Illico universos advocari præcepit fratres, eosque primo de observatione propositi et caritatis vinculo commonens, demum sibi omnia quæ circa morientes fratres assolent fieri, jubet protinus exhiberi. Consummato itaque officio, cum Dominici corporis et sanguinis mysteria percepisset, cunctisque fratribus ibidem astantibus, feliciter migravit ad Dominum.

sancte moritur.

Sepelitur ibidem et miraculis claret.

35. Ego Joannes qui quotidianus discipulus et [comes] illius eram et peccator, de virtutibus et miraculis illius, quæ multa et magna sæpe sæpius meis oculis vidi, ad memoriam pauca hæc reduxi et manu mea conscripsi. Obiit autem octogenarius B. Dominicus XI Kal. Feb. anno ab incarnatione Domini 1101 (1). Humatumque est corpus sanctum ejus in eadem basilica quæ nunc suo nomine vocatur vocabulo, sita in Campania, in vicinia Soranæ civitatis, ubi ejus orationibus multa Christus operatur mirabilia usque in hodiernum diem, ad laudem et gloriam nominis illius qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Ego D. Joannes Ineus presbyter cathedralis Anagniensis ecclesiæ scribebam festo Pentecostes die 25 *maii* 1597.

S. DOMINICI SORANI ORDINIS S. BENEDICTI MIRACULA.

S. Dominicus vivens servo fugitivo tutum perfugium præbet.

1. Benedictus quidam nomine, cognomento Crassus, servus Siginulphi Credendei, de loco cui *Domui* proprium vocabulum, proprii domini atrocium minarum terrore perculsus, ad Dominicum confugium fecerat, ejusque liberalitate diebus aliquot perfruitus fuerat; cum ecce eo suum dominum venturum au-

(1) Ita in apographo nostro, sed perperam. Mortuus enim est S. Dominicus, ut habetur ex aliis Vitis et ex Leone Ostiensi, *Chron. Casin.* II, 59 (*Mon. Germ.*, Script. tom. VII, p. 668), anno 1031. — *Ponit item* 1031 *expresse* 2.

diens, fugam parat, veniensque ad quoddam quasi quinque a Sora distans passuum millibus monasterium, cui S. Jacobi vocabulum est, monastico ibi indutus est habitu, paucisque intermissis diebus precibus ab eo facile impetravit ut sub ejus magisterio dominatoris omnium ei liceret obsequiis inhærere. Cum non post multum temporis notificatur domino famulum fugitivum penes Dominicum sub monachico habitu commorari. Advenit dominus servumque vi extraxit de cœnobio, non credens neque cedens Dominico commonenti ne videlicet juris proprii servum a servitio communis omnium Domini moliretur abstrahere. Sed qui pro salute interiore servi sui exaudire precantem Dominicum renuit, languore valido inter redeundum correptus, ad Dominicum pro salute exteriori propria redire compellitur precaturus. Cui vir Dei ea temporis hora sospitatis reditum repromisit, qua ipse servum ad Dei a cujus [1] eum abstraxerat famulatu, faceret remeare. Quod cum ipse facere non differret, nec ei a Domino, juxta sui famuli sponsionem, reditus dilatatus est sanitatis.

Matronæ prolem masculam impetrat.

2. Matrona quædam, Imela nomine, uxor Odonis, unius de optimatibus Romanorum, cum feminei prolem sexus exuberanti fecunditate ederet, partus masculus ei quadam in occultiore [2] ratione prorsus fuerat denegatus. Hæc igitur ad sanctum virum personas delegans idoneas, humili ab eo cœpit flagitatione deposcere ut pro concessione sibi prolis masculæ Dei studeret exorare clementiam. Quod cum vir Dei, devictus tandem precibus, facere curavisset, eodem anno materfamilias quod expetierat, meruit adipisci.

Strumosam puellam sanat.

3. Die quadam vir Dei matronæ cujusdam ingenuæ, conjugis Marci cujusdam, Brelim nomine, habitaculum rogatus invisit. In quo cum large verbi Dei semina diffudisset, consummato sermone, mulier vestigiis servi Dei obvolvitur, instans et obsecrans ut gutturi filiæ ulceris quod vulgus scrofulam nuncupat, fœditate deformi crucis signum Dominicæ non dedignaretur imprimere, confitens [3] sese credulam post impositionem ejus dexteræ in prolis gutture locum ultra ulcus [4] habere non posse, abstersaque pestis illius protinus fœditate, mundifica-

[1] quibus l. — [2] *sic* l. — [3] confidens l. — [4] ejus l.

tam [1] pellem pristinam omnino formositatem resumpturam ac speciem. Importunis feminæ precibus superatus Dominicus, super guttur puerculæ nomen invocans Trinitatis, ligni speciem Dominici edidit. Eadem [hora] [2] evanescente ulcere, loco ejus caro nitida carnique similis reliquæ oculis astantium universorum apparuit.

Duos claudos precibus erigit, quorum alteri mutum os aperit; et duo ægri sanantur potu aquæ qua vel manus abluerat vel cui benedixerat.

4. Eodem tempore claudus quidam, parentum evectus manibus, ad Dei hominem est adductus. Cum quo sanctæ Dei genitricis ingressus ecclesiam, non prius ab oratione qua Deum prostratus in faciem precabatur, cessavit, quam sese in propriis claudus gressibus, nullo fulciente, erexit. Per idem tempus presbyter quidam ex Campaniæ partibus, febris æstuantis vexatione laborans, aquam quæ de manibus viri Dei sese post missarum mox solemnia abluentis defluxerat, clanculo sublatam, in potum sumpsit : totaque protinus febrium valetudo sospitatis reditu terrefacta decessit. Tempestate eadem Berolensis cujusdam civis, Simeonis nomine, mutus claudusque puer ad sanctum hominem est delatus. Cujus cum linguam pedesque, crucis eis signum imprimens inclamato Trinitatis nomine, tetigisset, gradiendi pedibus et loquendi linguæ divinitus hora eadem est collata potentia. Nec illud est silentio contegendum quod illustris quædam mulier, dum fluxu sanguinis laborans diutius a medicorum nemine posset consequi sospitatem, virum tandem Dei directis studuit precibus flagitare ut aquam qua ejus sordes manuum purificatæ fuissent, ad eam dignaretur dirigere, contestans inhæsitanter se credere quod ea hausta plenam deberet consequi sospitatem. Quod vir humillimus ut scelus execrabile est aspernatus : porro aquam de more Ecclesiæ benedictione sacerdotali sanctificans, ad feminam destinavit, delegans verbum pariter, quod cum ea secundum fidem propriam divina esset operatura dignatio. Hausit fide inambigua aquam mulier, eademque fuit hora et potationis aquæ et fluxus sanguinis cessationis.

Presbyter Dominico maledicens

5. Non defuere inter ista Dominico æmuli, non defuere qui et absentem carperent et præsentem verbis mendacibus lacera-

[1] mundificantem 1. — [2] *uncinis inclusa verba vel ex* 2 *vel ex conjectura suppleta sunt.*

rent. Sed non defuere e contra in hujusmodi homines repentinæ divinitus frequenter ultiones illatæ, quæ universis quanti Dominicum faceret divina dignatio, solis clarius lampade demonstrarent. Presbyter enim quidam dum exhortationem sancti viri de castimonia ad presbyteros, qui ea tempestate fere omnes laicorum more palam miscebantur conjugibus, ipso etiam detestaretur auditu, non hoc sibi facinus ducebat sufficiens, nisi sancti insuper conversationem et vitam verbis maledicis laniaret, asserens quod, nisi vestis eum pudor prohiberet monasticæ, qui [1] verbis contrahi prohibebat conjugia, actionis exemplo prolem contrahendam doceret, scribam simul eum et pharisæum proclamans, agentem omnia simulatorie, omnia cum hypocrisi; ovina pelle lupi contegi feritatem; vita eum moribus et doctrina hujusmodi augendis lucris et cumulandis quæstibus inhiare. Stupendum pariter et tremebundum allaturus [2] sum signum. Ita presbyter post Dominicum verba carpentia humano sensu, humana est ratione desertus, ut ab ea die non corporis effigies reliqua proderet hominem : universis actionibus eum bestiam æstimares. Quod factum quantum oblocutoribus Dominici incusserit metum, quantumque veneratoribus ejus reverentiæ auxerit ac devotionis affectum, ipsa rei magnitudine ita liquidum est ut verbis non indigeat explicari. Porro diebus aliquot evolutis, a consanguineis et amicis presbyter ad Dominicum est adductus, prece eum supplici rogantibus ut indulto crimine sensus ei rationisque reditum suis a Domino postulationibus impetraret. Quibus incunctanter flagitationibus Dominicus annuit. Vixque sanctus orationis finem fecerat, cum loco eodem sensum presbyter pristinum rationemque recepit; commissique agens pœnitentiam sceleris, vitam reliquam pudicitiæ ac sanctimoniæ dedicavit.

amens fit, et a sancto sanatus resipiscit.

6. Eisdem fere diebus presbyter alius, Arpinas, Benedictus nomine, celebrem famam sancti viri non ferens, ejus cœpit conversationi detrahere, ejusque sanctitatem in sola dicebat missarum celebratione constare : in ceteris communem eum et secularem contestans, eamque sanctitatem sedulæ videlicet celebrationis missarum se facile adepturum, postquam eam

Presbyter concubinus in Dominici castitatem maledicus, a Deo repente plectitur.

[1] quæ l. — [2] illaturus l.

quam sibi conjugem fatebatur, ex hac luce emigrare contingeret. Cumque in oblocutione seu derisione omnes presbyter dies exigeret, die quadam oblatrantem eum Dei homini languor repentinus corripuit : eoque invalescente vita cedens, multis ora Dominici obtrectatoribus clausit. Benedictus quidam nomine, qui maledictus commodius vocaretur, presbyteri cujusdam Hermi nomine filius, missam mox illucescente diluculo inchoans, ad horam usque diei nonam eam protelare curavit, astruens se facile in protelatione missarum Dominicum posse æquiparare vel, si ejus plane animo insideret, etiam superare. Qui ante consummationem missæ repentino languore correptus, intra paucos dies languorem et vitam eodem meruit exitu terminare.

Alius presbyter pium Dominici fervorem in missa celebranda sacrilege assimulans, eodem modo punitur.

7. Diebus eisdem frequenter vir beatus locis Campaniæ quibus Sublacus et Arzole vocabulo sunt, suam præsentiam exhibebat, sæpeque eorumdem locorum presbyteris de observanda pudicitiæ castimonia sermonem exhortatorium faciebat. Verum gehennæ perpetuæque damnationis filii vitæ consilia in mortis argumenta verterunt. Præerat eo tempore memoratis locis invicem presbyter quidam, Amatus nomine, homo pravus, impudicus, audax, improvidus, temerarius, nullo gerenda quæque consilio, nulla mentis deliberatione præveniens. Hunc igitur ceteri locorum presbyteri adeunt conquerentes Dominicum a mulierum se complexibus jucundissimis, quod summum in vita ducebant bonum, cunctis viribus conari sejungere, pretiique non exigui summam, si eis per ipsum subveniretur, pollicentes. Non sustinuit homo vesanus ut conquestionem presbyteri consummarent, utque prece ad imminens periculum expellendum, ut in talibus moris est, repetita consilium flagitarent : clausit nec dum mediato eloquio eorum ora, atque ne super hujusmodi verbum ultra effunderent, impetravit, dicens primis se verbis continuo percepisse quæcumque annectenda disponerent, acturumque se ocius et sub omni maturitate quod factum gratum omnes acceptumque habebunt. In hæc verba dividuntur alterutrum.

Presbyter pessimus spondet se Dominicum extincturum,

8. Non quievit vir pestilens quod animus suggerebat, implere. Egressus igitur oppidum equo vectus armatusque, ad locum cui *Campus Artinace* nomen est, proficiscitur, ibique

sed repente percussus a Deo,

latens Dominici præstolatur adventum. Visoque eminus Dominico quantum est jactus lapidis, fodit equum calcaribus, vibrat dextera lanceam Dominici pectori infigendam : cum ecce appropinquanti jamjamque fere lancea virum Dei contingenti vires decidunt, tremunt viscera, dentes strident, pallet facies ; vix levat clypeum, vix valet dextera lanceam sustinere ; equoque totus pene occasurus concutitur. Appropinquat Dominicus homini et quid dicturus, quid facturus venerit, sciscitatur. Nihil ad primam sciscitationem responsum est ; ad secundam, ad tertiam etiam lingua faucibus hæsit. Jam ad quartam, trementia labia *veni, veni, veni* tertio profundunt, nihil prorsus addere prævalentia. Jubet post ista sanctus ut lanceam porrigat : porrexit continuo ; jubet deponat clypeum : fecit quod imperatum est ; jubet equo desiliat : paruit absque mora. Præcepit ut loquatur : remeavit ad linguam protinus loquendi valentia. Confitetur facinus lugens, ac in se reum Dominicum judicem rogat promulgare sententiam.

9. Quem Dominicus veste excultiore exutum veste protinus pellicea induit, eumque ut nugis ac ineptiis mundi hujus abrenuntiaret, commonuit, humanum ei propter carnis infirmitatem injungens ut, sicut exhibuerat membra sua servire nequitiæ et iniquitati, ita deinceps eadem exhiberet servire justitiæ in sanctificatione. At quid tantis? Obtemperavit monitis salutaribus presbyter absque omni prorsus dilatione, itaque[1] in cunctis moribus, in omni conversatione mutatus est, ut qui prioris vitæ ejus turpitudinem noverant, tantamque consecutam morum honestatem videbant, [2] in Davidicum illum erumpere compellerentur versiculum : *Hæc est immutatio dexteræ Excelsi*. Factusque eremi accola primo, post vero prædicator facundus, signorum etiam perhibetur virtutibus claruisse. Divinæque virtute potentiæ factum est ut qui Dominico mortem venerat exterioris hominis illaturus, per Dominicum a morte rediret interioris hominis suscitatus, atque per ipsum in resurrectione primaque expiatione vitiorum et indulgentia facinorum haberet partem, ne mors in eo secunda juris sui exerceret potestatem ; fieretque in ipso illa divina pro malis bonorum recom-

in alium virum mutatur.

[1] Itaque l. — [2] *add.* ut l.

pensatio, ut qui multi venerat causa mali (ut putari poterat), magis profuturus multis rediret, per Dominicum sancti formam traditurus exempli.

Presbyter monitis Dominici obloquens, repente febre correptus

10. Eisdem diebus presbyter quidam, prædicationem sancti viri de castimonia observanda ægerrime ferens, quotiescumque occasio se apta præbebat, ejus vitam maledictis insequi, carpere obloquiis non cessabat. Hic cum die quadam famosam celebremque personam fœditate pro solito conaretur maculare infamiæ, priusquam obloquiis finem faceret, febre repente corripitur validissima. Sensit infelix protinus, sensere qui circumstabant ceteri detractores Dominici, in manus Dei incidisse viventis cœlestisque blasphemum traditum ultioni vindictæ. Fit invectio omnium presbyterorum, voce contestantium una Deo censore hominem punitum, Dominicumque pariter conclamantium virum justum, Dominicum sanctum, Dominicum non obloquio, non infamatione dignum, sed omni ex contrario laudis genere, omni vocis præconio personandum. Cogitur et vexatione febris et invectione circumstantium se reum presbyter, se culpabilem protestari, pœnamque magnitudini sceleris quod in tantum virum obloquendo commiserat, non æquari. Consilio post ista astantium ad Dominicum est adductus, quo intercessore continuo et sanitati reductus, et morum plena est emendatione correctus.

et a Dominico sanatus, resipiscit.

Ob excommunicatos communiter pravos sacerdotes et eorum consortes

11. Per ejusdem elapsum temporis, Arpinum ingressus Dominicus, ut vivificam ibi nostræ salvationis hostiam immolaret supplici instantique totius tandem populi cogitur deprecatione annuere. Vestitus itaque indumentis solemnibus, antequam ad altare iter missas celebraturus arriperet, loci ad sese archipresbyterum, Petrum nomine, evocavit, imperavitque homini ut conscenderet ambonem, excommunicatisque omnibus cunctisque simul presbyterorum conjugibus, nempe concubinis, universis postremo qui capitali cujuspiam commissi facinoris conscientia morderentur [1] ex nomine ipsius præciperet ut ecclesia cederent caverentque magnopere ne præsumptione plectenda tam tremendis venerandisque solemnibus earum quælibet personarum suam præsentiam exhiberet. Offert post ista salvificam

[1] omnes etiam qui mortalis peccati hujus gravius conscientia morderetur 2.

sanctus presbyter hostiam, plebique exhortatorium facit sermonem de more, pransusque, reditum facturus in propria, Arpinum egreditur [1].

12. Quod audiens Simeonis cujusdam presbyteri uxor, hoc est concubina, Maria nomine, accita quadam dicta Silvia, presbyteri alterius conjuge, id est concubina, in [2] plateam egreditur, lapidemque per terram jaculans, verba intulit maledictionis hujusmodi: *Sicut*, inquiens, *hic lapis retrocessurus non est, sic tu numquam ultra, impostor, in posterum Arpinum valeas contueri*. Vix ore verba manaverant, vix manus lapidem fuerat jaculata, cum ecce cunctis repente dextera viribus destituitur, tantaque totius vitalis humoris exsiccatione damnatur, ut ne ad os quidem eam posset sine manus fulcimento alterius elevare; Silviaque horæ momento ejusdem amborum lumen perdidit oculorum. In tantum autem pudoris vehementia utriusque est animus obduratus, ut ne sic damnatæ quidem ad Dominicum, qui nondum eminus aberat, curarent accedere commissique veniam perditaque membrorum officia postulare. Post discessum vero sancti, cum ad ejus tumulum accessissent, [et] [3] utræque precibus horas aliquas exegissent, et illi dexteræ et pupillarum isti est officium restitutum. **lapidibus impetitur, sed novis miraculis a Deo vindicatur.**

13. His de Dominici vita seu miraculis sincera veritate decursis, qualiter ejus extiterit ex hac luce migratio, quibus post mortem ejus sanctitas signorum fuerit declarata indiciis, sequens oratio explicabit. **Moriens Dominicus miraculis illustratur,**

Vir igitur sanctus cum jam octuaginta fere annos exegisset ætatis, die quadam, causis urgentibus necessariis, Tusculanum proficiscebatur, cum ecce inter eundum letali vulnere quod vulgus papulam nuncupat, in maxillam invaditur. Quod Joannes, reverendus monachus qui ei tunc comes itineris adhærebat, conspiciens, cohortatur instanter virum Dei acceleret reditum, maturet regressum, festinet fratrum congregationi se reddere, nisi forte velit eis absentibus viam carnis ingredi universæ, æstuans et protestans ulcus quod in facie videbatur, mortis contiguæ signa certa indiciaque [4] manifesta prætendere.

[1] pransumque redictum fact. in. pr., Arp. regreditur 1. — [2] *ita* 2. *om.* 1. — [3] *om.* 1. — [4] signa certaque indicia manifesta 1.

Acquievit cohortanti Dominicus, atque in monasterium de itinere repedavit. Reversus igitur, universos ad se fratres præcepit convocari, sibique eorum officio ea protinus omnia fieri quæ de usu monasticæ consuetudinis morientibus fratribus assolent exhiberi. Cumque, ceteris consummatis, ad extremum Dominici corporis sanguinisque mysteria percepisset, ejulantes fratres egredi forisque paululum præcepit commorari. Cumque, egressis omnibus, solus in cella Pater remansisset almificus, voces ejus loquentis et alterius cum eo sicut colloquentis a fratribus qui cellæ viciniores assistebant, auditæ sunt, non tamen usque adeo plena expressione, ut verborum sensus cujuslibet fieri potuisset [1] intelligentiæ, priusquam vir sanctus confabulationem cum vita pariter consummavit. Nam cum voces illæ foris stantium destitissent auribus insonare, ingressi cuncti eum jam reperiunt expirasse: ejusque qui cum eo colloqui est auditus, nulla contuentes indicia, certum tenuerunt omnes ad migrantis solatium de cœlis angelum destinatum. Obiit autem vir sanctus undecimo Kalendas Februarias, cum ab incarnatione Domini unius et triginta et mille defluxissent annorum curricula, humatumque est cadaver ejus in monasterio quod ejusdem cognominatur vocabulo, sito in Campania, in vicinia civitatis cui Soræ fecere vocabulum, cujus etiam in superioribus facta est mentio ; ubi ejus orationibus mira Christus operari non desinit usque in hodiernum diem. De quibus quædam quæ nobis per idoneos testes sunt comperta, certissima fidaque stilus sequens relatione expediet.

et sepelitur in Sorano monasterio.

Ad tumulum Dominici,

14. Vir quidam, Carus nomine, de oppido cui *Arzule* [2] nomen est oriundus, cibi potusque indigestione laborabat, in tantum ut quidquid cibi potusque stomacho infudisset [3], brevi intermisso tempore eodem quo foramine introierat, horrendum cruentumque rejiceret. Cumque [omnia pene] [4] expendisset in medicos [5], nullumque percepisset de languore remedium, hoc ei visum [6] est solum postremumque refugium ut Dominici adiret memoriam atque ab eo cui nulla non possibilia noverat [7], curationem sibi, Dominico interventore, deposceret, quam jam

[1] *sic* 1. — [2] Azula 2. — [3] infundisset 1. — [4] *supplet. ex* 2. — [5] *ita* 2. medicis 1. — [6] jussum 1. — [7] poss. nulla non nov. 1.

constans indubiusque gerebat se per hominis industriam quamlibet impetrare non posse. Implevit Carus opere quod animo tentarat consilium. Adiit Dei famuli tumulum, ibique cum multas preces flens et ejulans obtulisset, ita plene antequam inde reditum aggrederetur, sanatus est, ut post orationem invitatus ibidem a fratribus oblataque ad satietatem comederet et vivaciter omnia ejus stomachus retineret. Quod divinitus sibi interventione Dominici collatum remedium ita in eo deinceps perduravit, ut eorum nihil ulterius per oris exitum ejus stomachus redderet, quæcumque infusa ei seu edendo seu potando fuissent. sanatur subito stomachus debilis;

15. Azo quidam nomine, Romani cujusdam illustrissimi sumptibus alebatur. Cujus videlicet contracti pedes inseparabiliter natibus adhærentes, omnem prorsus ei sese humo levandi abstulerant facultatem. Hic igitur auditis signis quæ per Dominicum operari Dominus dignabatur, memoratum Joannem, dominum videlicet suum, prece cœpit supplici et instantissima postulare ut ipsum ad Dominici tumulum faceret deportari, asserens se inhæsitanter credere gradiendi sibi restituendum officium, si in loco quo ossa essent humata Dominici, apud Deum sibi interventorem Dominicum exoraret. Victus tandem precum instantium importunitate Joannes, ad Dominici memoriam claudum deferri fecit, magis ut claudi petitionibus sedulis satisfaceret, quam quod [1] per Dominicum crederet tantum posse patrari miraculum. Porro claudus ad Dominici tumulum deportatus, gemitibus, suspiriis, lacrimis aures sancti viri non cessabat diebus noctibusque pulsare. pauper quidam claudus,

16. Nox advenerat, in qua decretum fuerat cœlitus claudum juxta fidei suæ credulitatem percipere, et quod intercessore Dominico mira multo tempore deposceret [2] instantia, tandem aliquando obtinere [3]. Eo igitur in ecclesia juxta quam Dominicus fuerat tumulatus, supplicationi solitæ insistente, lucerna extinguitur. Ad cujus repente succensionem cum claudus conaretur exsurgere, primo conantem nullæ consecutæ sunt vires. Porro cum sancto nomine inclamato Dominici surgere conaretur, cum ingenti confestim fragore pedibus di- dum conatur lucernam extinctam accendere;

[1] ut l. — [2] deposcerat (?) l. — [3] obtineret l.

vulsis a natibus, surrexit, succenditque lucernam, tantaque vociferatione in Dei cœpit jubilans præconia prosilire, ut ad aures fratrum vox exultantis pertingeret; nonnullique insolito clamore attoniti, vociferationis tantæ causam indagaturi ecclesiam protinus introierunt. Qui conspectum claudi curati miraculum universis mox fratribus insinuare festinant, sicque mox cunctis ingressis ecclesiam divinæque virtutis factum stupentibus, quidquid noctis fuerat reliquum in Dei laudibus exactum est. Ipse vero in quo virtutis signum patratum est, post tantum sibi collatum cœlitus beneficium remeare jam ad seculum noluit; sed mox se monachum fieri, abbatem loci prece supplici flagitavit. Quod ei abbas protinus libentissime annuit. Ipse vero religionis habitu percepto, vitam ceteram sanctis studiis decoravit. In signum vero prodigii patrati in homine, concavitas natium quæ eis ex pedum impressione contigerat, in eo adusque vitæ exitum perduravit.

et homo rabidus.

17. Romanus quidam ea passione quam dicunt maniam, laborabat in tantum ut quicumque ejus manus incurrisse contingeret, feraliter eos vel dentibus roderet, vel unguibus laniaret. Cum vero ei non cederetur sævire in alios, in semetipsum insaniebat infelix, barbæque pilos propriæ manibus furentibus evellebat. Hic itaque cum ad memoriam viri Dei a parentibus deportatus, catenis vinctus, ibidem membra sopori dedisset, Dominicum conspexit in somnis, sibi imperantem ut surgeret, seque parentum qui illuc eum adduxerant, fide mentis insaniam evasisse cognosceret. Evigilans homo continuo, cum catenas e manibus cecidisse cognosceret, surrexit, verbisque placidis allocutus parentes, eisque visionem quæ ei apparuerat, innotuit, atque ab ea hora non in se, non in alios sæviens, factam divinitus quam retulerat visionem, evidentissime patefecit.

Contra fur ibi languore letali corripitur.

Fur quidam cœnobium in quo viri Dei sacrosanctæ fuerant humatæ reliquiæ, ut exinde quippiam furaretur, ingressus, languore protinus vehementi correptus est. Quo per horas singulas increscente, vitæ cursum post elapsum diei tertiæ consummavit.

Mulier Dominicum precata, fluxu sanguinis liberatur.

18. Mulier quædam fluxu laborans sanguinis, cum ei a nullo prorsus medicorum potuisset esse subventum, audita fama sanctitatis Dominici, conversa ad Deum, ipsius fusis la-

crimis cœpit flagitare clementiam, ut qui sanctum suum, multorum eo interventore necessitatibus occurrendo, mirificaverat, in se quoque eumdem mirum dignaretur ostendere, ut quæ eatenus miraculorum meritis Dominici patratorum multorum fuerat relatione auditrix, ipsa quoque per eumdem virum sanitatis sibi restitutæ miraculi audientiæ plurimorum esse fidelis posset relatrix, et quæ per alios ad potentissima fuisset suffragia Dominici imploranda pertracta, ad hæc eadem imploranda alios et ipsa meruisset pertrahere. Quid multis? Respectum est cœlitus in mulieris fidem, salutique restituta plenissimæ, quod divinitus per Dominicum impetrare meruit beneficium, multorum audientiæ insinuare procuravit.

19. Arpinatis cujusdam presbyteri linguam facundam olim morbus invadens ita ab omni loquendi facultate reddidit alienam, ut ne unam quidem dictiunculam qualemcumque ore explicare valeret. Audita fama Dominici, nutibus quibus potuit familiaribus suis presbyter innuit, ut se ad locum quo sancti viri fuerant humatæ exuviæ, ducere festinarent, nutibus simul exprimens interventione Dominici loquendi linguæ restituendam sibi cœlitus facultatem. Ductus ad sepulcrum Dominici presbyter, sancti viri quam verbis non poterat, lacrimis cœpit audientiam compellare. Cum ecce subito imperii lingua in virtute[1] divini in gratiarum primo actionem[2] effunditur, atque deinceps ad proferenda quæ vellet omnia, expeditissima reperitur.

Ad ejus sepulcrum sacerdos recuperat usum linguæ;

20. Illud inter ista non est silentio obtegendum, quod inter omnes fama dispersit, cæcos duos die quadam, totidemque die alia, ad memoriam Dominici diutius orationi instantes, lumen ibidem perditum resumpsisse. Duabus quoque mulieribus id ipsum ad sepulcrum Dominici præstitum beneficium, in omnes fere fama volans vulgavit. Monachi cujusdam ita sibi membra omnia languor occupans vendicarat, ut assidua motione et contorsione eorum a nonnullis dæmoniacus putaretur. Qui cum ad tumulum sancti viri divinam sibi eo interventore medicinam deposceret, plenam ibi membrorum omnium consecutus est sospitatem. Alium quoque monachum per longa tempora

sex cæci usum oculorum;

ꝗtres monachi sanitatem;

[1] impertensa l; *nisi legendum sit* impertientia. — [2] actione l.

vehementissimo dolore viscerum cruciatum, qui interfuere[1] miraculo, eum testati sunt sanatum. Alii cuidam monacho languor infestans mortem minabatur affinem[2]: qui ad tumulum devectus hominis Dei, hora eadem omni se languore ereptum claris cœpit vocibus protestari. Rustici cujusdam latus unum paralysis occupans, ab omni sensu reddiderat alienum. Qui ad tumulum viri Dei delatus, ibi quidem spei suæ nullum prorsus est consecutus effectum. Verum cum domum remeasset, sanctus ei dormienti apparens, omnem paralyseos dissolutionem imperio effugavit. Simile autem cuidam muto meritis Dominici contigit. Cum ad sepulcrum sancti viri dies aliquot commorans mutus ut venerat permansisset, in redeundo intercessione Dominici loquendi sibi gratulatus est concessam valentiam.

paralyticus usum membrorum in reditu a tumulo.

21. Mulierem item quamdam atrocissimo vexatam dæmone, ad sepulcrum Dominici ab ejus infestatione ereptam novimus. Ita enim clarum, ita vulgatum ea extitit tempestate ipsius sepulcrum, ut non solum loci viciniam non latuerit incolentes, sed ad longe etiam positos certissima cognitione pervenerit. Aurifici cuidam Girulpho nomine de civitate *Popiri* oriundo, conjux erat quæ dæmonis infestatione dirissimi vexabatur. Vovit aurifex, si interveniente Dominico dæmon a conjuge pelleretur, quod argenti tantum pietatis suæ monasterio sancti viri conferret, quantum sanc trum evangeliorum codicis unius tabulæ eleganti decentique satis aperimento sufficeret, ipsumque[3] ei operi ut decorum, ut pulchrum, ut præcipuum fieret, omnem artis solertiam, omnem laboris diligentiam adhibiturum. Ductaque est ad sepulcrum Dominici femina; quæ non solum non meruit infestatione tetri spiritus liberari, verum etiam ab uno de confratribus, Azonenomine, qui vexationem putabat fictitiam, diutissime nequaquam refragata est verberari. Revertens igitur, cum ad montem cui *Irole* nomen est, qui valli quam Soranam nominant, supereminet, pervenisset, et ex itinere et ex vexatione obsidentis spiritus fatigata, ad locum sancti monasterii unde venerat, vertisset faciem, lacrimansque uberrime pro liberatione sui interventionem

Energumena ad ejus tumulum liberatur.

Alia energumena post votum a marito factum,

revertens a sepulcro Dominici, liberatur.

[1] supradicto interfuit... recepit sanitatem 2.— [2] ad finem 1. vicinam 2.— [3] ipseque 1.

Dominici precibus instantissimis flagitaret[1], necdum effundi preces, necdum lacrimæ cessabant effluere, cum ecce in vomitum concussum pectus, et humorum pressione malorum et habitatoris infestatione [2] impuri tempore uno eodemque meruit expiari.

22. Abilonio cuidam, Sorano civi, ancilla erat, quæ Carda dicebatur. Hæc quinta in quadragesimali tempore feria pannos in flumine seu lineos seu cannabinos abluebat. Quorum unum dum in prato solis exsiccandum caloribus tetendisset, post decursum tempus quod exsiccationi judicavit sufficere, exsiccatum rediit collectum. Cumque oculos defigit in pannum, sordida in eo conspicit pedum quasi [3] vestigia hædulorum. Accepit mæstificata pannum sordesque in flumine abluens superinductas, solis iterum exponit æstibus desiccandum, reversaque post modicum, sordes reperit pares prioribus, impressas, sicut et anteriores sunt visæ, quasi pedibus hædulorum. Quæ præ impatientia mæroris infelicem se cui contingerent talia, miseramque proclamans, pannum tamen iterum accipit, iterum abluit, iterum soli exsiccandum exponit. Iterum vero rediens, eis quibus antea hædorum pannum vestigiis reperit sordidatum : septies in die ablutum septiesque memoratis repertum maculis inquinatum, ipsam cui hæc acciderant mulierculam, accepimus referentem. Ancilla a dæmone infestata

23. Regressaque post hæc domum, repentina in pedum altero algoris vehementis conceptione invaditur, tantæque hora eadem vociferationis hinnitus imo est pectore mulieris adductus, ut tam quantitate quam qualitate vocis insolita stupefacti ipsi etiam domini domus ad locum unde sonus visus est erupisse, citata cogerentur pedum motione concurrere. Ubi mulierem prostratam humi reperientes, solo anhelitu venarumque pulsibus a cadavere discrepantem exanimi, quod diei fuerat reliquum noctemque pariter insecutam, pœnalem omnes et lugubrem exegere. Ducta post ista est ad ecclesiam sanctæ virginis et martyris Restitutæ, ibique palam nequam se cœpit spiritus demonstrare. Adjuratusque ingressionis suæ causam et ordinem confiteri, percontatusque vocabulum, Muculellum [4] et possessa,

[1] flagitabat 1. — [2] *ita* 2. luvione 1. — [3] *ita* 2. pedumque 1. — [4] Muncunlellum 2.

vocari se dicere; exclamare præterea nihil profecisse eos qui energumenam ad Restitutæ perduxissent basilicam, et nequaquam sui per eam ejectionem futuram : Dominicum esse, cujus istud esset meritis patrandum prodigium. Ducitur post hæc verba mulier ad memoriam sancti viri; ibique ab invasione die quinta, secunda in ordine feriarum, dum missarum sacrosancta aguntur solemnia, repentina soporis mulier arreptione invaditur, unumque atque idem extitit tempus quo mulier expergefacta somno et immundo vacuata hospite reperitur. Post quod ejectionis signum libertate eam continuo Abilonius legalibus sanctionibus donat, censens æquitati justitiæque congruere ut Dominici reverentia non esset ultra dominantis hominis servituti obnoxia quæ per Dominicum ab infestantis esset dæmonis feroci damnatione erepta.

ad sepulcrum Dominici liberatur.

24. Omnes fere incolæ oppidi Castellonis sunt testes puerum de eodem oriundum castro, manum habentem aridam, ad sepulcrum Dominici, diei Dominicæ tempore vespertino, pristinum manus resumpsisse vigorem, pristinam in omnibus efficaciam. Nam dum fratres post psalmos Davidicos et reliqua quæ in vespertinis laudibus de more aguntur, hymnum evangelicum decantarent, forte cereus[1] de basi[2] ligni salutiferi decidit. Consistebat tunc puer ante crucem, curvansque sese manu tremula digitis qui aruerant, cereum[3] comprehendit. Labitur cereus digitis illum stringere nequeuntibus : prehenditur iterum, et iterum labitur : apprehensus tertio, stringitur, continetur, basique manu puerili infigitur. Tantus autem fuit clamor, tantum gaudium, tantus præ gaudio fletus ad visionem miraculi, ut cœptus a fratribus non valuerit hymnus evangelicus consummari.

Ibidem manus arida pueri restituitur attrectando cereum.

25. Bonutio, filio Abilonii supra commemorati, filius erat parvulus, nomine Adenulphus, cui dextera tam manus quam brachium, quam pes etiam cum tibia et femore exaruerat. Pollicetur Bonutius, si filio a Domino Dominicus impetraret salutem, seu ceram seu oleum seu rem aliam utensilem quamlibet, eo se pondere quo filius pensaretur, sancto ejus monasterio largiturum ; monachis præterea sancti loci, si eum abbas

Alius puer item toto corpore aridus

[1] urceus 2. — [2] base 1, 2. — [3] *pro voce* curvans *male lecta :* cum vas... fringitur 2.

dignaretur suscipere, aggregaturum. Advenerat Dominici natalitius dies. Præcepit Bonutius suis ut prandium præpararent copiosum, convivasque ea die inopes accipiant et egenôs. Ipse, assumpto puero, maturat ad ecclesiam Deo in commemorationem [1] Dominici dedicatam. Ventum postremo ad locum est. Locat sese Bonutius [2] ante iconem [3] Dominici, intuensque eam luminibus corporis, mentis oculos dirigebat ad eum cujus imago ejus memoriæ fuerat effigiata, ipsumque non cessabat pro salute filii corde, ore crebrisque imo pectore deductis suspiriis flagitare. Interea puer precatur patrem ut in collum eum erigat, dicens partes unas velle ejus quam contemplabatur imaginis, osculari. Erectus collo paterno puer, conatur ad amplexandam iconem brachium utrumque prætendere : et lævum quidem, utpote nullo morbo debilitatum, tendebat valenter, dextrum vero conatu fluctuanti ac tremulo, flente interim patre Dominicique voce creberrima inclamante vocabulum. Quid plura ? Complexus est brachio utroque iconem ; strictius inhærens complexui, ima deosculatur imaginis ; sicque hora eadem in manum brachiumque pueri, in pedem præterea, tibiam atque femur prioris robur valescentiæ remeavit, ut revertens cursim domum, manum quam ad os prius levare non poterat, diversa ludens huc illucque per viam jacularetur hastilia.

revalescit amplexando Dominici imaginem.

26. Adolescenti cuidam, Joanni nomine, ex civitate oriundo Ancona [4], contractione insolubili femoribus tibiæ, pedes natibus adhærebant. Unde nusquam ei gradiendi potentia suberat, nisi cum adjumento scabellorum, quibus ut ad locum quemlibet proficisci valeret, miris utraque semper manu innitebatur conatibus. Hic itaque ad ecclesiam sancti archangeli Michaelis quæ in Gargani montis sita est vertice, recto proficiscebatur itinere, si forte tanto intercedente archangelo de cœlestis munificentiæ largitate, nervorum contractione explicita, facultatem mereretur consequi gradiendi. Cum ecce inter eundum viri aures fama perculit [5] ad Dominici tumulum signa cœlitus virtutesque exhiberi mirificas ; perductusque ad locum est

Contractione nervorum adolescens

[1] commemoratione 1. — [2] Bonucius 1. — [3] iconam 1, *mox* yconiam *bis*. — [4] Concona 1. Anconitanus 2. — [5] perculsit 1.

Aquinense[1] ei comite et adjumento vehiculo pervium eo usque elargiente itineris. Transegerat ibi claudus aliquot temporum spatia. Ecce die quadam abbas loci, Joannes nomine (1), quærit ab homine utrum eum nervorum consequendæ extensionis magna detineret aviditas. Cumque respondisset claudus id solum se in vita cupere, id duntaxat optare : mundi dominium universi si largitas Creatoris offerat[2], longe se huic muneri munus prælaturum atque præpositurum salutis. Ducit eum abbas ad memoriam sancti, neque prius oratione destitit, quam claudus, non sine ingenti fragore et crepitu extensis nervis, cunctis qui aderant obstupentibus, in pedes proprios se erexit. Tunc famosus ac celebris hymnus ille voce est celsiore ab omnibus non absque plurima lacrimarum effusione cantatus : *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Fixit homo protinus stationem in loco, coquinæque est officio deputatus ; et usque in hodiernum diem ibi vitam agens incolumis, ita se habere gesti miraculi ordinem, propria contestatione fatetur.

ad tumulum Dominici solvitur.

27. Leonem, Candi Berolensis cujusdam filium, ita morbus invadens, pedes, tibias, genua clunesque contraxerat, ut absque scabellorum trium fulcimento nulla suppeteret uspiam possibilitas motionis. Sustentabatur claudus largitate Benedicti reverendæ memoriæ, abbatis monasterii S. Pudentianæ, siti in monte Campaniæ qui S. Joannis cognominatur (2). A quo Leo vix obnixis demum precibus potuit extorquere, ut injectus asino ad Dominici monasterium deduceretur. Quo perducto, votum facit in loco stationis perpetuæ, si suam Dominicus obtineret a Domino precibus sanitatem. Quintusdecimus post adventum hominis dies urgebat in vesperam. Stabat attractus ante sepulcrum sancti, ejusque aures importuna deprecatione pulsabat. Et ecce nervi pedum, tibiarum cluniumque repentina

Contractus alius non sanatur

nisi donec ibidem ad tumulum manet.

[1] *sic* l. ducente quodam abbate Aquinate 2 ; *nihil de vehiculo*. — [2] offert l.

(1) Joannes S. Dominicum excepit in regendo monasterio Sorano (Mabillon, *Annal. Benedict.*, lib. LVII, c. 80). Successorem habuit Benedictum, qui nominatur paulo inferius (num. 33). — (2) Hoc monasterium S. Pudentianæ nusquam memoratum reperi. Certe non indicatur inter ecclesias monasterio Casæmarii subditas, cui subjacebat territorium vel pars territorii mentis S. Joannis (Ph. Rondinini, *Monasterii de Casæmario Historia*, Romæ 1707, pp. 69, 70, 71, 72).

omni solutione tenduntur. Tantus autem fuit fragor extensionis, tanta vociferatio patientis, ut pene duceres ambigendum uter sonitus gravius perccelleret aures. Tentat post tempora aliqua fugitivam discessionem sanatus : contrahitur in priorem per omnia deformitatem ; pollicetur ex abbatis consilio stationem perpetuam : sancti illico intervenientibus meritis, Deo iterum propitiante sanatur.

Gibbosus missus a jam mortuo Dominico ad ejus tumulum,

28. Francigena quidam, Fulco nomine, tanta deformis gibbi erat curvatura complicitus, ut propemodum pectus femoribus, caput genibus jungeretur. Hic ad memoratam supra basilicam beati archangeli Michaelis profectus, dum orationem productiorem fundit, somno repente corripitur, præbetque se ei sic soporato videndum vir decorus aspectu, qui eum hortatur ut, si salutis adipiscendæ sit cupidus, ad memoriam sancti confessoris Dominici iter debeat maturare. Expergiscitur Fulco post ista, clientique præcipit asellum consternere; arreptoque confestim itinere, non defuere, provisore Deo, qui interroganti iter panderent, quo recta ad locum sepulturæ Dominici veniretur. Applicuit homo Soram triduo ante Pascha, die quam Cœnæ Dominicæ dedicatam per orbem terræ universa colit Ecclesia. Ubi cum visionem terræ domino, Girardo nomine, retulisset, jumento mox ab ipso competenti donatus est et ad cœnobium sancti viri, duce ei concesso itineris, destinatus. Qui cum ingressus ecclesiam, preces prolixas lacrimans effudisset, duo subito senes ejus se obtutibus obtulerunt, quorum eum alter capite, alter pedibus apprehensum, summis quisque in partem suam hominem conatibus pertrahebat. Audires garrire virum cui causas non videres garriendi ; audires voces ferri præcelsas ad sidera. Extensus inter ista Fulco, verticem diu curvum [1] erigit in sublime, ita ut qui hominem ante non vidissent, extitisse eum prius curvum oculis judicare non possent. Tum id ea in se gestum qua retuli ratione miraculum, voce clara audientiæ est circumstantium omnium protestatus. Qui cum se diceret tanti muneris nolle ultra deserere largitorem, tenuit ovanter abbas hominem, repromittens se ei quæque corporis necessaria usibus quoad uterque viveret, largiturum.

ab apparentibus duobus cœlitibus erigitur.

[1] clunium 1. Extensus est itaque et erectus F., et caput erigit in s. 2.

Cuspidis fractæ portio,

29. Francus quidam, nomine Girardus[1], Gregorii Signensis[2] comitis miles fuit. Hic clunem lancea confossus in prælio, fractæ cuspidis portionem intrinsecus per sex annorum elapsus integros absque molestia validiore gestavit. Anno septimo ita ejus punctionibus infestatur, ut nulla ei concederetur quietis admissio. Vocati medici sectionibus variis arteque multiplici ut ferrum abstraherent, insudarunt; sed cunctis molitionibus consumptis frustra, de Franci fere vita fuerat desperatum. Girardo in his torsionibus posito mortemque super vitam optante, quadam die vir quidam quem universi loci accolæ ipseque Francus claudum prius cognoverat, præ foribus ejusdem gradiendi plene implebat officium, virorum ac mulierum agmine stipatus non modico, qui ad tanti confluxerant visionem prodigii. Quem cum ex ipsius relatione audisset ad exuvias [3] Dominici sospitatem adeptum, vovit confestim Deo cultum perpetuum migrationis ipsius die facturum, si suis precibus obtineret ut aciei letiferæ extrahendæ via cœlitus aliqua præberetur. Parva post votum mora extitit, cum in inferioribus coxæ partibus sensit cuspidis punctionem. Vocans quemdam qui prope assistebat familiarem sibi presbyterum, Semorectum nomine, insinuat ferrum coxæ interiora petisse, ostendensque digito locum, dicebat: *Hic, hic illius me compungit acumen.* Accipit mox acutum clanculo Semorectus rasorium, Francique illud occultans visibus, punctionis locum cute sibi postulat nudata monstrari. Quod cum factum fuisset, imprimit quod occultaverat presbyter cuti repente rasorium, vixque impressum removerat, cum subsequens cuspis sectione facta egressa est. Cumque ad repentinam sectionem Francus exclamavisset, doloris sector clamores compescuit, extractumque ferrum visibus offerens in clamores eum laudis et jubili excitavit. Postque paucos dies admodum sanatus ex vulnere, beati viri grates tumulum acturus debitas cum decenti muneris oblatione revisit, cuspidemque clune extractam in memoriæ ibi signum sempiternæ suspendit; diemque natalitium sancti viri quoad vixit, dignis reverentiæ cultusque obsequiis honoravit.

facto voto de honoranda memoria Dominici,

miro modo e carne educitur.

[1] *hic et num. seq.* Gerardus 2. — [2] *hic et mox* Signiensis 2. — [3] *supra lin., prius* excubias 1.

30. Girardus, filius Petri Raynerii cujus in superioribus fecimus mentionem (1), venerat in auxilium Pandulphi, Capuani principis, cum Neapolim obsideret (2). In qua obsidione sagitta hostili contorsa arcu, Girardum petiit, fixaque est superius penetrans in ea capitis parte qua fronti oculus copulatur. Quam dum medici moliuntur abstrahere, pars quæ utcumque capi potuit, fracta remanet in forcipibus. Jam vero uno ore omnium promebatur sententia ut sagitta de capite absque oculo nulla posset elici ratione. Inter ista dum ultra modum princeps affligitur, dum multa versat animo, Dominicus ei venit in memoriam, exclamavitque continuo : *Girarde frater, divinitus, ut reor, modo mihi suggestum est, ut te orem decentis alicujus muneris votum facere sancto illi Dominico, qui in civitatis tuæ confinio requiescit, per quem de modernis temporibus fama volat ubique, eum signa multa patrare. Oro igitur te, frater, ut munus quodcumque tibi animo occurrerit, sancto ipsius cœnobio te largiturum pollicearis. Placebit fortasse dignationi supernæ illius meritis in præsentis tibi angustiæ periculo subvenire.* Tunc ille : *Habeo,* inquit, *terram in confinio monasterii, quam frequenter sibi fratres concedendam rogarunt, facta terræ alterius commutatione. Sancto illi concedo cœnobio, dum mihi dumtaxat cœlitus sanctus Pater obtineat ut, restante oculo, egressuræ sagittæ aditus patefiat.* Voverat, et vix momento intersito manum vulneri princeps injicit, prehensaque unguibus sagittulæ summitate, absque omni conditione [1] eam a capite abstraxit : quam ante ejus sacrosanctum altare usque in hodiernum diem dependentem est cernere [2].

Sagittæ fractæ portio prope oculum immersa, voto facto de gratificando Dominici cœnobio, statim extrahitur.

31. Albertus miles quidam nomine, de Oretino oppido, quatuor integris elabentibus annis sagittulam in parte quæ

Sagittula, post honoratum tumulum Dominici

[1] læsione 2. — [2] quæ usque hodie ibi pendere creditur 2.

(1) Cfr. supra, pag. 293 not. — (2) Hanc Neapolis obsidionem et expugnationem per Pandulphum Capuanum principem anno 1027 illigat *Chronicon Cavense* a Pratillo editum, nulla tamen antiqua auctoritate (Cfr. Pertz in *Archiv... für ältere deutsche Geschichtskunde*, tom. IX, p. 146). Amatus (l'*Ystoire de li Normant*, I, 40) et Leo Ostiensis (*Chron. Casin.*, II, 56) rem quidem memorant Conrado imperatore factam, sed nullum certum annum assignant. Porro ex documento nostro jam colligitur illam obsidionem post mortem S. Dominici Sorani, id est post diem 22 januarii 1031 (Cfr. supra, pag. 298) collocandam esse.

inferius adjacet oculo, fixam occultamque interius non absque torminibus et cruciatibus immensis gestavit. Qui post memoratum et amplius temporibus spatium ad Dominici tumulum tantæ vexationi remedium postulaturus accessit, multisque ibi gemitibus, multis precibus multisque frustra lacrimis, ut sibi videbatur, profusis, absque ulla spei fructus consecutione recessit. Verum ingressa domum, cum in eum post dormitionem surgentem diligentiores uxor duxisset obtutus, summitatem subter oculum conspicit eminere sagittulæ; prehensaque manu tanta facilitate eam extraxit, ut nesciret extractam homo, nisi cum in manu illam mulieris conspexit.

Sponte ab oculi vicinia exit.

Columba portentosa ad ejus sepulcrum apparet.

32. Super hoc volo lectorem judicii dare sententiam, utrum dignum fuerit transire silentio quod Leo, reverendus Cajetanus[1] episcopus (1), exuvias sancti viri revisens, ore protestatus est proprio, [2] vidisse columbam, colorem prætendentem flammeum, ad sepulcrum venientem Dominici, et digressam inde ad ipsum iterum remeantem. Neque illud arbitramur transeundum silentio quod Herasmo, tunc presbytero, postmodum vero Signensi [3] episcopo(2), in somnis videndum se exhibens, fractam ei tibiam infusione olei et signaculi vivifici impressione sanavit.

Erasmum Signiensem ei apparens sanat.

Ob quinque jumenta monasterio Dominici ablata

33. Nobilis quidam ex oppido Canistro, Hubertus[4] nomine, duo monasterii sancti viri propria et tria deposita ministris ad id deputatis officii præceperat jumenta furari. Audiens Benedictus reverendus abbas, Dominico et sanguine et sanctitate propinquus, penes Hubertum jumenta haberi, profectus ad eum est rogavitque ut monasterio redderentur jumenta. Quod cum homo alieni avidissimus facere contempsisset, petita licentia reverendus abbas reditum est aggressus. Haud eminus castro aberat, cum ecce cursores nuntii ad eum vociferantur, maturantes ut redeat. Reversus reperit hominem voces clamoris

[1] *ita* 2. Caletanus 1. — [2] visu se *add.* 2. — [3] Signiensi 2. — [4] Ubaldus.. ex præcepto Balduini comitis 2.

(1) Leo, episcopus Cajetanus, interfuit Concilio Romano sub Nicolao II anno 1059, et consecrationi ecclesiæ Casinensis sub Alexandro II anno 1071 (Ughelli, *Italia sacra*, Ed. Coleti, tom. I, p. 533). — (2) Utrique etiam cœtui interfuit Erasmus episcopus Signiensis (Ibid., p. 1235-1236).

emittentem ingentis, manibusque tensis supplicibus ut se continuo vestimentis indueret monachalibus instantiusque deposcentem. Intumuerant enim ei virilia, tantique eum ex tumore dolores invaserant, ut se continuo crederet obiturum. Tunc eum abbas verbis cœpit hujusmodi refovere : *Confortare in Domino, fili, et mortis ad præsens omnem ab animo depelle formidinem. Redde animalia sancto loco, et continuo visitationis supernæ consolationem consequeris.* Redditur confestim abbati alterum de duobus quæ monasterii extitisse propria memoravimus, rogavitque æger abbatem ne graviter pateretur sibi quatuor interim cetera derelinqui, donec Balduccinum [1] comitem, in superioribus memoratum, alloqueretur, ne eo ignorante viderentur reddita animalia, qui eum pridie super ea ipsa re deprecari studuerat. Non aspernatur istas venerabilis abbas indutias. Restant ad terminum usque decretum quatuor in loco ipsius concessione jumenta. Post hæc facto brevissimo intervallo, tumor effluit, dolor evanuit, homo sanatus est.

punitur primo qui abegerat,

34. Descendens cum jumento reddito abbas, haud procul a castro habet obvium quemdam ipsius ejusdem Huberti filium. Qui cum percontaretur abbatem quis fuisset restitutor jumenti, respondit abbas ipsam lucide veritatem : ex Huberti præceptione animal restitutum. Post quæ verba inflammatus furore, vasto irruit impetu, ut jumentum violenter auferret. Sed mox equus qui abbatem vehebat sessorem, collum equi ipsius mordicus apprehendit. Qui cum nullis prorsus viribus ejus posset dentibus excuti, turbati vehementer ac terrefacti equis protinus uterque desiliunt. Quid plura? Coercuit animal brutum viri insipientiam, furensque equus hominis furorem compescuit : coactusque est factum vereri bestiæ, qui divinæ procul formidinis abjecerat reverentiam. Reddit jumentum illico, postulatque abbatem sceleris indulgentiam; et post ista ab invicem dividuntur. Sed o incorrigibilem hominis pravitatem! Rediens ad Hubertum die altera venerabilis abbas, vix ab eo jumentum monasterii alterum potuit extorquere; tria reliqua, quæ superius monasterio fuisse diximus commendata, palam se homo pestilens denegat redditurum.

dein ejus filius, qui restitutum unum resumere tentat.

[1] cum Balduino comite 2.

Votum pro sanatione ramicosi

35. Oderisius, Marsorum comes (1), in superioribus memoratus, cum ramicis valetudinem incurrisset, ad sanctum Dei, cum e corpore jam migrasset, confugium fecit, meritisque ipsius ita omnis apertio illa occlusa, ita pellis tota compacta sibi atque consolidata est, ut ruptionis seu dissolutionis illius nulla prorsus deinceps proderentur indicia. Egregius autem comes mox earum partium corporis in quibus illæ fieri assolent ruptiones, imaginem fieri ex librarum trium ponderis argento purgatissimo jussit, atque per Leonem, venerabilem Soranum episcopum (2), ad fratres qui exuviarum sancti viri colebant locum, pro gratiarum actionibus destinavit. Quod nimirum argentum memoratus præsul Soranæ ecclesiæ concedi sibi ad faciendum turibulum postulavit, ea conditione intersita, ut aut quantitatem parem fratribus restitueret aut post defunctionem antistitis in eorum possessionem turibulum veniret. Moritur præsul, nulla facta restitutione argenti. Postulant fratres ex jure intersitæ conditionis turibulum : quod quidem Soranæ eis clerus ecclesiæ penitus denegarunt. Voluerunt autem loco turibuli equum tribuere abjectissimum, qui vix fortassis medietatem pretii turibuli seu portionem etiam tertiam compensaret. Quem cum fratres renuissent suscipere, turibulum tamen a Sorano clero retentum est. Sed Deo non diu tolerante inultam injuriam quæ in Dominici monasterium gerebatur, paucissimis interelapsis diebus fur noctu veniens turibulum reddi prohibitum cum turibulo alio argenteo nihilominus auferens asportavit.

ad sepulcrum Dominici non restitutum, a fure aufertur.

Ramicosus alter voto facto de celebrando Dominici natali

36. Quidam ipsius Oderisii comitis consanguineus corruptionis ejusdem incurrebat valetudinem. Hic cum audisset referentem comitem Dominico se intercessore sanatum, vovet se diem migrationis sancti viri per annos singulos festivam et

(1) Oderisius ille qui Marsorum comes erat ubi jam (ut mox dicitur), id est, mox postquam S. Dominicus e corpore migraverat, is profecto fuit cujus filius Oderisius a Nicolao II (an. 1059-1061) diaconus ordinatus est *(Chron. Casin.*, III, 14 ; ***Mon. Germ.***, Script. tom. VII, p. 706), quique anno 1087 abbas Casinensis factus (ibid., p. 726), auctor fuit Leoni ut Chronicon Casinense conscriberet (ibid., p. 574) ; obiit autem anno 1105 (ibid., p. 773). — (2) Prætermissus est in Catalogo episcoporum Soranorum apud Ughellum (Ed. Coleti, tom. I, p. 1243) Leo iste qui sedebat post obitum S. Dominici.

celebrem habiturum, si ejus se intervenientibus meritis restitutum sentiat sospitati. Impetravit continuo a Domino Dominicus quod eum fides credula flagitavit : persolvit usque in præsens [1] juvenis illustrissimus quod Dominico devovere curavit.

sanatur.

37. Senex quidam, Adam nomine, Albertini filius, ex oppido *Triculæ*, servis Dei in loco qui Petra imperatoris dicitur (qui supra etiam memoratus est), commorantibus ultro sese in omne vitæ tempus obsequia præbiturum tradiderat. Iste cum ramicosus esset, mortisque formidaret discrimen, si in ea se ætate medicis secandum committeret, in eo demum stabilierat animum ut, si [2] interventione Dominici sibi cœlitus subveniretur, vix vel unam quidem horam precibus vacuam sineret præterire. Venerat nox in qua divina fuerat dispositione præfixum spem hominis ipsa rei exhibitione compleri. Præbet visionem sui Adæ dormienti Dominicus. Visi sunt præterea ejus lateri adhærere juventutis flore decorus quidam et alius puerilis ætatis. Gestabat sanctus manibus miri acuminis ferramentum. Quod cum applicuisset secandis partibus quæ dissolutione ramicis laborabant, juvenis qui astabat, manibus sectioni injectis intestina videbatur extrahere; puer vero defluentes manuvias juvenis manibus cohibere. Sentit Adam sectionis dolores, excelsique vocem clamoris emittit. Cujus confestim frontem mediam blando Dominicus dexteræ contactu percussit, atque ut a vociferatione desisteret, imperavit. Post hæc filo tenui sectione consuta, voce leni verba ista subintulit : *Sanus es, Adam, sanus es.* His auditis, visione consummata, homo expergefactus est, volensque experiri somni veritatem, manum loco dissolutionis applicuit, cutemque omnem compactam reperiens, dictu mirabile, cicatricem veræ sectionis invenit, gaudiique superabundantiam ferre nequiens, cursu protinus velocissimo ad actionis [3] hospitium maturavit, pulsansque iteratis densisque percussionibus januam, servos Dei cum tremore quodam evigilare cœpit. Cumque fuisset foribus reseratis admissus, rem gestam ea qua a nobis exarata est serie, patefecit.

Senex ramicosus

sanatur a Dominico post mortem sui visionem præbente.

[1] *om.* 2 *et tantum :* devotus implevit. — [2] ex 1. — [3] ad cujusdam sui charissimi, Othonis nomine, hospitium maturavit servi Dei, cum clamoris magnitudine eum evigilare coegit... 2.

Epilogus auctoris coævi.

38. Ardet signa et miracula animus stilo prosequi omnia, quæ relatione fidelium personarum, Dominici mediantibus meritis majestatis supernæ fuisse de Dei dignatione [didici] [1] patrata. Verum et omnis adimenda nimietas, et libro modus competens adhibendus, et lectoris est evitandum fastidium. Unde huc usque sufficiat fraternis nos vel annuisse precibus, vel præceptionibus obsecutos digitis [2] currentibus ceream hactenus stilo exarasse planitiem. Ista de Dominico litteris in posterorum sempiternam memoriam mandavisse sufficiat. Ad laudem et gloriam Trinitatis mirificantis sanctos suos, in eisque regnantis et inhabitantis in secula seculorum. Amen.

[1] *supplet ex* 2. — [2] digitisque 1, 2.

DOCUMENTA

DE

B. ODONE NOVARIENSI

ORDINIS CARTHUSIANI.

Die 31 Martii anni 1859 sancta Sedes ratum habuit confirmavitque cultum ab immemorabili præstitum B. Odoni, hoc dato decreto :

« Decretum. Ordinis Carthusiani confirmationis cultus servo Dei Odoni » Novariensi sacerdoti ordinis Carthusianorum, beato nuncupato.

» Quum R. P. Basilius Nyel, sacerdos et postulator causarum beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum ordinis Carthusianorum, » existimaverit validis monumentis demonstrare se posse Dei servum » Odonem Novariensem ejusdem ordinis sacerdotem ab immemorabili tempore ad præsentem ætatem semper obtinuisse publicum ecclesiasticum » cultum, petiit et obtinuit ut in ordinariis comitiis sacrorum Rituum » Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis ab Emo et Rmo D. » Cardinali Constantino Patrizi episcopo Albanensi sacrorum Rituum » Congregationi præfecto sequens dubium proponeretur : An constet de » cultu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore præstito prædicto » servo Dei, seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani papæ VIII.

» Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus præpositi, exhibitis » monumentis accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Andrea Maria Frattini sanctæ fidei promotore, rescribendum censuerunt : » Constare de casu excepto. Die 26 Martii 1859.

» De præmissis facta postmodum a subscripto secretario sanctissimo » Domino Nostro Pio papæ IX relatione, Sanctitas Sua sententiam sacræ » Congregationis ratam habens, apostolica auctoritate sua confirmavit » cultum publicum ecclesiasticum ab immemorabili tempore præstitum » beato Odoni Novariensi sacerdoti ordinis Carthusiani. Die 31 ejusdem » mensis et anni.

C. episcopus Albanensis card. Patrizi S. R. C. præfectus.
H. Capalti S. R. C. secretarius. »

De B. Odone, cujus ita meminit (1) Richardus a S. Germano ad annum 1239: « Mense Madii in Marsia aput Tallacozum quidam sanctus Oddo revelatur, qui miraculis multis claruit, » in *Actis Sanctorum* actum est ad diem 14 Januarii; sed, documentis primigeniis deficientibus, necessitate coactus, quæ Bzovius de B. Odone scripserat, Bollandus in sua transtulit. Postea tamen missa sunt decessoribus nostris apographa duo Processus in vitam et miracula dicti beati, qui ex mandato Gregorii IX a judicibus delegatis, Machabæo abbate de Turano Reatinæ et Petro custode Fratrum Minorum Marsicanæ diœcesis institutus est. Quorum alterum originem habet ex manuscriptis bibliothecæ Constantini (2) Cajetani Romæ tunc extantibus in collegio Benedictino S. Gregorii; alterum, quod patet ex subscriptionibus et sigillo appositis, Talleacotii descriptum est ac authentice recognitum 15 Septembris 1685. Horum quidem ope ipsum processum Analectis nostris inserendum duximus, non tantum quia ad beati viri vitam ac miracula illustranda istud documentum ceteris omnibus præstat, sed etiam quia propter varietatem personarum quarum ævo secuturo certam memoriam tradidit, studentibus rebus Italicis nonnihil utilitatis conferre poterit.

APOGRAPHUM PROCESSUS INFORMATIONIS CIRCA VITAM, MORTEM, TRANSLATIONEM ET MIRACULA B. ODONIS CUJUS CORPUS REQUIESCIT IN ECCLESIA SS. COSMÆ ET DAMIANI, TALLEACOTII.

In nomine Dei æterni. Amen.

Sanctissimo patri et domino Gregorio, Dei gratia summo pontifici, Machabæus, humilis abbas Sancti Martini de Turano Reatinæ diœcesis, et frater Petrus, custos Fratrum Minorum in custodia Marsicanæ diœcesis, devotionem omnimodam et terram ante sanctissimos[1] V. B. [pedes cupientes] genibus flexis osculari. A Sanctitate Vestra litteras recepimus in hac forma: « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis » filiis, abbati de Turano Reatinæ, et Fratri Petro, custodi » Fratrum Minorum Marsicanæ diœcesis, salutem et apo-

Remissorialis epistola Gregorii IX anni 1240.

[1] *supplet. et corr. ex altero apographo quod signamus numero* 2, *apographum authenticum signantes numero* 1. — sanctissimis 1.

(1) In *Chronica* edita a Pertz inter *Monum. Germ. Hist.*, Script. tom. XIX, et ante ab Ughelli in *Italia sacra* (ed. Coleti, t. X). — (2) Vide supra, pag. 279.

» stolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fide dignorum » relatione pervenit quod per merita quondam Odonis, mona- » chi Carthusiensis, cujus corpus in monasterio SS. Cosmæ et » Damiani de Taliacotio [1] Marsicanæ diœcesis requiescit, Do- » minus Jesus Christus multa et magna operatus hactenus » miracula extitit, et etiam nuper ostendere in sui est corporis » translatione dignatus. Quapropter cum viri tanti memoria » non debeat apud homines deperire, Nos super hoc plenius » certificari volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta » mandamus quatenus habentes præ oculis solum Deum, in- » quiratis de vita ipsius et super præmissis diligentius verita- » tem, et quæ inveneritis fideliter in scriptis redigentes, au- » thenticis sub sigillis vestris, apud aliquem religiosum locum » eadem deponatis, ad sedem apostolicam nullatenus trans- » missuri, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis spe- » ciale. Datum Laterani, IV Idus Decembris, pontificatus nostri » anno XIII, » etc. Nos autem mandatum apostolicum exequi volentes, et tam pio operi devotum impendere famulatum, accessimus ad ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, et adhibitis nobiscum viris providis et discretis, videlicet abbate de Sorbo, venerabili viro, et duobus Fratribus Minoribus, scilicet presbytero Gregorio de Rocca de Silice et diacono Joanne de Castro Veteri, et duobus tabellionibus, videlicet magistro Petro et Joanne Danielis de Colleficato, quorum omnium subscriptiones et signa inferius adnotantur, testes quos ibidem invenimus, super vita, conversatione, actibus, obitu et miraculis illius sancti Patris, quæ Deus per ejus merita in vita ipsius beati viri dignatus est et nunc nostris temporibus revelare, licet moderna satis sint, ex ipsa novitate fragrantia [2], jurare fecimus, et juratos examinavimus diligenter; quorum dicta in duobus scriptis consimilibus redigi [3] fecimus, dictorum tabellionum signis et subscriptionibus subsignata, et tam nostris quam tabellionum quos nobiscum adhibuimus, munita subscriptionibus et consignata sigillis ad memoriam, in duobus monasteriis, scilicet unum in monasterio Sublacensi [4], et aliud in monasterio S. Pauli de Urbe, reponi feci-

[1] *modo ita, modo* Taliacozzo, cozo l. — [2] flagrantia l. — [3] redegi l. — [4] Sublacense l.

mus, ne aliqua possit inseri falsitatis elusio, apostolico, cum placuerit, conspectui præsentanda, relinquentes nihilominus unum consimile scriptum in monasterio ubi corpus ejus sanctissimum requiescit. Quorum dicta hæc sunt:

Testis I. In primis domnus Richardus episcopus Triventinus, adjuratus per virtutem Spiritus sancti, positis coram eo sacrosanctis evangeliis, dixit se vidisse sanctum Odonem, de cujus vita et miraculis quæritur, virum timoratum, pudicum et castum, jejuniis, vigiliis et orationibus die noctuque humiliter insistentem, vestimentis laneis et asperis indutum, in cellula parvula assidue residentem, de qua raro, nisi causa orationis, exibat; et ecclesiam audito signo semper intrabat; Deum gemitibus exorabat et lacrymis; et omnes quos aliquando videbat, in Dei servitio animabat; divinos libros sæpe legebat; manibus suis, quia senex erat, ne otiositas[1] illum impediret, in cellula residens, prout poterat laborabat. De religione Carthusiensi, sicut idem sanctus eidem episcopo et pluribus aliis hominibus sæpe narravit, extitit professus; et electus, sicut idem asserebat, fuit in abbatem in quodam monasterio de provincia Sclavoniæ de civitate Thaderæ (nomen cujus monasterii dixit se non recordari), et ibidem accedens dictus beatus Odo, a quodam episcopo illius provinciæ, sicut ipse dicebat, opprobria multa sustinuit. Tandem cum eidem resistere non posset amplius, ad curiam properavit, oneri et honori cessit, tempore felicis memoriæ Dni papæ Clementis. Et sic a curia recedens, casu ad monasterium SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio devenit, et ibidem a quadam religiosissima et pia domina, nomine Aduhisia[2], ejusdem monasterii abbatissa, valde sene, hospitio receptus fuit. Qui ibidem aliquanto tempore degens, ad alia loca demigrare volebat. Quæ domina cernens tantum virum, honestum, pium et castum, et propter ipsius puritatem suo monasterio plurimum opportunum, precibus humillimis tamdiu apud ipsum monasterium retinuit quamdiu ad dominum papam Clementem nepotem suum Bernardum de Taliacotio direxit, et per eumdem, ut audivit dictus episcopus, litteras licentiæ ibidem persistendi beatum Odonem, impetravit a dicto Dno papa Clemente, et sic

[1] otiosietas 1. — [2] Adhuisa *et sic deinceps* 2.

tempore vitæ suæ juste et pie vivendo in monasterio prædicto glorioso fine quievit.

Archipresbyter Oderisius, de Taliacotio, juratus et interrogatus de vita, conversatione, actibus, obitu et miraculis illius B. Odonis, dixit se vidisse et audivisse beatum Odonem, de cujus vita et miraculis quæritur, senem presbyterum in habitu monachali, venientem a Romana curia, ut dicebat. Interrogatus quot annorum poterat esse, dixit quod credebat eum esse quasi centum annorum. Interrogatus qualiter sciret quod esset presbyter, dixit quod cum declinasset ad monasterium SS. Cosmæ et Damiani dictus B. Odo, vidit eum ipse testis missam ibi pluries celebrare. Dixit etiam idem testis quod dicto monasterio tunc præerat quædam abbatissa valde senex et Deo devota, nomine Aduhisia, quæ cernens hominem esse venerandæ senectutis, eum benigne suscepit. Et cum quæreretur ab eo quis esset et unde venisset, dixit se esse monachum de ordine Carthusiensi, et venire a Romana curia pro facto monasterii sui. Terram nativitatis suæ dixit fuisse Novariam. Monasterium cui præfuerat, dixit quod erat in Sclavonia, de civitate Thaderæ, cui renuntiaverat in manu papæ Clementis fel. mem., pro eo quod oppressionem quæ fiebat ei per diocesanum suum, non poterat sustinere, nec pro monasterio ipso a Dno Papa impetrare potuerat quæ credebat. Qui cum dies aliquot moraretur in dicto monasterio SS. Cosmæ et Damiani, et recreatus a labore inde vellet recedere, abbatissa prædicta, videns virum totum servitio divino deditum, cœpit rogare illum ut a loco illo non discederet, promittens ei facere omnem habilitatem qualiter posset in ipso loco Domino servire. Qui cum negaret instanter, dicens se non posse extra suum monasterium permanere, dicta abbatissa promisit ei super hoc a Papa licentiam impetrare. Interrogatus qualiter sciret prædicta, dixit quod vidit, audivit et interfuit. Dixit insuper idem testis quod dicta abbatissa misit ad Dnum papam Clementem, cujus erat consanguinea, nobilem virum Dnum Bernardum de Taliacotio, nepotem suum, et eidem B. Odoni remanendi et commorandi ibidem licentiam a Dno papa Clemente impetravit. Quas litteras dixit idem testis se vidisse et legi audivisse; tenorem vero litterarum illarum propter longum tempus non recordaba-

Testis II.

tur. Interrogatus si erant sigillatæ litteræ illæ, dixit quod erant sigillatæ sigillo plumbeo. Interrogatus de forma sigilli, dixit quod non recordabatur, propter longum tempus. Interrogatus de tempore, dixit quod erant plus quadraginta anni, tempore Dni papæ Clementis. Interrogatus quantum plus, dixit quod non recordabatur.

Dixit etiam idem testis quod post hæc dicta abbatissa fecit eidem B. Odoni fieri quamdam parvam cellulam in latere monasterii, ubi fecit sibi vir sanctus lectum de sarmentis et fascis, in quo jacebat, cilicio semper indutus; et numquam a cellula illa exibat, nisi cum ibat ad ecclesiam orationis causa; et jejuniis et vigiliis plurimis corpus suum commacerans, orationibus continuis insistebat; et omnes euntes ad eum monebat et animabat in bono, quia homo valde litteratus erat. Et sic in eodem monasterio usque ad ætatem præscriptam permanens, carnem non comedit, sed feliciter migravit ad Dominum. Interrogatus qualiter sciret prædicta, dixit quod vidit, audivit, et interfuit supradictis, quia erat proximus ei. De obitu quidem dixit quod interfuit, et vidit quando migravit. Et cum jaceret in prædicto strato, indutus cilicio in dicta cellula, jam in morte constitutus, cœpit dicere: *Expecta me, Domine; ecce ad te venio.* Et cum quæreretur a circumstantibus cui diceret, respondit: *Jam enim Regem meum video; jam in conspectu ejus assisto.* Interrogatus quis fuit ille qui interrogavit eum cui diceret dicta verba, dixit quod ipse testis et presbyter Nicolaus Egidii. Et cum prædicta verba dixisset B. Odo, quasi si quis manum porrigeret, totum se de dicto strato erexit, et sic manibus ad cœlum extensis, migravit ad Dominum. Interrogatus de tempore, mense et die quando migravit, dixit quod de die et tempore non recordabatur; de mense dixit quod migravit de mense Januarii, in festo S. Mauri. Dixit etiam idem testis quod patrinus B. Odonis, scilicet presbyter Nicolaus Egidii, dixit sibi quod dictus vir sanctus dixerat ei in confessione sua quod aliquando carnis pollutionem non habuit. Dixit præterea dictus archipresbyter quod beatus Odo pridie ante prædixerat obitum suum, dicens: *Cras migrabo ad Dominum.* Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, audivit et interfuit, et in die quam prædixerat, expiravit.

Interrogatus de miraculis, si qua fecit in vita, dixit quod ipse testis vidit quemdam nomine Silvaticum, dolorem amicraneæ continuum patientem, qui cum a medicis per multa tempora sanari non posset, tandem accessit ad virum Dei Odonem et petiit ab eo infirmitatis suæ medelam, supplicans ut pro eo Dominum exoraret, quod capitis sui infirmitas sanaretur. Cui sanctus quasi ironice commotus inquit : *Quid me tentas, frater, hominem peccatorem, putridam carnem gerentem ? Recede a me : sanet te Christus, Filius Dei vivi.* Et hæc dicens cœpit valde lacrimare, et sic homo adeo sanus effectus est, quod usque ad obitum suum capitis sui molestiam non persensit. Interrogatus de scientia, dixit quod vidit, audivit, et interfuit supradictis, et hominem bene cognovit qui liberatus erat, quia intimus suus erat, et viderat eum infirmitatem prædictam per multa tempora patientem, et postmodum vidit eum sanum usque ad obitum suum, et de illa ægritudine dicentem se esse per sancti viri Odonis merita liberatum. Et hoc fuit in cellula in qua sedebat, præsentibus presbyteris Nicolao Egidii et aliis pluribus, quorum nomina non recordabatur. Interrogatus de tempore, die et hora, dixit quod propter longum tempus non recordabatur. Dixit etiam quod ille qui sanus effectus fuerat, erat senex et staturæ mediocris ; colorem ejus non recolebat propter temporis vetustatem.

Interrogatus de revelatione modo habita et translatione corporis sui, dixit quod cum [1] B. Odo inter alios fuisset sepultus et ibidem usque ad hæc tempora quievisset, dictus sanctus apparuit ipsi testi in visione nocturna, et præcepit ei quod diceret abbatissæ loci ut ejus corpus inde amoveri faceret, et prope altare in ipsa ecclesia sepeliret. Et cum crederet ipse testis illusionem phantasticam esse, apparuit ei cum magna claritate secundo et tertio, mandans et præcipiens illud idem. Qui cum abbatissæ dictæ visionem narrasset, dicta abbatissa, congregato clero et populo castri, fecit B. Odonis tumulum aperire. Cujus corpus ibidem inventum est adeo integrum quod nec capilli capitis reciderant ; nec multum erat ejus facies immutata, sed totum integrum corpus cum carne et ossibus

[1] in atrio monasterii supradicti *add.* 2.

inventum fuit ibidem ; et involutum pluviali reverenter fuit per clericos in ecclesiam deportatum. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, audivit, et interfuit omnibus supradictis. Interrogatus de tempore, dixit quod dicta translatio facta fuit de anno proximo præterito, mense Aprilis. Interrogatus de die, dixit quod die Dominico, octava Paschæ Resurrectionis.

Dixit insuper idem testis quod ex quo fuit illud sanctum corpus in ecclesiam deportatum, statim cœpit divina potentia ad invocationem nominis B. Odonis plurima et magna miracula demonstrare ; ita quod ipse testis vidit filiam cujusdam ferrarii de Taliacotio, nomine Florentiam, patientem in oculo quoddam malum et maculam, quæ medicorum remediis non potuerat liberari ; et ad invocationem nominis B. Odonis, digito ipsius sancti super oculo imposito, sanum illum recepit ex toto. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, audivit et interfuit.

Dixit etiam se vidisse quemdam juvenem de Taliacotio, nomine Rainaldum, filium cujusdam militis nomine Jacobi, per tres annos gravi infirmitate detentum, tumidam scilicet habentem faciem, et mente perditum, domum exire nolentem, neminem videre vel audire potentem. Dormire non poterat, nec opus aliquod exercere. Et cum deductus esset ad locum ubi corpus B. Odonis translatum erat, ad invocationem ipsius sanctissimi Patris integre restitutus fuit ad omnia, ita quod deinde sanus et hilaris fuit. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani, ante sepulcrum beati Odonis. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur.

Dixit insuper se vidisse postea quamdam mulierem de Tibure, nomine Mariam, a dæmonio vexari, et dicentem se fuisse obsessam ab eodem per decem et octo annos : quam meritis B. Odonis coram ejus tumulo præsentatam vidit exinde liberatam.

Dixit etiam idem testis se vidisse quamdam mulierem de Cantio, nomine Mariam, contractam manibus, quæ dicebat per multos annos fuisse contractam. Præsentata ante sepulcrum B. Odonis et ibi per duos dies morante devote, meritis ipsius B. Odonis liberata recessit. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam prius patientem et postea liberatam.

Dixit etiam quod vidit quamdam puellam de Taliacotio, filiam Berardi Natalissimi, diu contractam fuisse et omnibus

viribus a clunibus inferius destitutam, et deportari ad tumulum B. Odonis. Quam ad invocationem ejus nominis statim vidit liberatam. Interrogatus qualiter sciret omnia prædicta, dixit quod omnia prædicta vidit et audivit, et interfuit. Interrogatus de tempore, dixit quod dictæ mulieres liberatæ fuerunt hoc præsenti anno. Interrogatus de mense, dixit quod mense Aprilis proximo præterito. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur ; sciebat tamen quod dicta miracula fuerunt infra quindecim dies post translationem B. Odonis [1].

Presbyter Joannes, canonicus ecclesiæ S. Leucii de Marano, juratus et interrogatus de vita, conversatione, obitu, translatione et miraculis B. Odonis, dixit se vidisse et audivisse dictum B. Odonem, senem quasi centum annorum existentem in monasterio SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, indutum vestimentis laneis albis et asperis, et habentem desuper cilicium, et esse virum honestum, pudicum, pium et castum, humilem et quietum, Domino jejuniis et orationibus famulantem. Et vidit eum morari in cellula, juxta monasterium memoratum, in qua habebat lectum ligneum in modum cratis cum sarmentis. Et vidit et audivit quod animabat dictus B. Odo abbatissam ipsius monasterii, nomine Adhiusiam, senem, et alios qui accedebant ad eum, ad opera misericordiæ facienda. Dixit etiam ipse testis quod vidit litteras Dni papæ Clementis fel. memoriæ, sigillo plumbeo sigillatas, in quibus continebatur quod de licentia dicti Dni papæ Clementis idem B. Odo in dicto monasterio moraretur, et sic de licentia ibidem permansit usque in finem. Testis III.

Oderisius Guaracleius, de Alto S. Mariæ, juratus et interrogatus, dixit se diu fuisse privatum lumine oculorum et passum dolorem capitis. Qui cum nullo medicorum potuisset remedio liberari, licet a pluribus auxilium implorasset, et medicamentis variis fuisset usus, tandem ductus ad corpus B. Odonis et ejus manu deducta per oculos suos et caput, confestim restitutus fuit lumine oculorum, et dolore capitis liberatus. Interrogatus de tempore, dixit quod fuit hoc præsenti anno, proximo præterito mense Aprilis. De die non recordabatur. Testis IV.

[1] Interrogatus de loco, dixit quod in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, ante corpus B. Odonis *add.* 2.

Testis V. Dominus Bonaventura, de Taliacotio, juratus et interrogatus, dixit se vidisse B. Odonem, senem quasi centum annorum, existentem in monasterio SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, humilem, quietum, pium et castum, indutum pannis laneis albis et asperis, jejuniis et orationibus Deo servientem et exhortantem quos poterat, Domino famulari. Et ipse testis ibat multoties cum patre suo, domino Bernardo de Taliacotio, ex devotione, tamquam ad sanctum virum, et audibat sæpe prædicari ab eo. Dixit etiam quod dictus beatus Odo existebat prope dictum monasterium in cellula parva, de qua non exibat nisi cum intrabat ecclesiam causa orationis. Interrogatus quanto tempore viderit eum, dixit se non recordari. Interrogatus si dictus B. Odo fuit mortuus in dicto monasterio, dixit quod sic. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod tempore resolutionis [1] suæ factus est clamor populi in Taliacotio quod mortuus esset servus Dei Odo in monasterio memorato, et omnes concurrebant ad exequias ejus ibidem. Interrogatus de die et tempore, dixit quod non recordabatur.

De miraculis post translationem dixit quod vidit quemdam, Raynaldum nomine, filium cujusdam Jacobi, de Taliacotio, per tres annos gravi infirmitate detentum, mente videlicet perditum, et tumidam faciem habentem, domum exire nolentem, neminem videre vel audire potentem. Dormire non poterat, nec opus aliquod exercere. Et postquam deductus fuit ad corpus B. Odonis, meritis ipsius sancti integre fuit restitutus ad omnia, et quod ex tunc sanus extitit, et est modo. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod ipse interfuit, et duxit eum quando liberatus fuit.

Dixit etiam quod [vidit] [2] quamdam puellam, filiam Berardi Natalissimi, de Taliacotio, deportari ibidem, quæ dicebatur esse clauda, quam vidit illico liberatam, et per ecclesiam ambulantem libere. Interrogatus de tempore, dixit quod hoc anno præsenti, proximo præterito mense Aprilis. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur. Dixit insuper quod vidit integrum corpus B. Odonis tempore translationis ejus.

Testis VI. Blasius levita, juratus et interrogatus, dixit se interfuisse translationi B. Odonis, et vidisse corpus ejus integrum extrahi de sepulcro, et indutum pluviali per manus cleri de Taliacotio

[1] *ita* 2, translationis 1. — [2] *supplet. ex* 2.

deportari in ecclesiam et poni super altare S. Mariæ quod est in eadem ecclesia; et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis, in octava Paschæ Resurrectionis, de die Dominico. Et dum super eodem altari[1] jacebat corpus B. Odonis, dixit idem testis se vidisse deferri ibidem quamdam puellam, filiam Berardi Natalissimi, de Taliacotio, quæ erat contracta manibus et pedibus. Et dum aliquantulum jaceret ante ipsum altare dicta puella, vidit eam surgere idem testis et per ecclesiam in conspectu adstantium ambulare, et sanam reverti. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis, de die Dominico. Interrogatus si prius novisset puellam prædictam, dixit quod non. Interrogatus qui fuerunt præsentes quando liberata fuit, dixit quod Oderisius Tastorius [2], dominus Bonaventura et presbyter Berardus, et alii plures. De Raynaldo, filio dni Jacobi militis de Taliacotio, dixit idem quod dominus Bonaventura.

Dixit etiam ipse [3] testis quod vidit quemdam juvenem de Sancto Donato deportari per patrem suum ad corpus B. Odonis; qui erat claudus, et fuerat in asello delatus secundum relationem patris. Et cum jacuisset aliquamdiu ante corpus B. Odonis, vidit eum idem testis sic surgere sanum quod ipse [4] ambulabat per ecclesiam et extra, ipso vidente, cum cereo in manu accenso. Interrogatus de nomine juvenis, dixit quod non recordabatur. Interrogatus de tempore, dixit quod dicto mense Aprilis; de die non recordabatur.

Dixit præterea idem testis quod vidit quamdam puellam de Villa S. Benedicti, contractam et sic perditam quod per se moveri non poterat. Et vidit eam deportari et jactari ante corpus B. Odonis, et dum aliquamdiu jacuisset ibidem invocato B. Odone, vidit eam surgere et per ecclesiam ambulare prædictam; et per dies aliquot vidit eam per se ad ecclesiam reverti prædictam. Et hoc fuit dicto mense Aprilis; de die non recordabatur. Interrogatus de nomine puellæ, dixit se non recordari. Interrogatus de præsentibus, dixit quod non recordabatur, propter multitudinem.

Dixit insuper idem testis quod vidit quemdam puerum in fascia positum, manibus contractis, quas ipse testis vidit et

[1] altare l. — [2] *ita* (?) l. Tortonus 2. — [3] idem 2. — [4] per se 2.

tenuit, de Castro S. Michaelis, et vidit eum deferri ad corpus B. Odonis; et dum ibi paululum jacuisset, vidit eum liberatum, ita quod manus prius contractas in altum extendit in aspectu multorum. Interrogatus de nomine pueri, dixit quod quæsivit tunc, et scivit, sed non recordabatur. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Thomas de Podio, presbyter Joannes Gravinelli [1], Raynaldus Bonihominis, et alii plures. Interrogatus de tempore, dixit quod dicto mense Aprilis; de die non recordabatur.

Dixit etiam idem testis quod vidit quemdam de dicto Castro S. Michaelis, filium Bartholomei Joannis Porrei, nomine Theodorum [2], qui erat surdus, venire ad corpus B. Odonis ut sanaretur. Et jacuit ante corpus per diem unam; et die altera vidit eum liberatum, audientem et respondentem. Et vidit putredinem exire de auricula ejus quando liberatus fuit. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Joannes Gravinelli, presbyter Thomas de Podio et alii plures adstiterunt. Et hoc fuit dicto mense Aprilis; de die non recordabatur.

Dixit præterea ipse [3] testis quod vidit quamdam mulierem de Sorbo, nomine Mariam, contractam crure [4] et pede, calcaneo retorto usque ad nates, deferri in asino ad corpus B. Odonis. Quæ cum jacuisset ibi per diem et noctem, illiberata recessit. Sed post paucos dies vidit eam cum clero et populo illius villæ sanam venire, meritis B. Odonis, sicut ipsa dicebat, quia in somnis apparuerat sibi et sanaverat eam; et hoc fuit dicto mense Aprilis. Interrogatus cujus ætatis erat illa mulier, dixit quod erat sexdecim annorum. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod ipse testis est de eadem villa et eam bene novit. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Raynaldus Johannis Ayfredi, presbyter Johannes Bartholomei et alii plures adstiterunt.

Dixit insuper quod vidit quamdam mulierem de Tibure, nomine Mariam, a dæmone vexari in ecclesia prædicta ante sepulcrum B. Odonis, mordentem imagines et expuentem in eas; morantem ibi per aliquot dies. Quæ liberata fuit, et sana recessit meritis B. Odonis, sicut ipsa retulit et alii plures; et

[1] *ita scribit postea* 1; *prius sæpe* Guinelli. — [2] Theodinum 2. — [3] idem 2. — [4] *ita* 2. aure 1.

fuerat vexata per annos decem : sic [1] ipsa dixit et filius suus. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Bernardus, archipresbyter Oderisius, et alii plures.

Dixit etiam idem testis quod vidit quemdam de Vicovaro [2], nomine Petrum, a dæmonio vexari ad corpus B. Odonis. Et cum stetisset ibi per aliquot dies, extitit liberatus; qui dicebat se fuisse vexatum per tres annos. Interrogatus qualiter sciret quod esset liberatus, dixit quod vidit eum orantem et morantem ibi per tres dies nec a dæmonio vexari; et [3] ipsemet dicebat quod erat liberatus meritis B. Odonis. De tempore dixit quod fuit dicto mense Aprilis proximi præteriti vel sequenti Madio. De die non recordabatur. Interrogatus cujus ætatis esset infirmus, dixit quod credebat ipsum esse triginta annorum. Interrogatus qui erant præsentes, dixit quod presbyter Joannes Gravinelli et presbyter Joannes Inversi [4], et alii plures.

Item dixit quod vidit quamdam mulierem de territorio Celani a dæmonio vexari in dicta ecclesia, [5] ita quod in clamore ejus fugiebant adstantes; et cum appropinquasset ad corpus B. Odonis, confestim liberata fuit; quæ a pueritia vexata erat, sicut ipsa dicebat. Interrogatus cujus ætatis erat dicta mulier, dixit quod credebat eam esse triginta annorum. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit quod fuerunt Joannes de Celano, et Petrus de Taliacotio, et alii plures.

Aliud quoque miraculum dixit se vidisse, de quadam muliere de Collibus, nomine Theodora, quæ habebat collum tortum et caput reflexum ad spatulam; et, sicut ipsa referebat, hoc passa fuerat per duos annos, et præ dolore die noctuque clamabat. Quæ cum accederet ad corpus B. Odonis, invocato ejus auxilio liberata fuit. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam sic patientem, et ad corpus B. Odonis venientem, et dicentem cum aliquantulum moraretur ibi, se liberatam esse meritis beati Odonis. Et hoc fuit dicto mense Aprilis; de die non recordabatur. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Joannes Gravinelli, presbyter Joannes Inversi, domnus Clemens et alii plures.

[1] sicut 2. — [2] *postea* Vicovario 1. — [3] *ita* 2. ut 1. — [4] *ita postea* 1; *prius* Ju[s] si *et sic deinceps pluries* 1. — [5] *add.* contracta 1.

Aliud quoque miraculum dixit se vidisse de quodam juvene, filio Ægidii Lealis de Olerito, qui patiebatur morbum caducum ; et veniens ad corpus B. Odonis, extitit liberatus. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit dictum juvenem prædicto morbo prius laborare, et accessionem habere frequentem cum spuma plurima circa os, et vidit quod repræsentavit se corpori B. Odonis, et ejus meritis extitit liberatus. Et fuit hoc prædicto mense Aprilis; de die non recordabatur. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Joannes Gravinelli et presbyter Joannes Inversi adstiterunt.

Dixit insuper idem testis quod vidit quamdam mulierem viduam de Cargio, quæ habebat manus ambas contractas; et veniens ad sepulcrum B. Odonis, diutius oravit, et fuit liberata velociter. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam venientem contractis manibus, et orantem ante sepulcrum, et oratione perfecta sanata fuit. Interrogatus de præsentibus, dixit quod Raynaldus domini Jacobi, et abbas Nicolaus, et archipresbyter Oderisius adstiterunt. Et hoc fuit de die Jovis, dicti Aprilis.

Dixit denique idem testis se vidisse quamdam puellam, filiam domini Bernardi de Pilio, venientem ad corpus B. Odonis, referentem se infirmitatem pessimam passam fuisse, ita quod per tres dies amiserat loquelam et sensum ; et viderat B. Odonem in somnis dicentem sibi : *Vade ad casellulam quam habeo in Taliacotio, quia sanaberis ex toto* ; et extracto annulo quem habebat in digito suo, signavit eam signo crucis cum eodem annulo, et sic excitata surrexit, et melius se habebat. Postmodum venit ad locum ubi corpus B. Odonis jacebat, et videns corpus sanctissimi patris reverenter ipsum adoravit, et intuens manus ejusdem sancti, vidit annulum in digito ejus, quo signaverat ipsam in somnis, quem recognovit, referens gratias Deo et corpori sancto, statim ex toto liberata surrexit. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit dictam puellam talia referentem, cum venit ad corpus ipsius sancti adhuc infirma, et vidit quod ex toto sana recessit. Et hoc fuit proximo præterito mense Madii ; de die non recordabatur. Dixit etiam idem testis quod quando discooperiebatur sepulcrum B. Odonis, odor suavissimus emanavit. Quo discooperto, inventa fuit ad caput ejus quædam crux parvula, lignea, et integra.

(*) Nicolaus Blasii, juratus et interrogatus, dixit se interfuisse translationi beati Odonis cum clero et populo [1] de Taliacotio. Et cum laici niterentur aperire sepulcrum cum instrumentis ligneis et ferreis, ipsum aperire non potuerunt, donec venirent clerici parati crucibus, thuribulis et aqua benedicta; qui cum adolevissent, sepulcrum ipsum sine difficultate aperuerunt; et discooperto, odor suavissimus ex eo fragravit [2], et ejus corpus invenerunt, et crucem, et tulerunt sicut levita Blasius dixit. Interrogatus de miraculis, dixit quod, cum ipse testis pateretur scrofulam [3] in gutture, superimposita sibi manu B. Odonis et cruce quæ inventa fuit ad caput ejus, statim liberatus fuit. De Rainaldo filio Dni Jacobi militis de Taliacotio dixit idem quod Dnus Bonaventura. De filia Berardi Natalissimi dixit idem quod levita Blasius. De muliere de Tibure... addidit quod vidit eam deportari in chlamide [4] ad corpus B. Odonis, et audivit illam clamantem et dicentem ei: *Senex, cur me affligis?* De filio Bartholomei Joannis Porrei (1) dixit idem... præter quod non vidit putredinem exire de aure ejus... Item dixit quod vidit quamdam mulierem de Vicovario, nomine Mariam, a dæmonio vexari in dicta ecclesia SS. Cosmæ et Damiani; quæ venerat ad corpus B. Odonis, et cum repræsentaret se corpori sancto, liberata fuit, evomendo sanguinem nigrum ante

Testis VII.

[1] *ita* 2. et proprio 1. — [2] flagravit 1. — [3] scrufulam 1. — [4] clamide 1.

(*) *Omittemus deinceps fere semper confirmationes superiorum testimoniorum, ponendo quædam puncta loco* dixit idem quod, *etc. Omittemus eodem modo solitas formulas interrogandi, immo et responsa ubi nihil novi sive quoad personas sive quoad res affertur.*

Præterea hanc alteram partem Processus, quoniam minoris momenti est, minoribus characteribus excudi posse duximus.

(1) *Etsi apographum principale quo utimur in edendo hoc Processu, authentice recognitum fuerit (vide* pag. 353*), variat tamen sæpe in eo ratio scribendi nomina personarum et locorum pro varietate et aliquando pro libitu, ut videtur, quatuor amanuensium, qui singuli partem aliquam hujus apographi 1 descripserunt.*

Prima manus scripsit ab initio usque ad testimonium V medium.

Altera prosecuta usque ad	testimonium	VIII exclus.,
dein a	testimon.	LXXVII init. — ad finem.
Tertia manus scripsit a	testimon.	VIII — XIII exclus.,
et a	testimon.	XL medio — LXXVII init.
Quarta denique a	testimonio	XIII — LX medium.

Nomen Porrei *quod rursus sic exhibetur a secunda manu (cf. supra,* Testis VI*), scribetur mox* Perrei *a tertia manu. Neque circa nomina ullum fere lumen præbet apogr. 2, quandoquidem librarius, quisquis ille fuit, qui illud transsumpsit ex collectaneis Constantini cardinalis Cajetani, dum erant adhuc apud monachos Benedictinos in collegio S. Gregorii Romæ, ut in præfatione monuimus, sæpe vel omittit nomina, nimis compendiario testimonia contrahens, vel nimis incuriose ipsa nomina legit.*

ipsum corpus... proximo præterito mense Aprilis. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur.

Testis VIII. Raynaldus Bonihominis, clericus, j. et int. de translatione B. Odonis, dixit idem quod Nicolaus Blasii. Interrogatus quis tulit corpus de sepulcro in translatione, dixit quod abbas de Sorbo, archipresbyter Oderisius et presbyter Berardus[1] et ipse testis. De filia Berardi Natalissimi... addidit quod nomen puellæ fuerat Florentia, et quod vidit eam prius contractam... De puella de Villa S. Benedicti... addidit quod ipse testis recepit eam ad sepulcrum. De præsentibus interrogatus, dixit quod presbyter Joannes B...[2] et frater dictæ puellæ, et alii plures.

Item dixit quod vidit quemdam de Alto S. Mariæ venire contractum ad corpus B. Odonis, sustentatum baculis ex utraque parte; et cum repræsentaret se corpori B. Odonis, confestim fuit liberatus, ita quod ibidem dimisit baculos et recessit gaudens sine aliquo adminiculo. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, audivit et interfuit. Interrogatus de præsentibus, dixit quod presbyter Joannes Inversi et Blasius adstiterunt ibidem. De juvene de S. Donato dixit idem quod levita Blasius. Interrogatus de præsentibus, dixit quod Jacobus Raynaldus et alli plures. De juvene Castri S. Michaelis dixit idem quod levita Blasius, præter quod non vidit putredinem exire de aure ejus. De præsentibus interrogatus, dixit quod presbyter Thomas de Podio, domnus Nicolaus de Sorbo et alii plures.

Item dixit quod vidit quemdam hominem de Rocca Elici venientem ad corpus B. Odonis; qui erat surdus, et aliquantulum morando ibi, recepit auditum. Interrogatus qualiter sciret quod fuerat surdus, dixit quod ipse testis oretenus loquebatur ei et clamabat, et ille non respondebat ad aliquod verbum. Interrogatus qualiter sciret quod liberatus esset, dixit quod postquam repræsentavit se corpori, vocavit eum ipse testis et loquebatur cum eo, et ille respondebat ad singula, asserens se liberatum esse meritis B. Odonis. Interrogatus qui erant præsentes, dixit quod abbas de Sorbo et presbyter Joannes Gravinelli. Et hoc dixit fuisse hoc præsenti anno, mense Aprilis vel Maii proximo præterito; de die non recordabatur.

Item dixit se vidisse quemdam juvenem de Colle de Macinis habentem manum contractam; et cum repræsentaret se corpori B. Odonis, extitit liberatus. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit manum illius prius contractam ad brachium, et postea vidit eum habentem extensam meritis dicti sancti.

Item dixit quod vidit quemdam cæcum de Sublacu venire ad corpus B. Odonis; qui cum repræsentaret se corpori sancto, et aliquan-

[1] *ita* 2. Bu^s 1. — [2] Besī *vel forsan* Bc̄ti *pro* Benedicti 1.

tulum moraretur ibidem invocato nomine B. Odonis, visum recepit et oculos, et sine ducatu recessit. Interrogatus de præsentibus, dixit quod judex Candolfus [1] et Joannes Beraccanus, et alii plures. De muliere de Tibure... addidit quod in liberatione illius extinctæ fuere sex lampades coram sepulcro, præsentibus abbate de Sorbo et levita Blasio.

Item dixit quod ipse testis fuerat passus a tempore recordationis suæ quemdam morbum in sinistro brachio, de quo sanies in tantum exibat quod omnes pannos diurnos et nocturnos dissipabat. Qui cum nullo potuisset medicorum remedio liberari, devovit se B. Odoni et repræsentavit se corpori ejus, supponens brachium corpori sancto, et statim liberatus fuit.

Presbyter Raynaldus, rector ecclesiæ S. Joannis de Petrella, j. et int. dixit quod vidit B. Odonem bonæ conversationis, commorantem in cellula juxta monasterium SS. Cosmæ et Damiani, in habitu monachali, indutum pannis albis laneis, et cilicium subter[2] habentem et cucullam desuper. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, quia frequenter mittebatur ad eum ipse testis a quodam avunculo suo. Dixit etiam quod dictus vir semper moratus fuit in dicto monasterio usque ad obitum suum ; et ipse interfuit quando migravit, et sperabantur etiam miracula per eum fieri, pro conversatione sanctissimæ vitæ suæ, quia artam vitam duxerat. Carnes etiam non comedit neque sagimen, in vigiliis et orationibus semper vivendo. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit. Interrogatus de tempore transmigrationis suæ, dixit quod sunt quadraginta anni et plus. Testis IX.

Joannes Thomæ, j. et int. de translatione B. Odonis, dixit idem quod Raynaldus Bonihominis, præter de archipresbytero Oderisio, quem non dixit tulisse corpus cum aliis... Testis X.

Item dixit se vidisse quemdam de Taliacotio, nomine Joannem Girardi, qui amiserat visum unius oculi, ut dicebat; et per merita B. Odonis dicebat se liberatum esse.

Item dixit quod vidit quemdam de Interocro a dæmonio vexari in monasterio supradicto; et cum repræsentasset se corpori B. Odonis, fuit liberatus, ut ipse dicebat.

Presbyter Joannes Inversi[3], j. et int. dixit quod vidit uxorem cujusdam ferrarii de Taliacotio nomine Ray.[naldi] Gualdor.. [4] deferentem Testis XI.

[1] *eadem manus mox* Candulfus (T. XII). — [2] *hinc jam certum est legendum esse supra* (Testis III) desubter cilicium, *non* desuper, *quod sumpseramus ex* 2; *habebat autem* desupter 1. — [3] *ita etiam ubique* 2. — [4] Rainaldum 2. *Postea* (Testis XXIX, XXX) 4ª *manus scribit perspicue* Rainaldi Gualdonis. *Hic 3ª manus* Ray. Gualdor̃9 *quod accipi vix potest, nisi dicendum sit* Gualdor... *nihil aliud fuisse in autographo quam* naldi. *Nota ferrarium* (testem LXIV) *suo loco vocari* Rainaldum *sine addito.*

quamdam puellam, filiam suam nomine Florentiam, ad corpus B. Odonis, quæ amiserat lumen unius oculi ex quodam morbo quem patiebatur in eo; et idem testis digito sancti Odonis signavit oculum illius puellæ signo crucis, et sic meritis beati Odonis liberata fuit in continenti... De Joanne Girardi dixit quod, cum esset privatus lumine unius oculi et diffisus consilio medicorum, beati Odonis meritis dixit postea se visum recepisse; et ipse testis expertus fuit quod visum receperat idem Joannes...

Item dixit quod vidit quemdam insanum seu maniacum de Tufo deductum fuisse ad sepulcrum beati Odonis ligatum manibus et pedibus; et cum stetisset ibi per octo dies, parum aut nihil comedens, liberatus fuit, ita quod recessit ad propria sanus. Et iterum reversus est ad ecclesiam prædictam cum clero et populo illius castri, ad reddendum laudes Deo et sancto corpori pro sanitate recepta... De puero Sancti Michaelis... addidit quod puer ille fuerat contractus manibus et pedibus; et ipse testis obtulit eum corpori sancto quando liberatus fuit.

Item dixit se vidisse uxorem Benedicti Pagani, de Taliacotio, nomine Amabilem, quæ erat privata lumine oculorum; et deducta ad corpus B. Odonis, et statim lumen recepit...

Testis XII. Presbyter Joannes Gravinelli, j. et int. dixit quod facta translatione beati Odonis vidit corpus ejus integrum in monasterio memorato. De muliere dæmoniaca de Tibure... addidit quod pluries et turpiter vomendo sanata fuit, et liberata a pluribus dæmoniis, sicut ipsa dicebat; et clamabat præsentibus Blasio, judice Candolfo et pluribus aliis...

Item dixit quod vidit quemdam de Alto Sanctæ Mariæ, Oderisium nomine, venientem ad tumulum B. Odonis; qui erat privatus lumine oculorum, et emicraneum dolorem patiebatur in capite, sicut ipse testis fuit expertus. Et cum per aliquot dies ibi moram pertraheret, visum recuperavit et a dolore emicraneo fuit liberatus, invocato nomine B. Odonis. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis; de die non recordabatur. Interrogatus de præsentibus, dixit quod abbas de Sorbo, levita Blasius et alii plures adstiterunt. De loco, dixit quod fuit in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani ante tumulum beati Odonis.

... De filio Bartholomei Joannis Perrei, qui surdus fuerat,... addidit quod juvenis ille vocabatur Theodorus; et ipse testis posuit crucem quæ inventa fuerat ad caput B. Odonis, super auriculam juvenis : qua superposita, statim audivit. De homine surdo de Rocca Elici... addidit quod postquam auditum receperat... iterum venit cum pluribus ad corpus B. Odonis cum oblationibus et laudes Domino decantando. Interrogatus de præsentibus, dixit quod abbas de Sorbo, presbyter Joannes Inversi et alii plures adstiterunt.

Item dixit quod vidit quemdam militem de Luculo, nomine Rogerium, qui, sicut ille dicebat et ipse testis fuit expertus, longo tempore surdus extiterat, venire ad corpus B. Odonis magna cum devotione; et ibi aliquantulum moram contrahens, imposita cruce quæ fuerat inventa ad caput B. Odonis, super auribus ejus, auditum statim plene recepit. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis post translationem B. Odonis, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, ante corpus B. Odonis; de die non recordabatur. Præsentes fuerunt abbas de Sorbo, presbyter Joannes Inversi et alii plures.

Item dixit se vidisse quamdam puellam de Pontibus delatam esse ad corpus beati Odonis, quæ erat contracta a cruribus [1] usque ad talos et vitio fistulæ laborabat, sicut ipsa et pater ejus dicebant. Et moram contrahens ibi per aliquot dies, fuit a dictis languoribus liberata, ita quod quæ prius ambulare non potuerat, sed ab aliis portabatur, ambulavit postmodum suis pedibus, asserens se firmiter esse ab infirmitate prius habita liberatam. Et hoc fuit dicto mense, præsentibus supradictis. De juvene de Olerito... addidit quod ille juvenis vocabatur Petrus, et pater ejus Egidius Lealis [2]. De homine contracto de Alto S. Mariæ... addidit quod homo ille vocabatur Oderisius...

Item dixit se vidisse quemdam hominem de Penna, qui ex quadam ægritudine effectus erat adeo curvus quod quasi erat usque ad genua inclinatus. Et veniens ad corpus B. Odonis, et ibidem parum demorans, sanus recessit, ita quod directus coram adstantibus ambulabat. Et hoc dixit fuisse idem testis mense Aprilis vel Madii proximis præteritis. Interrogatus de præsentibus, dixit quod abbas de Sorbo et alii plures.

Item dixit se vidisse quemdam de Cellis, nomine Mantinum, qui erat contractus manibus et pedibus, et erat surdus et mutus. Et veniens ad corpus B. Odonis, et ibidem moram contrahens per aliquot dies, liberatus fuit ab infirmitatibus antecedentibus. Et hoc fuit dicto mense Aprilis, vel sequenti Madio; de die non recordabatur. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod... postmodum vidit manus ejus et pedes extensos, et vidit et audivit eum audire et loqui. Interrogatus de præsentibus, dixit quod abbas de Sorbo, Blasius levita et alii plures.

Magister Oderisius [3], j. et int. de vita et conversatione B. Odonis, dixit idem quod dominus Bonaventura, et addidit quod dictus B. Odo non comedit carnes neque sagimen, postquam devenit ad monasterium memoratum... Dixit etiam ipse testis quod tempore mortis B. Odo- Testis XIII.

[1] clunibus 2.— [2] *ille est qui perspicue recensetur* testis LXXX; *nomen hic corrupte et dubie scriptum* Lralis *vel* Eralis 1. — [3] *ubi tres priores scribunt sic, quarta manus* Odorisius *constanter.*

nis, cum ipse testis et frater suus Nicolaus paterentur scrofulas in gutture, accesserunt ad corpus B. Odonis, et deducta manu illius B. Odonis super scrofulas, statim liberati fuerunt. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit quod presbyter Nicolaus Ægidii, presbyter Petrus Giuniscii et alii plures; et exinde solverunt magnas laudes Deo. Interrogatus de tempore, dixit quod fuerunt quadraginta anni et plus. Interrogatus de miraculis post translationem B. Odonis, de juvene contracto de S. Donato... addidit quod vidit eum deferri in asello. De filia Berardi Natalissimi... addidit quod vidit eam prius contractam per tres annos. De Rainaldo dni Jacobi dixit... quod vidit eum prius infirmum per duos annos.

Item dixit quod, cum quædam filia sua, nomine Berarducia, pateretur fistulam in facie, deportata fuit ad corpus B. Odonis; et digito ipsius B. Odonis posito in plaga, liberata fuit, et caro et os, quæ fuerant deperdita, eidem fuerunt restituta velociter. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit quando dicta filia sua deportata fuit infirma ad corpus B. Odonis, et vidit quando recessit sana, sicut interfuit quando impositus fuit digitus B. Odonis in plaga ejus. Interrogatus de tempore, dixit quod hoc fuit proximo præterito mense Julii. De die interrogatus, dixit quod non recordabatur... Item dixit quod audivit dici a serviente dicti B. Odonis quod, cum idem serviens, scilicet presbyter Nicolaus de Monacha, propinasset aquam B. Odoni, ut biberet, statim quod illam recepit, conversa fuit in vinum.

Testis xiv. Presbyter Berardus, rector ecclesiæ sancti Petri de Taliacotio [1]... non recordabatur si dictus vir sanctus prædixerat obitum suum.

Testis xv. Clemens, clericus,... dixit se vidisse B. Odonem, senem presbyterum, humilem, quietum, in habitu monachali, habentem vestimenta de lana alba et aspera, et desubter [2] stamineam, et omni tempore jejunantem, præter diem Dominicum in cibo quadragesimali, et insistentem orationibus et vigiliis. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod ipse testis erat assiduus ibi, et videbat et audiebat omnia prædicta; et vidit eum celebrantem missarum solemnia reverenter; et vidit eum residentem in cellula juxta monasterium SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, ubi habebat lectum de vili sacco cum sarmentis; nec de cellula exibat, nisi cum ecclesiam causa orationis intrabat... De Silvatico dicit idem quod archipresbyter Oderisius.

Item dixit quod vidit quemdam de Taliacotio, nomine Joannem Bartolomei, qui habebat scrofulam [3] ex utraque parte gutturis; et per eumdem B. Odonem liberatus fuit, signando tantummodo ipsum

[1] *hic prima vice* Taleacotio *et sic deinceps usque ad* testem XL. — [2] desuper 2. — [3] scrofolam 1.

signo crucis. Interrogatus qualiter sciret, dixit se vidisse et audivisse. Adveniente autem tempore resolutionis suæ, prædixit finem suum coram clericis pluribus et ipso teste, dicens : *Cras in hac hora migrabo a seculo.* Et rogavit eos ex parte Dei ut nullum sibi mundanum conferrent honorem ; sed tantum in vili sacco quem tunc habebat, ponerent eum, et quamdam crucem ligneam quam propriis manibus fecerat, ponerent ad caput ejus in tumulo. Altera autem die, eadem hora veniente, sicut prædixerat, migravit a seculo. Interrogatus qualiter hæc omnia sciret, dixit se prædicta omnia vidisse, audivisse, et interfuisse. Interrogatus cujus ætatis erat quando migravit, dixit quod erat ætatis decrepitæ, quasi centum annorum. Interrogatus cujus staturæ, dixit quod parvæ. Interrogatus cujus coloris, dixit quod albi et senilis, non habens capillos nisi in occipitio paucos et albos, et in barba pilos raros et albos. Vidit autem prædicta omnia fieri, et corpus ejus in illo tumulo sepeliri de quo translatum est modo. Interrogatus de tempore resolutionis suæ, dixit quod sunt quadraginta anni, et fuit de mense Januario, quarto decimo die ejusdem mensis. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit prædicta, et bene recolit [1], quia ipse testis est quinquaginta octo annorum. De translatione corporis B. Odonis dixit idem quod Nicolaus Blasii. De cruce dixit quod inventa fuit illa eadem crux integra tempore translationis...

Oderisius Tastonis [2]... De filia Berardi Natalissimi.. addidit quod vidit prius dictam puellam infirmam et contractam, et tenuit eam... Testis XVI.

Dixit etiam quod vidit quamdam mulierem de Taliacotio, nomine Amabilem, quæ cæca erat utroque lumine, deduci ad corpus B. Odonis; et sic fuit lumini restituta. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam prius per annum unum cæcam, quia vicina ejus erat, et vidit eam duci ad corpus B. Odonis,et sine ductore reverti videntem, et nunc videt...

Item dixit quod vidit quemdam monachum de Cryptaferrata pati podagram et chiragram. Qui audita fama B. Odonis, vovit se ei; et cum idem testis attulisset sibi de pannis ipsius sancti, cum summa devotione recepit, et liberatus est. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod prius vidit eum infirmum multoties, et post votum sanum.

Item dixit quod vidit quamdam mulierem, nomine Amabilem, paralyticam et surdam ; et cum deducta fuerit ad corpus B. Odonis, extitit liberata.

Petrus, subdiaconus,... audivit eumdem beatum Odonem celebrare missarum solemnia reverenter in dicto monasterio super altare B. Mariæ... Testis XVII.

[1] recolitur 1. recoleret 2. — [2] *nomen hujus testis varie effertur, et quidem ab eadem manu. Præsentem formam hic exhibet* 1.

Testis xviii. Levita Benedictus de S. Barbara... *(nihil novi profert.)*

Testis xix. Levita Bartolomeus... dixit se vidisse quemdam de Taliacotio, nomine Joannem Girardi, privatum lumine unius oculi per duos annos, sicut ille dicebat; et ipse testis vidit, quia auxilium postulavit ab eo multoties. Et cum veniret ad corpus B. Odonis inclinato capite, posuit manum super corpus B. Odonis et lumen recepit in continenti. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod clauso alio oculo videbat cum oculo prius cæco... De muliere de Cancio dixit idem... præter quod dixit eam habuisse unam manum tantum contractam. De filia Oderisii de Peneo[1] dixit idem quod Oderisius pater, et addidit quod ipse testis præsentavit puellam corpori sancto... De Mantino de Cellis dixit idem quod presbyter Joannes Gravinelli [2].

Testis xx. Angelus Celani... De homine contracto de Colle de Macinis dixit idem quod Rainaldus Bonihominis.

Testis xxi. Angelus Joannis Alonis... *(nihil novi.)*

Testis xxii. Rainaldus Dni Jacobi militis de Taliacotio... dixit quod, cum ipse testis infirmaretur per tres annos gravi infirmitate, ita quod parum aut nihil comedebat : dormire non poterat nec aliquem intueri, nec videre vel audire poterat aliquem; sed totam faciem tumidam habens, nullum opus potuerat exercere, et in tantum demens et melancholicus [3] erat effectus quod medicorum auxilio non potuerat liberari, cum exinde a pluribus medicis auxilium implorasset; tandem deductus ad corpus B. Odonis invitus, et impositus super tumulum ejus, meritis B. Odonis confestim extitit liberatus et ad omnia integre restitutus. Et hoc dixit idem testis fuisse proximo præterito mense Aprilis, de die Dominico, in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio. Interrogatus si nunc est bene sanus, dixit quod ex quo natus fuit, non habuit se melius quam modo per gratiam Dei et B. Odonis.

Testis xxiii. Joannes Girardi, de Taliacotio,... dixit quod, cum ipse testis privatus fuisset lumine dextri oculi per duos annos et exinde medicorum auxilium multoties implorasset, nullo potuerat medicorum remedio liberari. Tandem accessit ad corpus B. Odonis cum devotione; et invocato ejus auxilio, et cruce quæ ad caput ipsius sancti fuit inventa, imposita super oculum, confestim extitit liberatus. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis; de die non recordabatur.

Testis xxiv. Pandulphus, diaconus,... dixit quod vidit Dnum episcopum Triventinum [4] accedere ad tumulum B. Odonis, et cum magna reverentia et afflictione fecit eum discooperiri; et eo discooperto, vidit quod quidam Frater Minor, accepta manu B. Odonis, deduxit per maxillam

[1] *nomen hoc confuse hic scriptum, fortasse* Penea; *quamquam paulo inferius* (testis xxiv), *perspicue scribit eadem manus* Petro. *Legit 2 etiam* Petro. *Putandum est in autogr. fuisse* de Pereto. — [2] *hic primum perspicue.* — [3] malencolicus 1. — [4] Trerentinum 1.

Berarduciæ, filiæ Oderisii de Petro, quæ patiebatur in ea fistulam de qua ossa erant avulsa, et statim fuit sanata. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod, cum pater ipsius puellæ sit convicinus ipsius testis, vidit eam puellam prius patientem dictam ægritudinem. Interrogatus si sit modo sana, dixit quod sic. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod videt eam quotidie sanam ex illa ægritudine. Interrogatus de tempore, dixit quod hoc fuit proximo præterito mense Julii, in festo sancti Nazarii præsentis anni; de die non recordabatur. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit quod Frater Felicius et alii plures.

Item dixit se vidisse quamdam puellam de Castro Morrei, nomine Letitiam, quæ habebat crura sicca, delatam ad corpus B. Odonis; quæ nullo modo potuerat ambulare. Et cum moraretur ibi per aliquot dies, meritis ipsius B. Odonis extitit liberata. Interrogatus si viderit eam antequam venisset ad corpus B. Odonis, dixit quod non, quia non erat de eodem castro;... de tempore, dixit quod fuit hoc anno præsenti, de mense Maii proximi præteriti; de die non recordabatur...

Trasmundus... dixit quod vidit quemdam hominem de Penna venire ad corpus B. Odonis, duabus zammittis innixum, qui erat adeo curvus quod vix poterat ambulare; et vidit eum reverti rectum sine aliquo adminiculo. Testis XXV.

Dominus Berardus [1] Mancinus... dixit se vidisse B. Odonem esse in monasterio SS. Cosmæ et Damiani, religiosum valde... residentem in parva cellula quæ erat in latere ipsius monasterii, jejuniis et orationibus cum lacrimis Domino famulantem; de qua cellula raro exibat, nisi cum intrabat ecclesiam causa orationis... et erat staturæ parvæ et senex, albus et macilentus... de tempore, dixit quod non recordabatur... Testis XXVI.

Dominus Thomas Girardi... de translatione... addidit quod, cum per universas circumadjacentes provincias beatissimi Odonis fama cresceret, gentes et populi cum laudibus et crucibus suppliciter et devote ad ejus corpus undique convenerunt [2]. Testis XXVII.

Presbyter Sarlus... addidit quod audivit dici a quodam serviente B. Odonis, scilicet a presbytero Nicolao de Monacha, quod idem sanctus flagellabat corpus suum tempore quadragesimali quotidie, præter diem Dominicum... Testis XXVIII.

Dominus Jacobus Rainaldus Bernardi... de vita et conversatione B. Odonis, dixit idem quod Dnus Berardus Mancinus... de filia ferrarii de Taliacotio, scilicet Rainaldi Gualdonis, dixit idem... De filia Berardi Natalissimi dixit idem quod Oderisius Jostonis. Testis XXIX.

[1] *modo sic* 1, *modo* Bernardus. *Scribit ubique* Berardinus 2. — [2] evenerunt 1.

Testis xxx. Dominus Jacobus de Prunli[1]... de vita et conversatione B. Odonis, dixit idem quod Dnus Berardus Mancinus,... de filia Rainaldi Gualdonis dixit idem... De Rainaldo, filio suo, dixit idem quod Dnus Bonaventura.

Testis xxxi. Presbyter Benedictus Niger... interfuit quando corpus B. Odonis translatum fuit et dispositatum in ecclesia[2] per clericos reverenter cum crucibus, thuribulis et aqua benedicta.

Testis xxxii. Angelus Joannis[3] Bonihominis... vidit corpus B. Odonis integrum in translatione ejus.

Testis xxxiii. Joannes Berardi... dixit se vidisse B. Odonem... celebrare cum magna devotione missarum solemnia in eadem ecclesia et prædicare in ea, et admonere populum... et macerare corpus suum... Et habebat ipse sanctus in dicta cellula vilissimum stratum de sarmentis et folia[4] de pantano aspera. Carnes non comedebat... sed parum panis ad sustentationem corporis sui. De cellula raro exibat, nisi causa orationis cum ecclesiam intrabat. Et quando prædicabat, in ipsa prædicatione plorabat, et tenendo in manu sua candelam accensam, ostendebat populo fidem sanctæ Trinitatis. Plorabat etiam fortiter quando divina mysteria celebrabat...

Dixit etiam ipse testis quod, cum ipse habebat filiam, nomine Altegrinam, quæ per tres annos fuerat contracta, ita quod de loco in locum non poterat se movere sine adminiculo : deportata vero ad corpus B. Odonis post translationem ejus, confestim liberata fuit. Et hoc fuit præsenti anno; de mense et die non recordabatur.

Testis xxxiv. Presbyter Albertus, de Taliacotio,... addidit quod sunt quadraginta quatuor anni quod B. Odo migravit a seculo, et per septem annos vidit eum morari in monasterio memorato. Monuit[5] tamen quod non vidit eum tenentem candelam accensam quando prædicabat.

Testis xxxv. Judex Candolfus... dixit idem quod presbyter Albertus... præter de annis quibus vixit in dicto monasterio, quos dixit fuisse decem, et de annis ex quo mortuus fuit, quos dixit esse quadraginta...

Testis xxxvi. Vucio[6], de Taliacotio,... dixit se vidisse quamdam mulierem de Monte Albano, nomine Rainalduciam, quæ erat hydropica et omnia membra tumida habens et ventrem. Quæ cum deportata fuisset ad corpus B. Odonis et ibi per aliquot dies moraretur, meritis B. Odonis extitit liberata. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit eam prius patientem quando venit, ut dictum est, quia hospitatus fuit eam in domo sua; et postmodum ipse testis deduxit eam ad corpus B. Odonis, et sic fuit liberata...

[1] de Pungi 2. — [2] deportatum in ecclesiam 2. — [3] Joannes 2. — [4] follia 1. — [5] minuit 1. — [6] *vel fortasse* Vuccó 1; *notanda mox* (testis XXXIX) *forma* Vuó. *Apogr. 2 ponit* Vuo.

Petrus Joannis... Testis XXXVII.

Nicolaus Pennaliæ... Testis XXXVIII.

Jacobonus... De muliere hydropica de Monte Albano dixit idem quod Vuó, præter quod non fuit hospitatus eam... Testis XXXIX.

Nicolaus Bonifilioli... dixit se vidisse B. Odonem... esse in dicto monasterio spatio viginti annorum, pium, justum, humilem et timoratum, residentem in parva cellula in latere ipsius monasterii, in vestimentis albis, laneis et asperis, et cilicium habebat de subter... De qua cella raro exibat, nisi causa orationis quando ad ecclesiam ibat; et vidit eum senem presbyterum celebrare solemnia missarum in ipsa ecclesia cum magna reverentia et luctu, et prædicare. Et exiens de ecclesia, intrabat dictam cellulam more solito; in qua habebat vilissimum stratum de sarmentis; et permansit in ipso monasterio usque ad obitum suum, et sepultus fuit ante ipsam ecclesiam, in monumento unde nunc est translatus. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod ipse assiduus erat ibi, et vidit et audivit omnia prædicta. Interrogatus de tempore migrationis ejus, dixit quod sunt quadraginta anni et plus, et migravit mense Januarii, quarto decimo die ejusdem mensis. Et hoc habebat bene memoriæ ex eo quod illo tempore sperabantur miracula de eo in vita et migratione ejus, propter sanctissimam vitam et conversationem ejus. Testis XL.

Item dixit quod ipse testis interfuit translationi ipsius sancti, et vidit corpus ejus integrum extrahi de monumento prædicto cum magna devotione a clericis, adstante populo castri, et deportari in ecclesiam; et vidit crucem ligneam quæ inventa fuit ad caput ejus, quam idem sanctus fecit poni ad caput suum quando fuit sepultus.

Item dixit se vidisse uxorem Benedicti Pagani, de Taliacotio, privatam lumine oculorum per unum annum, et deduci ad corpus B. Odonis; et invocato ejus nomine, confestim extitit liberata.

Joannes, de Cellis,... dixit se vidisse quemdam puerum quinque annorum et plus, filium Philippi Leonardi de Cellis, contractum taliter quod numquam ambulaverat aliquando nec poterat ambulare. Et ipse testis deportavit eum ad corpus beati Odonis; et dum ipsum aliquantulum servaret ibidem, confestim ambulare cœpit, et pergens per totam ecclesiam, sanus recessit ad propria. Testis XLI.

Maria, uxor Philippi Leonardi, j. et int. de filio suo et Philippi Leonardi, Joanne, qui fuit contractus, dixit idem quod Joannes de Cellis. Testis XLII.

Mattheus Blasii... vidit B. Odonem morari in dicto monasterio spatio duodecim annorum. Testis XLIII.

Romanus Benedicti... De filia Berardi Natalissimi dixit idem quod Oderisius testatus... Testis XLIV.

Testis XLV. Benedictus Pigiatarius[1]... De muliere de Taliacotio, Amabili[2], privata lumine oculorum, dixit idem quod Oderisius Tastanus.

Testis XLVI. Leonardus Benedicti... De maniaco sive insano de Tufo dixit idem quod Joannes Inversi, et addidit quod dictus maniacus mordebat et percutiebat omnes quos poterat, priusquam sanaretur.

T. XLVII. Blasius Joannis Biati...

T. XLVIII. Nicolaus Oderisii...

T. XLIX. Oderisius Bartholomei...

T. L. Petrus Pigiatarius...

T. LI. Blasius Pigiatarius...

T. LII. Mattheus Joannis Donadei... vidit quemdam hominem de Penna in ecclesia prædicta ante corpus B. Odonis, dicentem se ibi venisse[3] contractum, et liberatum esse meritis B. Odonis...

Testis LIII. Nicolaus Petri Benedicti... addidit quod, quando sepultus fuit idem B. Odo, ossa cujusdam hominis prius mortui jacebant dispersa in tumulo ubi debebat sepeliri dictus B. Odo, et statim cum deportatum fuit ibi corpus ejusdem, dicta ossa cesserunt ei et cumulaverunt se in angulo monumenti, per se tantum, et non per aliquem alium visibilem conductorem.

Testis LIV. Palomba, uxor Joannis de Montesciano,... dixit quod, cum ipsa privata fuisset lumine dexteri oculi per sex annos, et habuisset eumdem oculum dealbatum ex toto, desperata consilio medicorum accessit tandem ad corpus B. Odonis, tempore translationis ejus, et devovit se ei, et confestim recepit lumen.

Dixit etiam quod filia sua Gemma[4] amiserat sinistrum oculum ex variolis, ita quod a nativitate sua non viderat cum illo oculo; et deducta ad corpus B. Odonis, statim recepit lumen.

Testis LV. Joannes de Montesciano... dixit idem... vidit et audivit, quia familiares ejus erant.

Testis LVI. Thomas Joannis de Strucco... vidit B. Odonem in monasterio... morari per octo annos, et sunt plus quam triginta anni quod migravit a seculo.

Testis LVII. Rainaldus Gentilis... idem quod Joannes Berardi, præter quod non vidit eum tenere candelam accensam quando prædicabat; et addidit ipse testis quod quando ipse B. Odo fuit sepultus, sperabantur miracula de eo propter sanctissimam vitam suam...

Testis LVIII. Barbarus Testis, juratus et interrogatus[5], dixit quod, cum ipse per duodecim annos passus fuisset dolorem capitis et surditatem aurium, et propter hoc fuisset ad balnea, et in nullo sibi profuissent, venit

[1] pignatarius *hic et deinde* 2. — [2] Amabile 1. — [3] sibi evenisse 1. — [4] *ita* 2; *obscure scribitur in* 1. — [5] *ita corr. ex* 2, *quod habet* Barbatus Testis j. et int. *Prius* 1 : Barbarus juratus testis et interrogatus.

postmodum ad corpus B. Odonis, et devovit se ei, et sic liberatus fuit.

Mattheus Nicolai... Testis LIX.

Benedictus Damiani... vidit B. Odonem euntem ad ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani causa orationis, vestimentis albis, laneis et asperis indutum... Testis LX.

Amicus... De uxore Benedicti Pagani dixit idem quod Oderisius Jostanus, scilicet de Amabili, quæ erat privata lumine. Testis LXI.

Maria Stefaniæ... dixit quod, cum ipsa privata fuisset lumine sinistri oculi per viginti annos, et asthma[1] fuisset passa per septem annos, et in inguine fistulam per tres annos, repræsentavit se corpori B. Odonis, et meritis ipsius confestim liberata fuit. Testis LXII.

Matrella [2], uxor magistri Rainaldi ferrarii,... dixit quod, cum filia ipsius, nomine Florentia, quam nutriebat ad pectus, privata fuisset lumine sinistri oculi per sex menses, et oculus ipsius fuisset plurimum deminutus, repræsentavit eam corpori B. Odonis; et deducta manu illius sancti per oculum ejusdem puellæ, statim extitit liberata, quæ liberari non potuerat auxilio medicorum. Et hoc fuit post translationem corporis B. Odonis; de die et tempore non recordabatur. Testis LXIII.

Magister Rainaldus, ferrarius, j. et int. de filia sua Florentia, dixit idem quod Matrella, uxor ejus. Testis LXIV.

Formica Stefaniæ, j. et int. de Maria Stefaniæ, sorore sua, dixit idem quod ipsa Maria. Testis LXV.

Amabilis, uxor Benedicti Pagani,... dixit quod, cum ipsa privata fuisset utroque lumine per duos annos, et specialiter per unum annum ex toto, et non potuisset medicorum remedio liberari, deducta tandem fuit ad corpus B. Odonis, et invocato nomine B. Odonis, confestim liberata fuit. Et hoc dixit fuisse proximo præterito mense Aprilis; de die non recordabatur. Testis LXVI.

Joannes de Apulia... Testis LXVII.

Bartholomeus Joannis Benedicti... T. LXVIII.

Petrus Martini... dixit se vidisse B. Odonem... prædicare in ipsa ecclesia cum fletu; et habebatur amabilis, justus et pius. Testis LXIX.

Malfetana [3], uxor Joannis Berardi,... de filia sua Altegrina, dixit idem quod Joannes Berardus, vir suus. Testis LXX.

Petrus Joannis Donadei [4]... T. LXXI.

Joannes, de Luppa... dixit quod, cum filia sua Maria fuisset passa febrem erraticam per septem menses, et etiam tenesmon, deducta fuit ad corpus B. Odonis, et statim liberata fuit. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis. Testis LXXII.

[1] asma 1. — [2] Mactella 2. — [3] Malphetana 2. — [4] Donade 1.

T. LXXIII. Rainaldus de Aquaviva...

T. LXXIV. Joannes Oderisii...

Testis LXXV. Nicolaus Rainaldi, de Sorbo,... de puella contracta de Sorbo,... addidit quod dicta puella contracta fuerat per septem annos. Interro gatus qualiter sciret, dixit quod ipse testis est pater illius puellæ, et vidit et audivit prædicta.

Testis LXXVI. Joannes Dominici... dixit quod vidit filiam Nicolai Rainaldi de Sorbo fuisse contractam per quatuor annos et plus, et postmodum vidit eam esse liberatam meritis B. Odonis, sicut ipsa dicebat, quia in somnis apparuerat ei et liberaverat eam.

Testis LXXVII. Presbyter Rainaldus, de Sorbo,... vidit B. Odonem morari in dicto monasterio, bonæ et sanctæ conversationis, pium, castum, humilem et quietum, timoratum et justum, et servientem Deo et sanctis ejus orationibus et vigiliis, et celebrantem in die Sabbati missarum solemnia super altare S. Mariæ reverenter. Et prædicabat; et quando exibat de ecclesia, intrabat quamdam parvam cellulam quæ erat in latere dicti monasterii, et residebat in ea, serviendo Deo jejuniis plurimis et orationibus, et manibus propriis laborabat. Carnes et sagimen non manducabat. De cellula illa raro exibat, nisi causa orationis, quando ecclesiam intrabat. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit et interfuit, quia serviebat eidem B. Odoni. De muliere contracta de Sorbo dixit idem quod Joannes Dominici, et addidit quod per quinque annos fuerat contracta; addidit etiam quod dicta puella implorato medicorum auxilio non potuerat liberari.

T. LXXVIII. Presbyter Nicolaus, de Sorbo...

T. LXXIX. Angelus, clericus, de Sorbo...

Testis LXXX. Petrus Ægidii Lealis... dixit quod, cum ipse passus fuisset morbum caducum, cujus accessionem frequenter habebat, et in accessione spumabat et privabatur sensu et motu voluntario, remanendo tantummodo ei motus anhelandi, et cum deportatus fuisset ad corpus B. Odonis, morando ibi aliquantulum, extitit liberatus. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis ; de die non recordabatur.

Testis LXXXI. Joannes Parens...

Testis LXXXII. Presbyter Joannes Parens... de Oderisio contracto de Alto S. Mariæ dixit idem quod Raynaldus Bonihominis, et addidit quod ille patiens fuerat contractus per octo annos... ipse vicinus ejus erat...

Testis LXXXIII. Presbyter Gentilis... dixit quod, cum ipse habeat quamdam nepotem nomine Bonam cum *flate salso* cum pruritu graviter impeditam, quæ nullo medicorum potuerat remedio liberari, venit ad corpus B. Odonis cum reverentia et devotione magna, et ejus nomine invocato confestim liberata fuit... De puella de S. Benedicto... addidit quod dicta puella fuerat contracta per duos annos... ipse erat vicinus ejus... De Joanne filio Benedicti, de Alto S. Mariæ, qui fuerat con-

tractus, dixit quod, cum ipse Joannes fuisset contractus per duos menses, ita quod nullo modo potuerat ambulare, deportatus fuit ad corpus B. Odonis. Qui cum moraretur ibidem, renuebat cibum et potum, donec liberaretur; et sic moram contrahens coram corpore, ipsius B. Odonis meritis liberatus fuit... vidit et audivit et interfuit prædictis. De Oderisio contracto de Alto S. Mariæ... dixit quod fuerat contractus per duos annos.

Presbyter Johannes... viderat eum *(Oderisium de Alto S. Mariæ)* contractum per duos annos. Testis LXXXIV.

Dominus Matthæus, de Collibus,... dixit quod, cum quædam nobilis mulier de Tibure, nomine Bentevollo, passa fuit quamdam gravem ægritudinem, amiserat exinde medietatis corporis sui sensum et voluntarium motum. Unde, cum medicorum auxilio liberari non potuisset, venit ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et sic extitit liberata... vidit et audivit omnia prædicta. Testis LXXXV.

Nicolaus Oderisii... de puella de Pontibus... addidit quod dicta puella vocabatur Risabella[1], et ipse testis viderat eam fuisse contractam per duos annos. Testis LXXXVI.

Oderisius Rainaldi, de Pontibus... T. LXXXVII.

Paulus, de Pontibus... T. LXXXVIII.

Benedictus Berardi[2]... de puella contracta de S. Benedicto... addidit quod ipse testis erat pater ipsius puellæ; propterea bene sciebat prædicta. Testis LXXXIX.

Benedictus Petri, de Alto S. Mariæ,... de contracto de Alto S. Mariæ, nomine Joanne, dixit idem quod presbyter Gentilis. De Oderisio... idem quod presbyter Joannes Parens. Testis XC.

Oderisius, de Alto S. Mariæ,... dixit quod, cum ipse fuisset contractus per septem annos, ita quod ambulare non potuerat, nisi duobus baculis fulciretur, et nullo medicorum remedio liberari potuisset, deportari se fecit ad corpus B. Odonis; et cum devote se præsentaret eidem, confestim liberatus fuit. De Joanne contracto de Alto S. Mariæ[3], dixit idem quod presbyter Gentilis. Testis XCI.

Matthæus... de Joanne contracto de Alto S. Mariæ... addidit quod ipse testis deportavit eum ad corpus B. Odonis. Testis XCII.

Petrus Papa... Testis XCIII.

Bona, de Sancto Benedicto,... dixit quod, cum ipsa fuisset contracta cruribus per tres annos, et nullo potuisset medicorum auxilio liberari, tandem deportata fuit ad corpus B. Odonis, et confestim liberata fuit. Et hoc fuit proximo præterito mense Aprilis; de die non recordabatur. Testis XCIV.

[1] *sic* 1, 2. — [2] Berardini 2. — [3] conterraneo suo *add.* 2.

Testis xcv. Petrus Ægidii... dixit quod, cum ipse passus fuisset quoddam apostema in gutture, ita quod expuere non potuerat, nec etiam aliquid transglutire[1], venit ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et statim emisit putredinem per os et liberatus extitit. Et hoc dixit fuisse proximo præterito mense Septembris. Interrogatus de die, dixit quod non recordabatur.

Testis xcvi. Mulier quædam de Alto S. Mariæ, nomine Bona,... dixit quod, cum ipsa fuisset *flate salso* cum pruritu graviter impedita, et nullo medicorum potuisset remedio liberari, venit ad corpus B. Odonis et devovit se ei, et statim liberata fuit.

Testis xcvii. Rosa, mater Petri Ægidii...

Testis xcviii. Bartholomeus Joannis Azzarelli [2]... dixit quod vidit quamdam mulierem de Cellis, nomine Mariam, quæ diu habuerat manum contractam, et linguam impeditam ita quod loqui non potuerat; et veniens ad corpus B. Odonis, cruce quæ inventa fuerat ad caput ejus deducta super os mulieris, statim liberata fuit... vidit et audivit prædicta. Et hoc dixit fuisse proximo præterito mense Aprilis...

Testis xcix. Angelus Joannis Azzarelli...

Testis c. Benedictus Bernardi... addidit quod vidit callos in manuum juncturis beati Odonis ex assiduis veniis [3].

Testis ci. Ægidius Lealis... idem quod Petrus filius suus.

Testis cii. Raynaldus, de Pontibus,... de puella de Pontibus dixit idem quod presbyter Joannes Gravinelli, et addidit quod ipse testis est pater dictæ puellæ, quæ fuerat contracta per quinque annos.

Testis ciii. Presbyter Inons... interfuit sepulturæ ejus *(B. Odonis)*.

Testis civ. Presbyter Nicolaus, rector ecclesiæ S. Nicolai de Pilio,... dixit quod, cum nobilis virgo, filia Dni Berardi [4] de Pilio, nomine Rogata, fuisset passa morbum caducum sine aliqua interpolatione, ita quod loquelam amiserat per tres dies et quasi mortua videbatur, apparuit ei beatus Odo in visione, sicut ipsa narravit, præcipiens ei ut iret ad domicilium suum quod erat in monasterio SS. Cosmæ et Damiani de Taliacotio, quia obtinuerat a Domino Jesu Christo ut ibi liberaretur. Ipsa autem obediens dictis ejus, concite ivit ad domicilium beati Odonis, sicut idem sanctus mandaverat in somnis eidem, et statim sopore ibidem depressa, perfecte extitit liberata, ita quod ex tunc illius morbi molestiam non persensit [5]... vicinus ejus erat, et viderat eam prius patientem dictum morbum et postmodum liberatam. Et hoc dixit fuisse proximo præterito mense Madii; de die non recordabatur.

[1] transguttire 1, 2. — [2] Az Saccarelli *hic et mox iterum* 2. — [3] genuis 1. — [4] *sic perspicue hic scribit idem qui prima vice* Bernardi. *Cf. p. 336.* — [5] *ita* 2. præsentit 1.

Joannes Roffredi, de Pilio,... addidit quod ipse testis erat familiaris Dni Berardi de Pilio, et audiverat ab ea (*filia*) quod sanctus Odo in visione signaverat eam cum annulo signaculo crucis. Testis CV.

Leonardus... dixit idem quod Joannes Roffredi [1] per omnia. Testis CVI.

Actum est apud Taliacozum anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo [2], pontificatus Dni Gregorii papæ Noni anno tertio decimo, mense januarii tertiæ decimæ indictionis.

Joannes Danielis de Colleficato, imperiali auctoritate publicus notarius, his omnibus interfui et a dictis abbate de Turano et Fratre Petro rogatus [scripsi] [3], et in publicam formam redegi. Locus signi, etc.

Ego magister Petrus de Collefecato [4], Dei gratia imperiali auctoritate publicus notarius, rogatus a dictis abbate de Turano et Fratre Petro, his omnibus, ut supra scriptum est, interfui, et meum signum feci. Locus signi.

Ego Machabeus abbas de Turano. Locus signi.

Ego Frater Petrus custos Fratrum Minorum in custodia Marsicana qui supra. Locus signi.

Ego Nicolaus abbas de Sorbo qui supra. Locus signi.

Ego Frater S. qui supra. Locus signi.

Ego Frater Joannes de Castro Veteri qui supra. Locus signi, etc.

[1] Raffredi 1. — [2] primo *add.* 2. — [3] *supplet. ex* 2. *om.* 1. — [4] *sic* 1.

Statim transcribitur a manu 2ª testimonium recognitionis factæ a primo aliquo notario :

Licet præcedens copia copiæ aliena manu sit extracta, tamen facta cum ea diligenti collatione per me infrascriptum notarium, concordat, meliori semper salva. In quorum fides (sic) *ego notarius Joannes Petrus Francus de Corbaio præsentem feci rogatus, et meo solito signo signavi. Datum Talleacotii die 14 Augusti 1620. — Idem qui supra. Notarius Joannes Petrus Francus manu propria. Adest signum.*

Subjicitur hæc altera nota ab ipso notario qui recognovit transsumptum ad decessores nostros mittendum :

Licet supradicta copia copiæ cartarum quindecim sit alienis manibus extracta ex prædicta sua copia, Dno exhibenti restituta, facta tamen diligenti collatione, concordat prout jacet de verbo ad verbum, salva omni meliori. In quorum fidem ego Petrus Stephanicchius de Talleacotio publicus regia auctoritate notarius præsentem requisitus authenticavi et meo solito signo signavi, Talleacotii die 15 mensis Septembris 1685. Pinxit dein calamo signum suum notariale.

Tandem ante sigillum publicum leguntur hæc scripta a 1ª manu :

Nos V. I. D. [i. e. *videlicet ?*] *Joannes Augustinus Resta, Fabricius Tudonus et Bernardinus Tabacco, ad præsens Priores et Regimen Unitatis Terræ Tagliacotii, fidem facimus et testamur rettum* [quod legendum videtur *retroscriptum*] *Petrum Stephanicchium, concivem nostrum, qui prædictam copiam copiæ authenticavit, esse publicum, Regium, legalem et fide dignum Notarium, suis scripturis omnibus et his similibus tam in judicio quam extra semper adhibitam fuisse, et de præsenti plenam adhiberi fidem. Has igitur scribi fecimus, hujus nostræ Unitatis sigillo munitas. Datum Talleacotii die 25 Septembris 1685.*

L. S. [Sigillum chartæ impressum exhibet effigiem quæ describitur in opere posthumo Mutii Phœbonii *Historia Marsorum*, Neapoli 1678, p. 221. Exergum ejus est : DUCALIS TERRÆ TALEACOTII].

Qui benevolentissimam operam contulerat ut hoc apographum conficeretur, Franciscus Amicucci, curatus et vicarius foraneus Talleacotii, ita refert in epistola data eodem die (15 sept. 1685) : " Illius *[Processus]* copiam tandem inveni, deperdito ex injuria et diuturnitate temporis originali, ab A. R. Matre Abbatissa hujus venerabilis monasterii mihi traditam, quam illico et festinanter diversis caracteribus *(sic)* ad majorem celeritatem *[1ª manus ejus ipsius est]* transcribendam curavi...Vereor ne illius roboris existat ut præopto, cum illam in quibusdam deficere censeam... „

De cultu B. Odonis hoc tempore idem in epistola italice scripta die 10 maii 1685 : " In terra Talleacotii extat ecclesia parochialis et matrix SS. Cosmæ et Damiani, monasterium monialium sub regula magni Patriarchæ S. Benedicti, in qua ecclesia per 400 annos et amplius quieverunt et quiescunt sacræ reliquiæ et ossa B. Odonis, ipsarum monachi, quæ ex vetere ecclesia translata, nunc quiescunt in capella ducali DD. Columnensium intra novam.

„ Festum hujus beati celebratur 14ª Januarii, quamvis in ejus Vita legatur eum obiisse 15ª, et non fit ejus festivitas præterquam in dicta ecclesia... ubi quiescit corpus ejus ; et die illa aperitur *(sic)* et exponitur populo ad publicam venerationem cum ornatu totius capellæ et multis luminibus. Eadem sacra functio locum habet etiam feria 3ª *(sic)* Paschatis : tunc enim fit in dicta ecclesia ostensio reliquiarum ; et hac de causa aperitur et exponitur etiam corpus B. Odonis, et est ibi tunc concursus incredibilis advenientium ex omnibus his pagis et viciniis ad venerandum reliquias et accipiendum benedictionem concionatoris quadragesimalis.

„ Talis autem et tanta est pietas hujus populi Talleacotiani erga B. Odonem ut festo ejus die a multis privatis et piis personis multæ expendantur eleemosynæ missarum rev. sacerdotibus, ut eas missas celebrent in dicta capella... et, quum non liceat dicere de ipso beato nec facere ejus officium, celebrant de Trinitate aut de... et fit solemnitas cum apparatu, missa cantata et musica : quamquam vulgo mihi dicunt olim dictam fuisse missam de ipso beato ; et probe memini equidem vidisse eam in vetusto aliquo missali membraneo cum oratione propria, quam postea dicunt fuisse amotam, jubente nescio quo.

„ Manifestat denique divina majestas ad intercessionem hujus beati magnam suarum gratiarum et favoris munificentiam ; ac præsertim si qui infirmi magis desperati vivo animo se beato commendant, plerique eorum sanitatem recuperant ; imo, dum signant se parva quadam cruce lignea, confecta propriis manibus beati, quæ... servatur una cum aliis reliquiis hujus ecclesiæ, operatur Deus mirabilia... „

VITÆ

BB. VITALIS ET GAUFRIDI

PRIMI ET SECUNDI ABBATUM SAVINIACENSIUM

IN NORMANNIA

NUNC PRIMUM EDITÆ

STUDIO ET OPERA

E. P. SAUVAGE

PAROCHI DIOECESIS ROTOMAGENSIS.

De his abbatibus Saviniacensibus egerunt Bollandiani scriptores ad dies 7 Januarii et 20 Octobris, sed nulla eorum Acta proferre potuerunt. Contigit mihi ea reperire in Appendice ad Historiam ineditam Saviniacensem, superiore seculo ex antiquioribus documentis gallice conscriptam (1). Codicem ipsum, nunc in bibliotheca municipali oppidi Fulgerii (Fougères, dép[t] d'Ille-et-Vilaine), repositum inspicere non licuit; sed illum supplevit apographum accuratissime exscriptum quod servatur Parisiis in Bibliotheca Nationali, inter codices gallicos recens acquisitos sub n° 4122 locatum. Sanctorum Saviniacensium Acta pleraque collegit etiam Arturus de Monasterio (du Moustier) in sua *Neustria sancta*, in eadem Bibliotheca Parisiensi n° 10051 cod. lat. insignita (2).

Ex his igitur codicibus edimus nunc Vitas duorum primorum monasterii abbatum, BB. Vitalis et Gaufridi. Harum prior auctorem habet Stephanum de Fulgeriis, qui primo a sacello fuit Henrico II regi Angliæ, deinde episcopus Rhedonensis in Britannia minori, atque anno 1178 vita decessit, teste scriptore coævo Roberto de Monte seu de Torineio, in suo Chronico ad hunc annum scribente: « Obiit Stephanus, vir « honestus et litteratus, episcopus Redonensis... Scripsit etiam vitam « S. Firmati et vitam S. Vitalis primi abbatis Savigneii (3). »

Præcipuis fontibus usus est Stephanus testimoniis æqualium et discipulorum B. Vitalis sive scripto consignatis sive ore prolatis, quod

(1) *Histoire de la Congrégation de Savigny... avec la vie de S. Vital premier abbé et fondateur de Savigny et celle de S. Gofroy son successeur. Tirée des auteurs contemporains, des actes des plus célèbres églises de France et d'Angleterre et des anciens monumens de l'abbaye de Savigny. P. D. C. A. P. D. S.* (i. e., ut videtur, *Par Dom C. A... Prieur de Savigny*). — (2) Hoc opus anno 1657 absolutum est. — (3) *Chronique de Robert de Torigny* (Ed. Delisle), tom. II, p. 73-74.

ipse non semel profitetur (1). Quædam etiam desumpsit (2) ex Rotulo mortuali sancti abbatis (3), ex Vitis jam editis Roberti de Arbrisello (4) et Bernardi de Tironio (5), sociorum ejus, ac denique forte etiam e traditionibus nobilis domus Fulgeriorum, qua ortus erat, quæ scilicet Saviniacensem possessionem B. Vitali contulit, in qua monasterium fundaret.

Arturus de Monasterio Vitam B. Vitalis suæ *Neustriæ sanctæ* non inseruit, quamquam eam citat in margine ad brevem de Beato notitiam (6); sed ita rursus illam affert in fine ejusdem notitiæ ut omnino eam legisse non videatur (7). Attamen Vitas BB. Gaufridi et Petri Abrincensis in sua collectione exscripsit ex codicibus Saviniacensibus: unde videtur jure colligi posse Vitam B. Vitalis in iis codicibus jam desideratam fuisse medio seculo XVII.

Idem Arthurus festum diem B. Vitalis illigat diei 6 Januarii. Martyrologium autem Benedictinum ejus memoriam assignat ad diem 1 Maii. At in Menologio Cisterciensi et in Calendario sanctorum ac beatorum Ordinis Cisterciensis eadem celebratur ad diem 7 Januarii.

B. Gaufridi, qui B. Vitali in regimine cœnobii Saviniacensis successit, Vitam conscripsit monachus Saviniacensis : siquidem capite VII vocat B. Gaufridum *patrem nostrum ;* sed quo tempore conscripta fuerit, prorsus ignoramus. Genus scribendi profecto non abhorret a consueto Cisterciensium seculo XII et XIII. Non ita tamen recens ab obitu Beati scriptam esse, inde videtur colligi quod is *suo quidem tempore* singulariter mundo enituisse dicitur (8), et pater ejus *in tempore suo* cultor Dei fuisse (9), et *tunc temporis* muliebris sexus uti consuevisse amplis manicis (10).

E. P. Sauvage.

(1) " Quæ de venerando viro... vulgaribus verbis scripta reperimus vel fidelibus „ viris referentibus audivimus. „ Prolog. — ... " Quæ vos me impellitis, qui ejus „ vitam ab ejus qui adhuc supersunt discipulis, perquisistis. „ Lib. II, cap. I. — " Libet hic rem memoria dignam inserere, quam priorum relatione contigit usque „ nos pervenire. „ Cap. VI. — " Nemo nostra inventa suspicatur esse pro tanta rei „ novitate, quæ huc inseruimus, quia non nostra, sed quæ fidelium attestatione „ probata sunt nobisque tradita, descripsimus. „ Ibid. — (2) Lib. II, cap. XIII. — (3) Cfr. *Rouleaux des morts* (Ed. L. Delisle), p. 282 sqq. — (4) Auctore Balderico episc. Dolensi (*Act. SS.*, tom. III Febr., p. 603). — (5) Auctore Gaufrido Grosso (*Act. SS.*, tom. II April., p. 222). — (6) " Stephanus de Fulgeriis episc. Rhedonens. „ in Vita B. Vitalis Abbat. Saviniacens. „ — (7) " Ejus Vitam composuit (teste „ Argentræo, lib. I Histor. Britann. Armoricæ, cap. 16, pag. 76) Stephanus Redonen- „ sis episcopus et abbas S. Florentii ad Ligerim prope Salmurum ; ex quo recentio- „ res alii mutuati sunt. „ — (8) In prologo. — (9) Cap. I init. — (10) Cap. II med.

Incipit Prologus in vita S. Vitalis.

Quoniam, sicut auctoritas angelica testatur, *sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* (1), quæ de venerando viro primo abbate Savigniensi vulgaribus verbis (2) scripta reperimus, vel fidelibus viris referentibus cognovimus, manifestiori stilo ad aures perferre decrevimus. Cum enim virorum multorum, qui verbis et operibus et exemplis sanctam Ecclesiam erexerunt, vita et actus legantur, indignum valde est si tanti viri infructuoso silentio prætereatur, nulloque litterarum adminiculo ad posterorum notitiam transmittatur.

Hujus igitur vitam describere cupientes, Domini clementiam obnixius imploramus, ut, *qui linguas infantium fecit disertas, mutorumque linguas in verba dissolvit* (3), asinæque insipientis prophetæ subjugali ad ejus socordiam convincendam humanas voces formare tribuit (4), nobis verborum copiam tribuat, ut quod mens concipit, veraci stilo digestum lingua valeat parturire. Deus enim, cujus natura non potest a sua bonitate mutari, quique semper occasiones quærit quibus beneficium possit impertiri, numquam desistit circa homines largifluam bonitatis suæ abundantiam operari, ut, ejus beneficiis invitati, erubescant diabolicæ subdi tyrannidi, et tanto gratias non referre largitori.

Hinc est enim quod huic viro de quo loqui decrevimus, gratiæ suæ munus contulit, per ejus salutarem doctrinam animabus tabifico veternosi serpentis veneno toxicatis medicamentum salubre tribuit, sanatisque vulneribus, eis iter salutis ostendit. Hic[1] enim talentum sibi a Patrefamilias creditum ad multorum utilitatem verbis et vita erogavit, lucernamque accensam sub modio timoris, minas hominum contemnens, non abscondit. Sed, iis omissis, proposito operi insistamus, et ad Domini gloriam et legentium utilitatem in

[1] *cod.* Hinc.

(1) Tob. xii, 7. — (2) i. e. idiomate tunc vulgari, gallice *en roman*. — (3) Sap. x, 21. — (4) Num. xxii, 28, 30. *In cod. male indicatur* Num. 2.

notitiam proferamus, illi soli placere quærentes, ab eoque operis mercedem postulantes, quem cordium secreta non latent, cui muta loquuntur (1), tacentia cuncta respondent.

Explicit Prologus.
Incipit vita S. Vitalis, primi abbatis Savigneii.

I. Igitur in Bajocassina provincia pagus quidam dignoscitur, qui ab incolis Tirgerii (2) nuncupatur. In hac autem villa vir quidam, nomine Reigfredus, extitit, qui uxorem, nomine Rohardem, in matrimonio accepit. Ii vero Domino sedule servire studuerunt, ejusque mandata non surda aure percipientes, devote impleverunt. Pauperum quippe et egenorum sustentationi invigilantes, eleemosynas largientes, juxta quod scriptum est : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (3), hospitalitatem, quæ inter opera misericordiæ non infimum locum tenere cognoscitur, eis de nocte impenderunt, de qua apostolus dicit : *Per hanc quidem, angelis hospitio susceptis, Deo placuerunt* (4). Ecclesiæ quoque redditus canonica lege sancitos sine aliquo tipo[1] vel procrastinatione persolvendo, vitamque suam ex justis laboribus transigendo, cultum Deo debitum sedulitate cum nimia exhibuerunt. His et hujusmodi operibus sanctis insistentes, filium genuerunt, de cujus editione magnam gaudii materiam habuerunt, eique nutriendo intentissimam, ut decebat, curam impenderunt.

Ipse vero infans, sacri fonte baptismatis ablutus, Vitalis est nominatus. O nomen magnæ insigne gratiæ! O ineffabilis Dei clementia! O inenarrabilis Creatoris providentia! O quis admirari digne sufficiat divini altitudinem consilii? O quis penetrare profunditatem potest? Agit enim divina

[1] *pro* typho, *id est* superbia, fastidio.

(1) *In marg. cod.* Petr. 2, 6 ; *sed male et probabilius ex errore scribæ pro* II Petr. II, 16, *ubi de Balaam asinaque est verbum. Superius ergo reponenda videtur illa annotatio ad* (3). — (2) Gallice *Tierceville*, in decanatu Riensi (Ryes), nono vix a Bajocis kilometro. — (3) Luc. XI, 41. — (4) *In marg. male indic.* Hebr. I, III, X, II ; *quum* Hebr. XIII, 2 *legatur :* Per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis.

potentia per homines quod ei bonum videtur, ipsisque nescientibus, quæ saluti congruunt sæpius operatur. Credo enim quod divini incomprehensibilitas consilii non in vacuum hunc infantem tali nomine voluit appellari. Hoc puto nomine jam præsignabatur quod cœlestis vitæ particeps efficeretur.

Merito, inquam, tali nomine meruit insigniri qui et vitam caducam posthabuit, et ad cœlestem pia animi aviditate anhelavit, et ad hanc multos verbis et exemplis animare sategit. Jure siquidem tali refulsit vocabulo, qui et diaboli versutias prudenti argumentatione patefecit, multosque ab ejus ore pestifero salubri consilio retraxit, vitæque cœlesti pristinæ sanitati reintegratos restituere curavit. Lætare, Savigniensis Ecclesia, et jocundare, quæ tantum tamque sapientem fundatorem meruisti habere! Lætamini, dico, omnes qui Savigneium colitis, et exultate, et illud quod per prophetam Isaiam dicitur, in vobis impletum cognoscite : *Deserta in ubertatem versa advenæ comedent* (1). Ubi enim prius feræ [1] cubilia collocabant volucresque cœli nidificare solebant, ibi nunc laudes multorum vocibus Deo personant; et ubi forsitan latrones innocentium insidiabantur sanguini, ibi nunc divinæ insistitur contemplationi ; et terram quam vepres et tribuli arboresque infructuosæ occupabant, nunc sanctorum virorum lacrymæ fletusque irrigant.

Quid plura hæremus? Quæ quondam inculta inhabitabilisque manebat, cultoris manibus respondens, nunc Christi alumnis alimenta subministrat. Magnificatur Dei potentia, quia filiis Israel de petra in deserto aquam produxit; glorificatur ejus omnipotentissima misericordia, quia vastam solitudinem in famulorum suorum subsidia commutavit. Ego vero, hæc dicens, ignem intimis cordis medullis concipio ; summo, ut verum fatear, repleor tripudio. Quis enim, nisi mentis inops, non gaudeat, cum tantam servorum Dei congregationem videat Deo laudes devote persolvere, divinoque

[1] *cod.* ferre.

(1) Isai. v, 17.

operi assidue assistere? His omnibus, vir venerande Vitalis, Deo juvante, initium extitisti, et his omnibus, sapientia tibi a Deo tradita, locum hunc, Deo volente, præparasti; et posteris bonæ memoriæ exemplum transmisisti. Jure enim tui memoria in ore populorum resolvitur, per quem [1] ad sui laudem nominis tantæ religionis domum Deus ædificasse cognoscitur. Sed hæc nunc digressio sufficiat, et ad propositum stilus recurrat.

Quod, litteris traditus, gratiam in illis addiscendis habuit.

II. Cum igitur prædictus infans ad eam ætatem pervenisset ut litteris imbui idonee potuisset, litterarum studiis a parentibus traditur; cui divina bonitas intelligentiam acumenque ingenii largitur. Jam tunc, puerili quodam præsagio, cum quibus scholas frequentabat, eum *parvum abbatem* vocitabant, eique, prout ætas illa patiebatur, reverentiam congruam exhibebant. Ab omnibus siquidem amabatur, omnibus gratus habebatur; sed in omnibus iis tua cognosco, Christe, opera, qui sanctos tuos ita magnificas ut etiam aliquibus eorum ab cunabulis spiritus tui rorem largifluum infundas, inque tua ditione scio existere, quoscumque volueris, sublimare. Circa hunc autem, dum adhuc parvulus esset, quoddam miraculum divina clementia fecisse [2] refertur, quod indecens valde est si silentio prætereatur.

Quod, eo progresso ad balneas, piscis voluit eum submergere.

III. Accidit enim quadam die, æstatis tempore, ut scholastici, socii ejus, balneandi gratia ad aquam pergerent, secumque prædictum puerulum eadem causa ducerent. Qui cum aquam ingressi fuissent seque balneare cœpissent, ecce piscis quidam dorso illius inhæsit, eumque stringens, submergere voluit. Quod socii ejus videntes, timore correpti, foris quantocius exiliere, eumque solum cum pisce in aqua luctantem deseruere. Egressi autem, dolentes et attoniti,

[1] *cod.* quam. — [2] *cod.* fuisse (?).

auras clamoribus et ejulatibus nimiis impleverunt, Deumque et sanctam Mariam crebris vocibus inclamaverunt. Puerum vero in aqua cum pisce cernentes, nec ad eum ullo modo accedere audentes, nimium lamentabantur; et [cum] [1] hujus facti occasione stupefacti redderentur, subito cernunt puerum de aqua exeuntem, piscemque adhuc dorso ejus inhærentem nec eum ullo modo dimittere volentem (1). Quod dum vident, subito mæstitia eorum in gaudium vertitur, et qui prius fleverant, mæstitia acti, mere lætantur, quia eum quem amittere formidabant, ereptum e periculo intuentur. O quanta est antiqui hostis malitia! O quam avida semper ei nocendi nequitia! Ipse enim, credo, jam præsenserat quandoque futurum ut per ejus doctrinam pateretur multorum sibi obsecundantium detrimentum; quocirca, si posset, moliebatur eum extinguere ejusque vitam de medio auferre. Sed, quia scriptum est : *Non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Dominum* (2), et quia *custodit Dominus omnes diligentes se* (3), zabulus quod cœperat, implere non valuit, quia Dominus famulum suum ab ejus insidiis potenter eripuit. Hoc etiam in ejus facto considero, quia, sicut piscatores pisces extrahunt ex fluvio, ita hic erepturus erat homines de mundo. Attende, lector, et diligenter considera et inde Veritatis impleri dicta : *Non est servus major Domino suo* (4). Sicut enim mox Christum natum per ministros suos voluit extinguere (5), et per Pharaonem Hebræorum pueros in aqua necare (6), ita hunc, ut credo, moliebatur diabolus submergere, ne doctrina ipsius alicui posset proficere.

[1] *voces uncinis inclusæ ex conjectura suppletæ sunt.*

(1) Videtur piscis illius fuisse generis qui polypus dicitur, gallice *poulpe* sive *pieuvre;* littoribus vero Britannici maris inferiorisque Normanniæ, vulgo nuncupatur *minard,* satisque reformidandus habetur, saltem a tironibus artis piscatoriæ. — (2) Prov. xxi, 30. — (3) Psalm. cxliv, 20. — (4) Joan. xiii, 16 et xv, 20. — (5) Matth. ii, 16. — (6) Exod. i, 22.

Quod patriam amore sapientiæ reliquit.

IV. Ut autem sapientiæ addiscendæ liberius posset operam impendere, natale solum ejus amore studuit relinquere, exterarumque regionum [1] jam grandiusculus adire (1), ubi non in vacuum tempus expendens, audiendæ sapientiæ totis viribus incubuit, eamque non segniter nec surda aure suscipiens, intimis cordis tenaci memoria inseruit. Scientia itaque non modica imbutus, repatriare studuit; ejusque regressus parentibus atque amicis lætitiam non minimam contulit. Legis autem divinæ meditationi frequenter incumbens, ejus divitias non habentibus diligenter dispensavit. Legum etiam humanarum non ignarus extitit. Rhetoricæ colorem Tullianæque eloquentiæ elegantiam non ignoravit. Quia vero scriptum est : *Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* (2) bona quæ habuit occultare non voluit, sed ad multorum utilitatem in publicum produxit, nec ullius terrore vel comminationibus veritatem tacere voluit, sed malorum actus erroneos voce libera increpavit, bonorum consortia semper habere curavit, ab ætate tenera sanctam vitam amavit.

Quod comes eum suum capellanum fecit.

V. Cum vero tanta sapientia esset facundiæque lepore præditus, optimisque polleret moribus, comes Moretoniensis (3) hæc de eo vere cognoscens, eumdem virum secum habere voluit, capellanumque suum eum constituit. Ejus enim sapientia Normanos Britonesque attigit, et ad Gallos

[1] *sic cod.; forsan legendum* exterasque regiones *seu* exterorumque regiones, *nisi subaudienda sit repetitio vocis* solum *aut supplendum aliquid simile.*

(1) De Odone, tunc temporis Bajocensi præsule, apud Ordericum legitur: " Dociles clericos Leodicum mittebat, aliasque urbes ubi philosophorum studia potissimum florere noverat, „ etc. *Hist. eccles.*, lib. VIII, § 2 (Migne, P. L., t. CLXXXVIII, col. 559). — (2) Eccli. xx, 32. — (3) Nempe Robertus, Conquestoris filius prædictique frater Odonis episcopi; qui uxorem habuit Mathildem de Montgommery.

Andegavesque pervenit, ad Anglos quoque transmarinas partes inhabitantes transivit. Cumque longo tempore in illius principis curia habitaret, sic illius studuit placere voluntati ut non displiceret Conditori. Quia enim scriptum legerat : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo* (1), et illi idoneum reddebat obsequium et Deo debitum exhibebat cultum. Tantam autem illi gratiam Dominus contulit ut comes comitissaque et omnem honorem ei deferrent, omnisque familia domus ejus sermones venerationi haberent, nullique quod ipse diceret contradicere præsumerent, omnesque ab ore ejus pendentes, ejus dictis, ut discipuli magistro, reverenter parerent.

Quod comitissam lamentantem consolatus est.

VI. Rem autem quamdam quam cuidam discipulorum suorum retulit, ob illius auctoritatem nostro non debemus præterire silentio. Quadam enim vice, comitissam invenit lamentantem seque nimio dolore et fletibus affligentem. Cujus doloris causam diligenter inquisivit, ipsaque indicante, quod eam comes vilipenderet ictibusque attrectare præsumeret, didicit. Cujus dolori venerandus vir condescendens, dixit se ægre ferre quod ei talia præsumpsisset ingerere, necessitudinisque vinculum inter se comitemque dissolvi, nisi a tali injuria dominæ inferenda studeat cohiberi.

De comite ejus manibus ad vapulandum submisso.

VII. Accidit autem aliquando ut ipse a Moritonio discederet, comitique discessum suum non indicaret. Quod ubi comiti nuntiatum fuit, eum absque dilatione prosequens, dato satisfactionis pignore, regredi fecit. Hujus vero separationis causa manet occulta, nullique, nisi ipsis duobus, habetur manifesta. Ipsis itaque reversis capellamque private ingressis, comes venerandum virum misericordiam implorando cœpit obsecrare, ut eum pro suo libitu flagris attre-

(1) *Male cod.* Matth. 5; *legend.* Matth. XXII, 21; Marc. XII, 17; Luc. XX, 25.

ctare non dubitaret. Tunc princeps, abjectis vestibus, coram ipso nudus statuitur, viroque reverendo super ipsum insistente acribus verberibus corripitur (1). Princeps autem ut sui misereatur humiliter implorat; vir vero venerandus eum pro velle suo virgis cædentibus castigat. O virum summa libertate præditum! O virum magna auctoritate conspicuum! Vera est enim apostoli sententia quæ dicitur: *Ubi spiritus Dei, ibi libertas* (2); vere siquidem liber extitit, cui et comitissa dolorem suum aperire non timuit, cujusque manibus comes ipse verberandum humiliter submittere non erubuit. Hæc enim, sicut romane (3) scripta reperimus, latino eloquio fideliter transferentes, litteris evidentioribus tradidimus. Quæ autem subjicimus, viris fidelibus referentibus cognovimus; sed sciendum est quod hucusque hominem in terra ambulantem descripsimus, nunc vero quasi aquilam a terra suspensum sublimibusque intentum describere curamus.

De petitione facta ad ædificationem Savignell.

VIII. Cum itaque cœnobium Savigniense in confinio Normaniæ et Minoris Britanniæ ædificare decerneret, locumque aptum lucrandis animabus cognosceret, pro illius ædificatione supplicaturus, dominum Radulphum de Fulgeriis (4), ad cujus ditionem locus ipse pertinebat, expetiit, locumque et nemus ei adjacens auxilio uxoris prædicti Radulphi, ipsius concessione duorumque filiorum majorum natu obtinuit. Sed minor natu, Henricus nomine, nec prece, nec pretio,

(1) Tales vapulationes seculo XII invaluisse, patet ex Roberto Pullo cardin.. Sententiar. lib. VII, cap. III. (Edit. 1655, p. 220, apud Migne, P. L., t. CLXXXVI. col. 914.) — (2) II Cor. III, 17. — (3) Id est idiomate vulgari, gallice *en roman*. — (4) *Rodolphe* seu *Raoul de Fougères*, e sociis Conquestoris unus; uxorem habuit Aviciam, Richardi, comitis Brionensis, filiam, ex qua filios quinque compluresque filias habuit. Quorum major natu, Gulielmus, obierat ante annum istius fundationis (1112); Radulphus autem, Mainonius Franqualus, Henricus et Robertus supererant: jure ergo *minor*, non *minimus*, natu Henricus hic dicitur. Qui postea, defunctis fratribus, Radulpho patri successit (circ. 1120-1124), et quatuor habuit filios; sed secularibus tandem abdicatis, monachus effectus est apud Savigneium. tempore Serlonis abbatis (1150), atque paulo post obiit.

quod illi concesserant, concedere voluit. Sct omnia [1]..... Dei potentia; vere enim scriptum est: *Regnabit* [2] *Dominus propter vos et vos tacebitis* (1). Quod homo facere non voluit, Deus sua misericordia adimplevit. Vir autem sanctus eum intuitus cum spiritualis zeli indignatione, eum non bono spiritu pronuntiavit impleri, qui suæ nollet assentire petitioni. Itaque, eo revertente, puer infirmitate corripitur, doloribusque nimiis, ipsa invalescente, cruciatur. Qua de causa post virum Dei mittitur, tantaque necessitate urgente, sub celeritate ad eum reducitur. Tunc puer quod prius facere noluerat sanus, facere non distulit infirmitate correptus, sicque, mitigatis doloribus, sanitati est redditus. Qui postea seculum relinquens, in eadem domo monachicam vitam subiit, atque in sancta religione inibi diem extremum obiit.

Quod meretrices ab infami commercio convertit.

IX. In convertendis autem feminis infando luxuriæ cœno prostitutis, magnum gratiæ munus ei divina largitas tribuit. Nam quas ignominioso operi deditas inveniebat, eas dulce filiarum vocabulo blandimentisque suavibus alliciens, a turpi flagitio convertebat, conversasque, de reliquo pudicitiam conjugalem spondentes, nuptum tradebat; et quas turpi commercio virorum animas venantes invenerat, ab infamia turpitudinis ereptas, matrimonio legitime copulatas, collatione fidelium, ejus prædicatione eis subvenientium, divites relinquebat. Certe Evangelio cognovimus teste quia *publicani et peccatores a Domino suscipiebantur* (2), dæmonici curabantur, male habentes ab incommodis liberabantur; et nunc cognovimus quod peccatrices mulieres a detestanda mali operis voragine famuli Christi sollicitudine eruebantur, conjugalique castimoniæ ejus instantia et consilio reddebantur. Sed qui tunc illos per se curabat, nunc per famulum suum ista faciebat. Sed sicut scribæ et pharisæi de peccatorum

[1] *sic cod., quibusdam scilicet deficientibus in originali.* — [2] *Vulgata* Pugnabit.

(1) Exod. xiv, 14. — (2) Luc. xv, 2, et alibi.

susceptione scandalizabantur, ita erit fortasse aliquis qui, cum hæc audierit, corde malivolo calumnietur, vel talia fieri non posse ab eo arbitretur. Sed quisquis[1] ille est qui ejus facta dente venenoso carpere non formidat, noverit quod jam illi lingua venenata non noceat, sed sibi talia loquendo cumulum peccato exaggerat. Quam copiosam autem gratiam in restauranda et reformanda inter discordes pace habuerit, ex iis quæ subjiciuntur facile quis advertere poterit.

De militibus condonare nolentibus inimico.

X. Quadam enim die, eo in publico prædicationi operam dante, miles quidam intererat qui alium quemdam neci tradiderat. Qua de causa, fratres defuncti mortem inferre moliebantur, ut fratris sui sanguinem ulciscerentur. Cum igitur vir Dei sermonem faceret, præfatus vir ad ejus pedes advolvitur, sanctoque sollicitante quid haberet, eo indicante, causa agnoscitur; nec mora, illis accersitis, de pace ineunda conveniens, unum ex iis alloquitur, et si nimium odisset eum sciscitatur. Ille autem dixit se erga eum tanto odio teneri ut ejus nimietas non facile valèret verbis exprimi, molesteque ferre se eum superstitem intueri. Viro adhuc sancto si sic esset replicante, ut odii flammam de corde ejus posset explantare, ille talia fertur respondisse : *Si unum pedem in paradiso, alterum vero tenerem in inferno, libenter pedem de paradiso extraherem, ut vel in inferno pro libitu meo vindictam percipere possem.* O cor durum! O cor malitia cæcatum! O ira diabolica! O ira perversa! O ira non nisi morte alterius satiata! Scriptum est: *Ira viri.....*[2]*justitiam Dei non operatur* (1). Quomodo enim justitiam [3] Dei valeat operari, qui tanto malo cor habens infectum, in alterius mortem quærit debacchari? Quod audiens vir Dei, eum maligno

[1] *cod.* quisque. — [2] *sic cod. : unde patet quanta cura scriba noster adhæserit originali textui ; causam enim infixorum inibi punctorum nullo modo perspectam habemus.* — [3] *cod.* justitia.

(1) Jac. I, 20.

spiritu plenum pronuntiat, statimque jubet ut a conspectu suo recedat. Egresso autem eo nec adhuc longius digresso, eum iterum vocari præcipit. Quo facto, prædictum militem ejus pedibus in modum crucis fecit provolvi, ensemque vehementer incidentem manibus illius tradi, dicens: *Ecce nunc sanguinem fratris tui, si potes, ulciscere, quodque nimis cupis, si Deus permittit, perfice.* Mira res! illo manum cum ense ad ultionem erigente, subito, ense labente, manus totumque corpus illius contremuit, exsanguisque effectus, ante pedes illius corruit; et qui prius dictis viri Dei superbus noluerat obedire, nunc ante eum superbiæ fracta cervice jacebat. Quo facto obstupefactus, quod prece admonitus prius facere contempsit, cognita Dei virtute, libenter parcendo adimplevit. Sicque vir Dei, pace inter eos restituta, quos discordes invenit, amicitiæ vinculo pacatos dereliquit.

De eo qui nolebat ejus monitis cum adversario concordari.

XI. Alio quodam tempore, discordia aliquot inter homines Londoniæ exorta, cum quidam prædives in illa congressione graviter vulneratus pugnum amisisset, ad eum pro pace cum discordibus ineunda accessit. Sed ille ejus verbis aurem præbere contempsit; verum, domum suam ingressus, armis se defendere nitebatur. Quem vir Dei, armis spiritualibus munitus, urgebat ut adversario concordaret quod in se deliquerat. Quod cum facere renueret, dolore correptus, spumis ex ore ebullientibus, deformiter agitatur. Sicque inter hominem ejusque adversarios, viro Dei mediante, pax concordiaque stabilitur. Vera enim describimus, etsi non visa; nec divinæ potentiæ quin hæc facere prævaluerit, derogamus. Qui enim multo majora, imo cuncta, fecisse cognoscitur, cur non et hæc per famulum suum facere potuisse credatur? Hæc dicentes et cautelæ vallo, ne a vero deviemus, nos munire satagimus, et Deo, cui nihil impossibile est, totum committimus; verum si subtiliter quod primum est advertimus, pie eum super immundos spiritus potestatem habuisse cognoscimus. Ut enim Patrum dicta testantur, cum

luxuria calcatur, cum ira expellitur et castitatis sanctimonia induitur, animaque decore concordiæ venustatur, spiritus fornicationis excluduntur, et tanto utique majori miraculo quanto pretiosior anima est quam caro.

Quod viri nolentis eum audire mortem teterrimam prædixit.

XII. Vir[1] quidam armatus supervenit, quem alius qui prædicationi intererat, conspiciens, inimicus siquidem ei erat mortemque ejus incessanter quærebat, ad pedes sancti viri timore correptus cucurrit; cujus timoris causam vir sanctus cognoscens, virum qui supervenerat, extra ecclesiam ponere jubet, sicque verbo Dei interesse cum ceteris, si vellet. Cui cum crebrius inculcasset, illeque audire contemneret, optimus seminiverbius, zeli igne succensus, manum contra altare extendens, cum contestatione gloriosæ Virginis Mariæ illum pronuntiavit bona morte ex hoc seculo minime migraturum. Quod autem dixerat, rei exitus verum approbavit, nec ex verbis ejus, ut scriptum est (1), in terra decidit. Nam, non multo post tempore, ille in nefando flagitio cum cujusdam viri uxore ab ejus marito in quodam nemore interceptus, horrenda morte interemptus vitam finivit, corpusque ejus a canibus devoratum etiam humana caruit sepultura. Hinc licet adverti ne sanctorum virorum verba habeantur contemptui, quia, cum ipsi ob superciliositatis malorum conscientiam irritantur, Spiritus sanctus, qui in eis habitat, contristatur, ejusque contumelia irrogatur gratia[2], cui contradicere non valet in prosperum cadere. Ecce enim infelix homo qui sancti viri verba contempsit, morte pessima pessumdatus periit; cujus si verba humiliter et pie audire voluisset, salubriter intus viveret, et tam terribilem mortem flagitium vitando non incurrisset.

[1] *in cod. legitur :* De alio eodem simili opere, vir quidam, *etc. ; sed videntur hæc verba fuisse olim pro rubrica, et dein incuria scribæ textui inserta. Insuper videtur male lectum* eodem *pro* ei^{9}dem (ejusdem). — [2] *forsan legend.* gratiæ, *nisi dicendum sit* irrogatur *poni pro* conceditur, *et* contumelia *pro* reprehensione.

(1) I Reg. III, 19.

Quod diaboli machinamenta detexit.

XIII. Alio etiam tempore, dum similiter prædicationi deserviret, populusque illius verba nimis attente audiret, inter loquendum hæc intulit : *Cavete et diligenter attendite, et quidquid audieritis, ab hoc quod cœpistis, nolite discedere. Totius enim boni inimicus valde inflammatur, quod a vobis sermo Dei tam devote percipitur : unde malitiose non desistit machinari quomodo ab hoc quod auditis, abstrahamini.* Post hanc ejus admonitionem, clamoris strepitus foris auditur, quodque ignis villam incenderet, clamor attollitur. Populus autem hoc clamore attonitus, non bene verborum viri Dei reminiscens, statim egreditur, sed de iis quæ audierat, nihil intuetur ; cumque confusus reverteretur, eos famulus Dei sic alloquitur : *Numquid non dixi vobis ut propter ea quæ audituri eratis, hinc non discederetis. Ecce diabolus, si plus fecisse potuisset, libenter utique plus fecisset : sed ex hoc nihil emolumenti tulit, quia vobis nocere non valuit.* Heu quanta est humani generis fragilitas! Heu quam parva aut nulla ejus stabilitas! Heu quam cito ruit, quam cito labitur! Heu quam facili impulsu ab eo quod proposuerat, emergente causa, expellitur! O quanta diaboli nequitia! O quanto [1] plena dolo ejus malitia! O quam præsumptuosa ei semper nocendi audacia! Vere enim torquetur, inflammatur et stimulis invidiæ agitatur, cum aliquid [2] sibi subtrahi et Christi suavi jugo cognoscit submitti. Hoc siquidem malorum spirituum verbis dignoscitur, cum in Evangelio ad Dominum loquerentur : *Quid nobis et tibi, Christe, fili Dei vivi? Venisti ante tempus torquere nos* (1). Sed o virum industrium! O virum sapientia plenum! Dicam, dicam quod sentio. Ego huic prophetiæ spiritum defuisse non existimo, qui et hominis mortem horrendam prædicere et diaboli machinamenta potuit detegere.

[1] *cod.* quanta. — [2] *cod.* aliquod.

(1) Matth. VIII, 29.

Quod corporis curam parvi penderet.

XIV. Curam vero corporis quam vilipendit, quamve sollicitudinem in erogando talento verbi Dei sibi commisso habuerit, ex uno ejus facto, quod hic subjicio, manifestum existit. Exigebat quandoque necessitas eum a loco in quo commanebat, ad alia loca demigrare. Itinere aggresso, silvam ingreditur; sed, recto viæ tramite amisso, per illius devia [1] cum sociis, tribus diebus jejunium sustinens, vagabundus circumvagatur. Quarto tandem die egressus, quamdam villam ingreditur, fameque posthabita, prædicationi occupatur, sermoque ab eo fere ad mediam diem protrahitur, donec, monacho qui cum eo erat submurmurante, quod tamdiu jejunus erat a populo cognoscitur. Quia enim scriptum est : *Ecce oculi Domini super metuentes eum et in eis qui sperant super misericordia ejus, ut alat eos in fame* (1), æstimo eum interna [2] spiritus dulcedine saginari, ideoque corporis refectionem ab eo parum aut minime curari. Quid hic, quid dictura [3] est negligentium pastorum segnities [4] ? Quid responsura corruens desidia ? qui prompti ad ventrem exquisitis escis infarciendum, tardi et segnes sunt, dicam ad loquendum ? sed etiam ad meditandum. Illis congruit quod Scriptura dicit : *Væ pastoribus qui pascunt semetipsos* (2) ; et *Canes muti non valentes latrare* (3). Ipsi enim de loci honore gaudentes tument, et rarum vel nullum prædicationis verbum lucrandis animabus adhibent ; quia, dum sola caduca curant, de ratione officii sui raro vel minime cogitant. Verumtamen vir iste longe aliter se sapuisse ostendit, qui tam vigilanti studio semina verbi Dei spargere studuit.

[1] *cod.* devio. — [2] *cod.* internis. — [3] *cod.* dictum. — [4] *cod.* segnitiei.

(1) Psalm. XXXII, 18, 19. — (2) Ezech. XXXIV, 2. — (3) Isai. LVI, 10.

Quod, spreto hominum consilio, causam suam Dei voluntati commisit.

XV. Quam fortis veritatis assertor quamque illius amator extiterit, subjecta paginula ostendit. Exorta namque inter ipsum abbatemque Cadomensem [1] pro parte burgi Moritoniensis, quam dono a comite acceptam eidem rursus cœnobio dederat, controversia (1), dies [2] placiti statuitur. Die adveniente, causæ locus aditur; cumque verbis adversantium admonetur, solus ecclesiam ingreditur, diuque ab eo inibi orationi insistitur. Qua completa, rediit; quod verum esse constabat, confessus, causam suam Dei voluntati commisit. Abbas vero prædictus, secum pertractans Dei forsitan voluntatem esse ut quod poscebat, deberet recipere, ejus petitioni consentiens, finita querela, dimisit. Enimvero liquet ex hoc quod Dominus famuli sui causam peregit, qui, spreto baculo arundineo, hominum scilicet auxilio, in homine spem suam ponere noluit, sed ad eum, imminente necessitate, confugit. O quam bonus es, Domine, sperantibus in te! Tu enim dixisti: *Quodcumque credentes petieritis, credite quia accipietis* (2); et hoc famulo adimplesti. Quid hic dicturi sunt quos concupiscentiæ proflagitat immanitas? qui avaritiæ æstibus agitati, etiam lite et violentia alienas invadunt substantias? Nempe si his corde tenus tangerentur, forsitan, tam immane vitium extrahentes, ab illius dominio erui niterentur. Ne autem hic sermo meus prolixitate legenti fastidium pariat, hic primus liber finem accipiat, ut lector deinceps ad cetera legenda devotior accedere convalescat.

Explicit liber primus.
Incipit liber secundus.

I. Decreveram quidem paucis huic operi finem imponere; sed, quia vos me impellitis, qui ejus vitam ab ejus qui adhuc

[1] *cod.* Cadumensem. — [2] *cod.* diei.

(1) Quæ contentio orta est anno 1088. Patet ex Henrici I regis Angliæ charta (*Hist. de la Congr. de Savigny,* part. II, p. 36). — (2) Matth. XXI, 22; Marc. XI, 24.

supersunt discipulis perquisistis, adhuc aliqua, quæ relatione cognosci valeant, postpositis ceteris quibus occupabar, annotare curabo. Ita enim superius aliquas ejus virtutes descripsimus; nunc vero restat ut quantæ patientiæ et dilectionis erga inimicos extiterit, demonstremus. Quia vero Scriptura non potest falli, quæ dicit : *Omnes qui pie volunt vivere, persecutionem patiuntur* (1), et Abel non potest esse quem Cain malitia non exercet, vir iste multos adversarios habuit, quos tamen patientia superavit.

Quod eum voluerunt occidere æmuli, vicinitatem ejus ægre ferentes.

II. Cum enim prædictum locum colere incepisset, homines quidam malitiæ facibus succensi, vicinitatem ejus moleste ferentes, nemus eidem loco adjacens usibus suis, ut prius habuerant, deinceps se minime habere considerantes, eum exterminare moliti sunt. Cum enim die quadam iter ageret, viri eorum consilio in insidiis latentes, eum sagittis aggrediuntur; sed inter crebras earum pluvias, Dei virtute illæsus intactusque servatur. Sagittis itaque inaniter intortis, illi, hoc facto stupefacti, de latibulis egrediuntur, venientesque ad eum, reatum suum confitentur; a quo celerem indulgentiam consequuntur. Quid hic dictura est nostra superbia? Quid responsura insolentia? Certe, levi verbo vel etiam signo exasperati, si aliud facere non valemus, rancorem detestandum in corde toleramus, nec recto intuitu æmulos nostros respicere possumus; si autem quandoque locum invenimus, pestilentiæ virus quod occultaveramus, nosmetipsos vindicare cupientes evomimus, cum Dominus dicat : *Diligite inimicos vestros* (2).

Quod quidam, præcepto cujusdam militis eum sequentes, voluerunt occidere.

III. Miles quidam, aliquando dolens quod ejus admonitionibus oblationes fidelium loco quo nollet deferrentur, eum

(1) II Tim. III, 12. — (2) Matth. V, 44.

neci tradere conabatur. Audito itaque ejus transitu, filii pestilentiæ post eum mittuntur, qui viri iniqui in eo jussa exequerentur. Venientes vero ad quamdam aquam, quam jam vir Dei transierat, transire non valuerunt, ibique Dei virtute detenti, omni suo conamine frustrati remanserunt. Quidam vero, ceteris iniquior et ad nocendum paratior, equo cervicoso insidens, supervenit; qui eos quasi desides, quia quod cœperant non perficerent, increpare cœpit. Ipse autem, malitia cæcatus, super pontem cum equo [1] ascendit; sed, justo Dei judicio interceptus, in aquam decidit. Divino judicio, vix ipso evadente periculum, equus submersus interiit. Unus autem illorum, hoc miraculo stupefactus cordeque compunctus, se in orationem dedit, Dominum virumque Dei ut eum transire permitteret, suppliciter exoravit : quo impetrato, veniens ad illum, reatum suum confessus, veniam statim percepit, eumque ad ceteros qui remanserant, transire non valentes, adduxit; quibus similiter facillime indulsit, dicens se mortem non refugere, sed hoc in votis esse ut, morte illata, ad Dominum suum valeret pervenire. Quibus verbis ostendit se pro Dei amore libenter martyrium sustinere, si esset qui præsumpsisset inferre; seque paratum pro Christo mori, ut martyrii palma valeret coronari. Possumus ergo colligere quia, etsi non sustinuit corpore passionem, paratam tamen ad illam suscipiendam servavit mentem. Quoddam enim genus martyrii esse cognoscitur, si mens ad illud sustinendum semper devota habeatur, veritatisque norma illibata semper custodiatur.

De factione in eum facta ab æmulis.

IV. Factum est aliquando concilium in Angliæ partibus (1), in quo multæ convenerunt ecclesiarum personæ, inter quas quidam fuere qui in ejus mortem conspirationem dicuntur

[1] *cod.* quo.

(1) Concilium nempe Londoniense a B. Anselmo Cantuariensi arch. ann. 1102 ad fest. S. Michaelis convocatum; de quo ap. Matth. Paris, *Hist. Angl.*, ad annum 1102 (ed. Madden, Londin. 1866, t. I, p. 191).

fecisse. Quod cum viro Dei nuntiatum fuisset, mori pro veritate paratus, illuc ire non timuit, eorumque machinationes malignas devitare sese abscondendo, in Domino confidens, recusavit. Veniens itaque illuc, eminentiorem locum ascendens, semina verbi Dei spargere cœpit. Sed ab uno perversæ partis calumniam sustinuit; qui ejus verba, cum duas sententias deprompsisset, quaque illarum audita, toto audiente concilio, eum dehonestando [1] reprehendit. Tertia vero audita, lingua maligna a reprehensione se compescuit, virtutemque verbi admirans, quæ prius damnaverat, in communi audientia laudibus extulit, reatumque suum confessus, cum ceteris complicibus veniam poposcit, dicens nequaquam eum talia posse eloqui, nisi habitatio esset Spiritus sancti : tantoque Dominus gloriosius servum suum magnificavit, quanto ab iis a quibus impugnabatur, extolli laudibus fecit. Nullius siquidem robustius est testimonium quam cum ille laudanda loquitur, qui crimen impingere [2] conabatur. Quibus idem vir benigne indulsit, cujus perfecta victoria de illis extitit, quod Deus perversum eorum consilium ad nominis sui gloriam in bonum commutavit. Hæc est siquidem sanctorum de inimicis perfecta victoria, cum illi, malitia derelicta, ad bonum convertuntur, et veritatis quam impugnaverant, assertores efficiuntur. Ecce patientiæ ejus virtutem ex parte ostendimus, sed nec dilectionis viscera inimicis impensa tacuimus. Patientiæ enim fuit, quod patienter persecutionem sustinuit; dilectionis, quod persequentibus benignissime indulsit. Sed libet memorabile illud Moysi factum ad memoriam revocare, et in isto aliquod illi simile considerare. Certe cum idem Moyses, ex Dei præcepto, filios Israel ex Ægypto vellet educere et Pharao ejusdem populum nollet [3] dimittere, compulsus est regis improbitate eamdem terram plagis affligere. Cum vero aquarum in sanguinem conversione et ranarum productione eum mulctasset, magi similiter fecerunt; sed tertio [4] cum prodissent, sciniphum [5] plaga veniente, magi defecerunt, omnisque artis suæ virtute perdita, dixerunt : *Digitus Dei est hic.*

[1] *cod.* deshonestanda. — [2] *cod.* impegere. — [3] *hæc vox bis posita in cod., hic et post* Pharao. — [4] *cod.* tertia. — [5] *cod.* sciniptus.

Similiter et hic: semel et iterum in sancti viri exprobratione adversa verba depromuntur; sed tertio ab audaciæ suæ malitia, Spiritui sancto verba sua adscribens, compescitur.

Quod morti adjudicatos liberavit.

V. Aliquando, dum vir sanctus prædicationis causa Angliæ partes peragraret et populis salutis verba diffunderet, contigit duos adjudicatos ad suspendium duci, eumque eis, dum ducerentur, obvium fieri. Quos [1] miseratus, statim, præsente justitia (1), more beati Nicolai [2] absolvit et dimisit; nec ejus voluntati justitia contradicere præsumpsit.

De homine ab eo redivivæ vitæ reddito.

VI. Libet hic rem memoriæ dignam inserere, quam priorum relatione contigit usque ad nos pervenire. Tempore quodam quidam milites, ejus verbis acquiescere nolentes cumque adversariis reconciliari renuentes, discesserunt. Sed in ipso itinere gravem impactionem perpessi sunt. Quidam namque ex illis de equo decidens, in terram corruit, et tamquam mortuus ibidem jacuit. Quo ei nuntiato, illuc adducitur, multaque populi tunc turba illuc euntem, tale spectaculum visura comitatur. Veniens vero ad locum, orationi incumbere hortatur, ut Deus ad nominis sui gloriam et videntium utilitatem virtutem suam ostendere dignetur. Factum est. Completa oratione, illum alloquitur; ad cujus vocem, tamquam de gravi somno evigilans, exsuscitatur. Jubet ut in medium proferat ubi fuerit, vel quid secum actum cognoverit. Respondet ille se meritis suis infernalibus locis fuisse deputatum, sed sancti viri meritis et oratione vitæ restitutum. Spondet vero se omnino militiæ renuntiare et deinceps vitam in sancta religione transigere. Quem vir sanctus ad quamdam abbatiam curavit transmittere, ut ibi

[1] *cod.* Quod. — [2] *cod.* Nicholai.

(1) Id est, justitiæ mandatorum executoribus.

degens in sancta conversatione vitam posset finire. Cujus præceptis ille obtemperare studuit, ibique diu in sancta conversatione fideliter vixit. Nemo nostra inventa suspicetur[1] esse, pro tantæ rei novitate, quæ huc inseruimus; quia, non nostra, sed quæ fidelium attestatione probata sunt nobisque tradita, descripsimus.

Quod araneam in sacrosancto mysterio sumpsit.

VII. Die autem quodam, cum idem, hominum aspectibus subtractus, sacris astaret altaribus, inter ipsa sacrosancta mysteria, forsan ad virtutem ejus ostendendam, aranea quædam in sacrum calicem elabitur. Abigere eam non poterat, manus humana succurrere non valebat. Fide itaque armatus, eam cum sacrosancto sacramento percepit, nec inde triste quidquam pertulit. Et quid mirum? Quia enim se credebat veraciter accipere corpus Dominicum et sanguinem, non immerito fidebat tantum mysterium etiam omne venenum posse superare. *Omnia* siquidem, teste Veritate, *possibilia sunt credenti* (1). Unde et discipulis ait: *Si habueritis fidem tamquam granum sinapis, dicetis huic monti: Transfer te in mare, et fiet* (2). Hinc est quod eamdem Paulus tanto præconio extollit, cum per hanc, hunc et hunc viritim enumemerando, ostendit eos placuisse Deo. Mira dicturus sum, et forte pro sui magnitudine aliquibus in ambiguitate ventura; sed testor Deum, cui tota mentis intentione servire desidero, quia non nostra sunt quæ hic inserimus, sed quæ virorum fidelium in sancta religione viventium relatione cognovimus. Die quadam, cum Pater sanctus in spargendo populis Dei verbo detineretur, eadem aranea de pede suo exisse narratur. Et recte quidem: quam enim mirabiliter perceperat, mirabiliter edere eam conveniebat; qui enim, intemerato uteri sigillo, de matre prodire potuit, quique populo suo, contra consueta, aquam educere de petra voluit, ipse in

[1] *cod.* suspicatur.

(1) Marc. IX, 22. — (2) Matth. XVII, 19.

famulo suo tantum ostendere miraculum potuit. Audiat hoc fidelis, ut ardentior et devotior efficiatur; audiat dubius, ut in fide robustius confirmetur; audiant omnes, ut ab omnibus virtus et fides viri cognoscatur, et ab eis Domini magnificentia glorificetur.

De muliere admonita per somnum de præparando ei cibo.

VIII. Erat miles quidam cujus uxor fidem thori maritalis non bene servare dicebatur. Vir autem sanctus, utpote cui moris erat errantes hujusmodi ad pudicitiam revocare cum esset Constantiis, apud illius domum disposuit, cum longe esset ab illa civitate, hospitium habere. Arrepto itaque itenere, antequam illuc veniret, sole occidente, dies clauditur. Tempore instante, illi apud quos hospitari decreverat, somno refovendi lectulo collocantur. Mulier autem illa, cum jam obdormisset, per visum voce expergefacta excitatur, voceque eadem ut sancto viro cibum præpararet, jubetur. Sed mariti voce increpata quasi phantasia agitaretur, rursum collocatur. Rursus eam vox eadem admonuit, et ut cito quæ dixerat, præpararet, quia tota die idem vir maneret, præcepit. Cumque hoc ter factum fuisset, viri sancti prænuntius advenit, et quia vir Dei adesset, indicavit. Sicque rei eventu probatum est mulierem non phantasia agitatam fuisse, sed vera per visum vidisse. Et merito quidem de præparandis ei necessariis fuit admonita, quia ad hoc veniebat ut ei vitæ largiretur salubria consilia, et quæ infami nota exurebatur, ad cautelæ munitionem ejus verbis revocaretur.

Quod pastores securavit a prædonibus, et latronibus comprehensis.

IX. Tempore quodam, guerra grassante in illis partibus in quibus pastores quidam sancti viri armenta pascebant, iidem pastores, raptorum incursionem pertimescentes, ei dixerunt ut alibi transferrentur, ne illorum violentia eis quæ custodiebant, auferrentur. Quos vir sanctus securavit, et quidquid ab eis damni paterentur, eis restituere promisit. Hac ab

eo securitate accepta, inibi permanserunt, nihilque a prædonibus mali pertulerunt; verumtamen fures venientes nocte, domum in qua armenta servabantur intrantes, vaccas plurimas eduxerunt, sed eductas de curia ejicere nequiverunt. Tota siquidem nocte, erroneo spiritu circumacti et casso labore consumpti, nihil omnino perfecerunt. Qui, Dei virtutem tali miraculo cognoscentes, virgasque gestantes (1) et peccatum suum confitentes, sancto viro se subduxerunt[1], a quo veniam percipere meruerunt.

Quod pilis vestimenti ejus ægri sunt sanitati restituti.

X. Quod sanctimonialis quædam, quam in sancta conversatione constituerat, solet referre, negligenter non debemus præterire. Dicit enim quod aliquando quædam ex sororibus suis de sancti Patris vestibus pilos detraxit, quos aqua commiscens, infirmis et febricitantibus hauriendos distribuit. Qui, tali potione potati, pristinæ sanitati, ipsis fatentibus, sunt restituti. Legimus tacta fimbria vestimenti Domini hæmorrhoissam[2] mulierem pristinæ restitutam sanitati (2); legimus nihilominus quod in plateis ponebantur infirmi, ut, transeunte Petro, possent umbra ejus sanitati restitui (3); sed qui per semetipsum vel per summum apostolorum verticem tunc temporis gessit, ipse et per suum Vitalem miranda, eum virtutibus ditando, facere potuit. O Domine, quam mirabilis es semper in sanctis tuis! Ut enim gloriosius sancti viri virtus innotesceret, non solum per ejus præsentiam miracula voluisti facere, sed per res parvissimas ad eum pertinentes, ob ejus virtutem demonstrandam, indigentibus subvenire.

Quod, eo prædicante in Anglia, populus romanam linguam (4) ignorans ejus verba intellexit.

XI. Aliud quoque miraculum subjungamus, qualiter videlicet ad exemplum priorum credentium, meritis servi sui in

[1] *ita cod. pro* subjecerunt *vel* subdiderunt. — [2] *cod.* Emoroissam.

(1) Ut sese castigationi ultro devoventes. — (2) Matth. IX, 20; Luc. VIII, 43. — (3) Act. V, 15. — (4) Id est, francicam tunc vulgarem, *la langue romane*.

audientium cordibus haud dubium quin, eodem operante Spiritu, ignotæ linguæ notitiam subita infusione intimaverit. Cum enim in Anglia quodam tempore moraretur, contigit eum, sicut [1] solitus erat, in ecclesia [2] positum in quadam populi innumerosa multitudine sermonem facere. Sed cum multi ibidem adessent qui romanam linguam [3] ignorabant, tantam largitatis suæ gratiam Deus audientium mentibus infundere dignatus est, quod quamdiu sermo ille duravit, omnes romanam linguam intelligerent, qua in loquendo utebatur; licet, eadem gratia, sermone finito, nequaquam perseverante in eis: ut per hoc daretur intelligi, videlicet ad intelligenda Spiritus sancti verba, quæ de ore illius procedebant, merito audientibus ejus intellectus daretur ad horam, qui tamen, ne [4] postea in supervacuis confabulationibus eamdem gratiam expenderent, hac ipsa salubriter privabantur.

Quod sermonem fecerit in concilio Remensi jussu domini Papæ.

XII. Illud etiam loco suo nequaquam omittendum videtur, quod non solum regibus, principibus ac potestatibus hujus mundi, propter suæ sanctitatis eminentiam reverentiæ atque terrori erat; qui, secundum beati Job eloquium, molas eorum conterens, de dentibus eorum rapinas et prædas pauperum manu potenti et brachio extento liberæ auctoritatis eripiebat (1). Ad quod demonstrandum, prætermissis plurimis erga virum Dei suæ discretionis indiciis, illud ad exemplum sufficit quod, cum a domno Papa (2) ad generale concilium quod in urbe Remensi (3) celebrandum [5] erat, invitatus fuisset, sermonem in conventu concilii faciendum ei injunxit, eique post concilium recedenti, loco fœderis et singularis

[1] *cod.* ut sicut. — [2] *bis ponit cod.* in eccl., *hic et post* sicut. — [3] *cod.* romanæ linguæ. — [4] *cod.* nec. — [5] *cod.* celebratum.

(1) Job. xxix, 17. — (2) Calixt. II, qui Vitalis commendandi ergo jam diploma direxerat (Andegavis V Id. Sept. 1119) ad Abrincensem episcopum Moritoniensemque comitem. — Migne, P. L., CLXIII, col. 1120. — (3) Ann. 1119.

amicitiæ, enxenia[1] plura largitus est, quibus videlicet beatus vir omni deinceps tempore confortatus, tanti Patris recrearetur affectu. Cui etiam domnus Papa coram multis testimonium tulit quia in omnibus citramontanis ne unam quidem invenisset personam quæ ita asperæ invectionis rigore atque [sine] blanditiæ seu adulationis fuco, omnia quæ in ipso apostolico reprehensibilia judicabat, eidem viva voce manifestasset. In prædicto etiam concilio, quod silendum non est, acquisivit ecclesiæ Savigniensi hujus privilegii dignitatem a domno Papa quod, si omnis episcopatus Abrincensis una etiam cum ipso episcopo, quantalibet ex causa missa ceterisque divinis officiis privabitur, ecclesia Savigniensis nihilominus quidquid ad divinum pertinet officium, plenarie per omnia adimplebit, nisi ex propria et capitali culpa commiserit ut interdici et prohiberi a divinis officiis mereatur (1).

Brevis epilogus.

XIII. His itaque de vita sancti aliquanto prolixius pertractatis, quoddam breviarium facientes, adhuc quasdam ejus virtutes breviter, sicut in Rotulo (2) qui de morte ejus scriptus est, habentur, annotemus, et tandem ad ejus transitum veniamus. Hic igitur pater, sicut supra diximus, ab infantia disciplinis liberalibus eruditus, postquam ad virilem ætatem pervenit, in rerum abundantia positus, cœpit amare paupertatem; simulque illud evangelicum ante oculos ponens : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (3), sicut de beato Benedicto dicitur, *quasi*[2] *aridum mundum cum flore despexit* (4).

Hic igitur, divinæ miserationis manu a labentis seculi

[1] *cod.* ei xenia. — [2] *cod.* quoniam, *sed maluimus ad mentem scriptoris ponere verbum quo utitur Greg. M. initio Vitæ S. Benedicti in Dialogis.*

(1) Tale privilegium Paschalis II Saviniacensibus jam indulserat; nec ante annum 1112 nec post 1116 illius diploma collocari posse notat Martene, *Thesaur. Anecd.*, I, 36 (apud Migne, P. L., t. CLXIII, col. 397). Cfr. Jaffé, *Regesta RR. PP.*, pag. 512. Immo, quandoquidem loquitur de ecclesia jam ædificata, appropinquandum est secundo limiti intervalli assignati. — (2) Ille est Rotulus quem eruditissimus vir L. Delisle cum pluribus aliis edidit in libro cui titulus *Rouleaux des Morts.* Paris. 1866. (Ex collect. Societatis Histor. Franc.) — (3) Luc. xiv, 26. — (4) Greg. M., *Dialog.*, lib. II init.

hujus ruina ereptus, eremiticam vitam in loco qui Domini Petra dicitur, decem et septem fere annis (1) strenue duxit, non sine frequenti visitatione probatarum honestarumque sui temporis personarum, domni videlicet Roberti de Arbrexel, qui cœnobium quod Fons Ebraudi dicitur, ædificavit, et domni Bernardi de Tyron, cum aliis clarissimis ejusdem professionis personis (2), qui in prædicto loco Domini-Petræ, more sanctorum patrum collationes persæpissimas facientes, de sanctæ Ecclesiæ statu et animarum utilitatibus disserebant. In qua professione quam sancte se habuerit, quantum seculi contemptor et paupertatis amator, quam parcus sibi, largus egentibus, quantum jejuniis, vigiliis, orationibus et aliis sanctis operibus intentus fuerit, supradictarum ad eum personarum familiaris et frequens conventus indicat, dicente propheta : *Cum sancto sanctus eris* (3).

(1) Censet auctor Historiæ adhuc ineditæ Congregationis Saviniacensis de qua diximus in præfatione, B. Vitalem anno circit. 1093 aulam comitis Moritoniensis dereliquisse, et post unum annum exactum ad rupes Moritonii *(Mortain)* — de quo intervallo Vita quam hic edimus, tacet, — (nempe circ. 1094) in silvam Fulgerii quibusdam cum sociis transmigrasse. Licentia relinquendi diœcesim Abrincensem, cui territorium Moritoniense subjectum erat, concessa fuit B. Vitali a Turgisio episcopo, qui non sedit ante annum 1094, imo etiam 1095. Aliunde patet (ex charta Radulphi de Fulgeriis) Beatum anno 1112 foresta Savigneii donatum fuisse), et tum primum ibi ædificari cœptum esse cœnobium seu abbatiam cum ecclesia; vocaturque B. Vitalis *eremita* et *frater* in diplomate hujus concessionis, sive textum sequamur editum in *Gallia christiana*, tom. XI, Instrum. col. 110, sive chartam aliis verbis conceptam apud Martene, *Anecd.* tom. I, col. 332. Nec officit quod anno 1105 comes Moritoniensis dans Novum Burgum Moritonii in abbatiam monialium, dicit : " adjuvante fratre Vitali tunc temporis abbate Savigniaci existente, cui abbati de possessionibus meis dedi ministratum; „ nam quidquid sentiendum est de hac charta, anno 1106 dat B. Vitali nomen *Savigneii eremitæ* Henricus I, rex Angliæ. Imo vocatur adhuc *eremita* anno 1112, licet antea habuerit discipulos cum eo ut eremitas commorantes. Unde decem et septem anni numerandi videntur ab ann. 1094 exeunte ad ineuntem 1112. — Quoad locum qui hic et capite XVI *Domini Petra* dicitur, ita designatur in charta Henrici, ducis Normanniæ, data anno 1151 ad Hugonem archiepiscopum Rotomagensem : " Sciatis me concessisse monasterio S. Trin. de Savign. „ et Serloni abbati et fratribus ibidem Deo servientibus in perpetuam eleemosynam „ in foresta de Passeio juxta Domnum Petrum totam terram quæ est inter halam „ de Colmont et viam de Gorran et inter Lediver de Goles et Lediver Guarrin „ juxta eamdem forestam apud Fraisnesiam et forestam; et ista prædicta loca, scili- „ cet Domnum Petrum et Fraisnasiam, quæ rex Henricus avus meus eis prius dede- „ rat, do eis et concedo, in perpetuam eleemosynam cum omnibus appendiciis. „ Hæc autem documentis quæ nobis suppetunt, nondum illustrari queunt. — (2) Radulphum sc. de Fustayo, Petrum de Stellis, etc., qui omnes his in partibus eremiticam vitam ducebant. — (3) Psalm. XVII, 26.

Quod Dei semina indefesse sparsit.

XIV. Quantum vero divini verbi fidelis atque indefessus extiterit dispensator, comprobatur fratrum suorum qui eum comitabantur, labore intolerabili et ex labore defectu; cum, ipsis sedentibus et in ejus obsequio sibi invicem succedentibus, ipsum in prædicatione numquam sedere, defessisque sæpe auditoribus, numquam viderunt deficere. In quo officio, si quis verbis comprehendere velit quot nequam hominum insidias, quot sitis et famis contumelias, quot æstus aliasque aeris intemperies toleraverit, casso labore consumptus deficiet. Hic tamen nihil terreni appetens, *non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi* (1) quærebat, ad hoc tantum laborans ut inter discordantes pacem restitueret, egentibus victum et vestimentum, vagis hospitium, reis veniam, meretricibus legitima conjugia, leprosis domos ceteraque necessaria provideret. Cui Dominus tantam gratiam conferebat, ut, licet difficilia et impossibilia aggrederetur, Dei adjutorio numquam deerat effectu. Dum igitur iis et hujusmodi operibus sanctitatis per decem et septem annos deservisset, tandem, precibus fratrum coactus, quorum sanctitatis ejus causa non minima ad eum multitudo confluxerat, plusquam septies viginti [1] utriusque sexus pater effectus est personarum, præstantius, juxta Gregorium (2), judicans *multis prodesse quam soli sibi vivere*. Nec tamen in regimine positus pristinam paupertatem deseruit; prædicationi nihilominus incubuit, ecclesiarum maximus fundator, pauperum constantissimus defensor, tyrannorum acerrimus reprehensor, gregis sibi commissi rectus ac modestus pastor et piissimus provisor. Miraculum quoddam hic adhuc subnecto, ne nostra negligentia prætereatur silentio.

De fratre ejus de alto ruente sed minime læso.

XV. Artificibus lignariis quandoque in ædificandis domibus Savigniensis cœnobii occupatis, lignum quoddam ab alto

[1] *cod.* vigenti.

(1) Phil. II, 21. — (2) Cf. *Regulæ pastoralis Liber*, part. I, cap. V.

cecidit: frater viri sancti carnalis (1) simul ad terram cum eo corruit; sed, sancto viro oculos manusque levante, nihil læsionis ex illa ruina pertulit. Cujus rei eventu qui aderant, admiratione percelluntur et ad Dei laudem excitantur. Iis paucis tandem decursis, de ejus virtutibus ad ejus transitum stilum vertamus.

De morte ejus.

XVI. Disposito siquidem tempore quo laborum suorum fructum, Deo remunerante, debuisset percipere, causa exigente Domni-Petram (2) profectus, subito cœpit corporis vexari dolore. Nitebatur tamen Dei servus nec dolori infirmitatis cedere, nec a consuetis orationibus aliquatenus declinare. Enimvero ipsa nocte qua defunctus est, hoc est ab incarnatione Domini 1122, XVI Kal. Octobris, ad matutinas prior surrexit, signum ad excitandos fratres pulsavit, matutinas regulares cantavit, matutinas de sancta Maria incepit, nec tamen finivit. Cum enim monachus qui lectionem lecturus erat, ab eo benedictionem petisset, hanc ei benedictionem dixit: *Sanctæ Mariæ Virginis intercessio nos angelorum adjungat collegio.* Qua finita, spiritum emisit. Ipse etiam die Dominico, Domino sacrum[1] obtulerat sacrificium; post quem, secunda nocte, ut credimus, in æternum victurus, spiritus ascendit ad Dominum. Eo autem migrante, ut fertur, ibi lucida nubes apparuit, odorque suavitatis plenus domum in qua hæc agebantur, implevit. Et recte quidem in ejus transitu odor suavis apparebat, cujus prædicatio odorem vitæ æternæ in mundo infuderat, ita ut dicere posset: *Christi bonus odor sumus in omni loco* (3). Cum igitur vir sanctus exisset a seculo, ex diversis locis populi ad ejus exitum convenerunt.

[1] *cod.* sacer.

(1) Ex Rotul. supra cit. Titul. v conjicitur quatuor saltem fratres carnales B. Vitalis fuisse, sc. Richardum, Reginaldum, Turstanum et Osbertum, qui chartæ fundationis Saviniacensis cum B. Vitale subscripsit. — (2) Satis sit nunc notasse hunc locum accipi ab auctore nostro pro eodem illo de quo paulo supra dixit (cap. XIII) in eo B. Vitalem septemdecim fere annos eremiticam vitam duxisse. Vide ibi annotat. 1. — (3) II Cor. II, 15.

Quod Tilionenses voluerunt corpus ejus tollere, et non potuerunt.

XVII. Homines vero Tilionenses (1) ejus corpus, dum per eos transferretur, retinere voluerunt. Sed cum multi subinde accepissent, omni suo conamine frustrati sunt; feretrum siquidem de loco ubi positum fuerat, cum ter tentassent, omnino non valuerunt movere; cumque omnino deficerent, duo monachi accedentes perfacile illud sustulerunt, propriisque humeris ad propriam abbatiam gaudentes detulerunt; et, ob sancti Patris reverentiam, triduo corpus inhumatum cum psalmis et orationibus servaverunt. Hoc autem tam evidenti miraculo, credo, Deus innotuit quod ecclesiam Savigniensem proprio pastore privare noluit. Quam vero recte et modeste subjectos tractavit, ex ipsis piæ dilectionis oculis perpenditur, qui ei jam mortuo inhærentes[1] vix ab eo divelli referuntur.

De assumptione animæ ejus.

XVIII. Eodem die quo beatus vir migravit ad Dominum, monacho cuidam longo terræ interstitio ex domo Savigneii separato, nec tamen eadem domo professo, assumptionis suæ gloriam corporalibus oculis, divina annuente clementia, revelare dignatus est. Hic enim per omnia immensæ religionis ac famosissimæ sanctitatis vir, cum in quodam loco una cum aliis quibusdam fratribus resedisset, subito de sede sua prosiliens, elevatisque sursum oculis ac manibus, cœpit inter eos discurrere. Quod cum fratres qui cum eo aderant præsentes, non sine ingenti admiratione cernerent, nec tamen eum quem tantæ sanctitatis ac reverentiæ virum noverant, tam subito corrigere ac reprehendere penitus aude-

[1] *cod.* inferentes; *supplendum forsan adhuc* potuisse *post* divelli.

(1) Gallice *Le Teilleul,* diœces. olim Abrincensis, nunc Constantiensis in archidiacon. Moritoniensi. Consequens est ex narratione auctoris nostri hunc locum transeundum fuisse venientibus a Domni Petra Saviniacum.

rent, tunc magis exitum rei præstolari decreverunt. Cum ergo venerandus vir post aliquantulum horæ spatium consedisset, [et] inter solitæ gravitatis et humilitatis metas semetipsum revocans, de visione quam viderat, attentius cogitare cœpisset, insistere ei fratres vehementer cœperunt ut quid sibi attulerat [1], incunctanter eis propalaret. Quibus ille respondit : *Hora qua me lætabundum et exultantem vidistis, beatus Vitalis abbas, de ergastulo carnis exemptus, concinentibus angelorum choris, in cœlum cum inenarrabili gloria assumptus est, et ideo toto corporis nisu et mentis affectu ejus gloriæ congaudere debui.*

Quod quidam languidus sub feretro ejus sanitatem recepit.

XIX. Interim autem dum corpus ejus servaretur, Deus famulum suum, quem viventem virtutibus decoraverat, etiam mortuum miraculis glorificabat [2]. Quidam namque aurium vel manuum invaletudine detentus male, qui precibus nimiis ut sub ipso feretro jacere permitteretur, obtinuit, ibi [3] sanitate recepta, lætus abcessit.

Quod persona quæ pro eo sacrificium obtulit, bonum odorem sensit.

XX. Addit adhuc Dominus circa famuli sui exanime [corpus] [4] multiplicare magnalia sua, ut videntium vel audientium fides gaudeat, affectus consoletur. Persona enim quæ ejus obsequiis deserviens, pro eo sanctum sacrificium Domino obtulerat, sacro altari assistens, fragrantiam nimiæ suavitatis sensit, quæ ab ea parte quo corpus adhuc insepultum jacebat veniens, suaviter respersit. Et sic Dominus, cum anima corporis ergastulo soluta ad patriam, ut credimus, rediret, locum ubi hæc agebantur, odore suavitatis replevit; ita et [5] cum sepulturæ tradi putaretur, ob demonstranda [6] ejus merita servum Dei mirifica redolentia exhilaravit. Et merito quidem

[1] *ita cod., forsan pro* accidisset. — [2] *cod.* glorificat. — [3] *cod.* ibique. — [4] *cod.* examine. — [5] *cod.* ut. — [6] *cod.* demunstranda.

sic corpus ejus redolebat, qui pudicitiæ decore munitus, fœtorem [1] vitiorum calcaverat, virtutibusque innitens sordes peccatorum declinabat. Melius, centupliciter [2] melius virtutum decore conditur, quam myrrha et aloe delibutum [3] a vermibus defendatur. Virtutes enim muniunt, et venenosi serpentis virus excludunt; at myrrha et aloe, etsi a corruptione cadaver custodiant, animam a cruciatibus non liberant. Quid enim huic nunc officit quod aliquando, indurato in pedibus asperitate laboris callo, nudus pedes, verbum Dei spargendo regiones diversas peragraret, corpus quoque sacci asperitate edomuit, quando anima in cœlestibus requiescit? Quin imo, tanto gloriosius nunc exultat, quanto tunc graviora pro Dei amore tolerabat; quia, cum labor crescit, crescit et merces operis. O quam bonum commercium labore temporali regnum comparare sine fine beatum!

De mausoleo in quo positum est corpus ejus.

XXI. Hoc autem quod de sepulcro in quo positum est corpus ejus, refertur, sine admiratione præterire absurdum valde videtur. Erat enim idem sepulcrum in ecclesia B. Mariæ Savigniensis parochiæ positum; quod, ut loci incolæ testantur, cum plures antecessorum illud movere tentassent, eorum conatum nullus effectus sequebatur. Quod cum beato viro a nonnullis relatum fuisset, nimirum prophetiæ spiritu plenus, ita respondit: *Sinite illud*, inquit, *sinite, quia hoc mihi Dominus conservat.* Denique, ad exhibitionem sepulturæ illius, cum tanta facilitate de ecclesia est extractum et ad locum sepulturæ ejus tam facile delatum, ac si nullum pondus habere videretur. Traditur (1) autem sepulturæ [4] in oratorio ejusdem quam fundaverat ecclesiæ, in ejusdem septemtrionali parte, ubi etiam post ejus sepulturam ob

[1] *cod.* factorem. — [2] *cod.* centupliter. — [3] *cod.* delibatum. — [4] *cod.* sepulturos.

(1) Traditur, *in præsenti;* et revera sanctum corpus eodem loco jacuit usque ad eversionem Saviniacensis ecclesiæ antiquioris (1182) : Stephanus autem scribebat ante assumptionem suam ad episcopatum Rhedonensem (1168). Ex auctore Historiæ Congreg. Savin., p. 703.

ipsius meritum miracula Dominus cognoscitur ostendisse; quorum pauca hic subnecto, et sic huic operi terminum pono.

Quod quidam conversus ad ejus tumulum febre liberatus est.

XXII. Quemdam namque ejusdem domus conversum diuturna febrium molestia vexabat, nec remedium aliquod contra tantam vexationem ullo modo inveniri poterat. Hic, nocte quadam, pro sanitatis adeptione[1] ad ejusdem Patris tumulum pernoctaturus accessit, ibique commorans, obdormivit. Dormiens, hujuscemodi visionem vidit. Videbatur siquidem ei quod medietas operculi sepulcri aperiebatur, voceque de summo emissa, ut inde recederet ei proclamabatur; cui videbatur respondere se minime recedere, donec a pio patre sanitatem meruisset recipere. Quæ cum eadem vox bis jussisset, et ipse ei eadem respondisset, tertia vice eadem vox paulo asperius jussit, intonans, eum recedere, et ei similia respondenti, quia sanitatem recepisset indicavit. Qui inde abscedens confortatus, cibum sumpsit, ipsaque febri extincta, sanitate recepta convaluit.

De fratre curato a morbo tibiæ per beatum Vitalem.

XXIII. Frater quidam gravissimum morbum in tibia incurrerat, qui ei tibiam pene totam corroserat atque consumpserat. Cui cum nullius medicinæ corporalis succurreret appositio, vel eum in aliquo juvaret, spretis corporalis medicinæ adminiculis, spem totam ad Christum convertit, et salutis suæ acquisitionem apud ipsum beatum Vitalem constituit; ad cujus sepulcrum cum tribus vicibus excubuisset, Deo annuente et B. Vitale subveniente, spei suæ fructum celeri sanitatis adeptione consecutus est.

[1] *cod.* adoptione.

Quod frater quidam ab ægritudine corporis ad sepulcrum ejus liberatus est.

XXIV. Alter ibidem conversus, hortulani officium exercens, gravi corporis infirmitate laborabat. Hic ergo, cum ad beati Patris sepulcrum unius meridianæ vigilias exsolvisset, repente sanus effectus est.

De fratre arreptitio per beatum Vitalem ab insania liberato.

XXV. Ut autem beati viri virtus et potestas, quam a Domino contra diaboli tyrannidem possidet, quanta sit, clarius patescat, subjecto capitulo perfacile poterit agnosci. Frater quidam in domo Savigneii religionis habitum gerens, occulto Dei judicio traditus satanæ in interitum carnis, turbatis omnino sensibus, in tantam alienationem atque horrendam mentis insaniam [1] phreneticus effectus devenit, ut, non dicam viribus hominum, sed vix fortissimis atque arctissimis vinculis nullatenus teneri atque subjugari posset. Quippe frendens ore, ipso auditu horrenda depromens, et in astantium vultus salivas emittens, visu horribilis, caputque in vertiginem rotans, totius corporis motibus, infandi in se habitatoris malitiam certissimis declarabat indiciis. Sed quia et ii cum quibus habitandi consortium inierat, charitate illa quæ cum flentibus flere, cum infirmantibus infirmari, cumque scandalizatis uri novit, vulnerati erant, sicut ille modum patiendi, sic isti dolendi et miserandi mensuram ignorabant. Cumque non parvo tempore sanitatis illius adeptionem multiplicatis precibus a Deo deposcerent, nec exaudirentur, quippe cujus sanitatis gloriam Dominus confessori suo Vitali reservabat; interim visio talis cuidam religioso ex eadem ecclesia monacho ostensa est. Videbat namque sanctum Vitalem supra marginem sepulcri sui, albis vestibus indutum sibique dicentem : *Vade et adduc mihi cito illum qui servitium Domini deseruit;* hoc ipsum ter repe-

[1] *cod.* horrendæ mortis infamiam.

tens. Qui cum tacitis intra se cogitationibus reputaret ne forte ille esset qui patiebatur, beatus Vitalis cogitationi ejus respondens, ait : *Ipse idem est; ipse idem est.* Cumque abbati (1) ille retulisset, tunc jussu abbatis ad B. Patris tumulum adducitur, ubi una cum ceteris fratribus eum custodientibus aliquantis noctibus [cum] excubasset, jam ex eo tempore in integrum, beati viri meritis et precibus, sanitati redditus et optatæ incolumitati restitutus est.

Quod quidam monachus fatuus ad ejus tumulum convaluit.

XXVI. Quidam qui monachus fuerat, exsensis factus, monachicam vitam reliquerat, spectaculumque mundo factus, quasi stultus hac illacque miser girabat. Hic aliquando ad prædictum locum veniens, cum sacrista ejusdem loci colloquium habuit. Quem idem vir ad oratorium ducens, ad sepulcrum sancti viri orare commonuit. Cui, cum quælibet verbo dicebat, idem stultitia actus eadem similiter replicabat. Qui tandem ibi solus dimissus, obdormivit, evigilansque nimia se infirmitate gravari persensit; sed, ut claruit, dolor ille doloris medicina extitit. Nam, errore deflendo evacuato, sensus ei est redditus, monachicamque vitam repetens sanus, in ea est deinceps tali incommoditate liber conversatus. Hic idem quotannis eamdem abbatiam invisere solitus erat, et ob memoriam suæ curationis aliquid de illa habere volebat. Sed in iis omnibus nihil aliud ostenditur nisi quia, ut scriptum est : *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (2).

Ecce hæc sunt quæ de beati viri virtutibus pedestri sermone cadentes, memoriæ mandare, vestræ [1] exactionis instantia, curavimus; gratias agentes Deo, qui nobis tribuit cognoscere, et ad has explicandas qualemcumque sermonem dignatus est tribuere. Rogemus ergo in fine omnipotentis Dei misericordiam, ut, qui famulum suum, ut credimus, ad regna provexit cœlestia, nobis ipsius intercedentibus meritis, dimit-

[1] *cod.* nostræ.

(1) Beato scilicet Gaufrido, cujus Vitam statim edimus post Vitam B. Vitalis. Vide pag. seq. — (2) Psalm. cxv, 15.

tat peccamina, nobisque gratiam suam largiens, tam sancte vivere concedat quatenus digni existamus quos in bonorum sorte recognoscat, emundatoque omni vitiorum repurgio, donemur sanctorum angelorum consortio, ubi eum facie ad faciem videre deque ejus visione satiati eum laudare valeamus sine fine. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat verus et solus Deus per infinita seculorum secula. Amen.

Explicit vita sancti Vitalis primi abbatis Savigneii.

VITA S. GAUFRIDI
SECUNDI ABBATIS SAVINIACENSIS
EX APOGRAPHO ART. DU MOUSTIER (1)
COLLATO CUM APOGRAPHO ANONYMI SAVINIACENSIS.

Prologus.

Sublime divinitatis consilium, sicut velle semper habuit fideliter certantibus succurrere, ita numquam destitit male torpentibus, ut securius dimicarent, fructuosi [1] laboris exempla proponere : videlicet ne et laborantes deficerent, et desides quid imitarentur [non] [2] cognoscerent; sicque divina providentia mortalium fragilitati misericorditer obviat, quatenus feralibus seminariis inertiæ sublatis, et habeant ante oculos hominum victorias ejusdem conditionis infimæ, et,

[1] *ita S (qua littera signamus apographum Anonymi Saviniacensis).* fructuose *M (i. e. apographum Art. a Monasterio).* — [2] *voces uncinis inclusæ ex conjectura suppletæ sunt.*

(1) Bibl. Nat. Paris. cod. lat. 10051, fol. 157-162. Invenitur scilicet hoc apographum in *Neustria sancta* Art. du Moustier, O. S. F., de qua diximus in Præfatione ad has duas Vitas. Fol. 157, A. du Moustier ita ponit titulum : " Excerptum ex originali vetusto Saviniacensi *a me viso,* ex benevolentia D. le Bachelier, ejusdem loci religiosi antiqui, et in sacra theologia doctoris meritissimi. " De Historia Congr. Sav. cui annectitur (part. II, pp. 56-67) apographum Anonymi Saviniacensis, diximus in eadem Præfatione. Inscribitur : " Vita S. Gaufridis (*sic, ex errore scribæ, ut videtur, quum nuspiam alibi reperiatur forma alia quam* Gaufridus. Gaufridi) abbatis secundi Savigniensis. Ex ms. originali apud Savigneium. "

nihil de victoria hæsitantes, securi militent sub tanto imperatore. Ad hoc enim auribus Ecclesiæ frequenter recitantur sanctorum triumphi, ut, qui dulcedine delectamur regni, non declinemus eorum vestigia per laborem sequi. Quid namque prodest contemptores mundi laudibus extollere, si refugimus, male vivendo, illorum imprimi formæ? Ad imitationem itaque fidelium B. Gaufridus enituit mundo. Suo siquidem tempore singulare spectaculum, interno [1] quidem pietatis flagrans amore, mundanæ conversationis illecebras spreverat, et, ut veræ religionis assertor, quod habitu prætendebat, moribus indesinenter exercere studebat. Unde nimis dignum fuit ut multiplici virtutum fulgeret genere, quem nulla [2] turpis voluntas per delectationem alligaverat in mente; superno [3] namque totus inhians regno, adhuc vivens in carne jam fruebatur collegio superioris curiæ. Competenter ergo prætendebat mundo quantum valeret apud Dominum ejus conversatio.

Explicit prologus.
Incipit vita.

I. Beatus igitur Gaufridus ex illustri prosapia secundum seculi dignitatem duxit originem, sed digniori atque nobiliori secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Alanus filius Guillelmi (1) dictus est, vir approbatæ et legitimæ militiæ, prudens et strenuus ad arma. Hic habuit mansionem suam, videlicet castellum nobile, cum turri fortissima (2), intra civitatem Bajocensem prope portam Aquilonarem. In tempore suo, cultor Dei et justitiæ tenax,

[1] suo... interno *S.* suo... Interno *M.* — [2] ulla *S.* — [3] *ita S.* supremo *M.*

(1) Saviniacensis Congregationis historiographus affirmat (part. I, p. 131) hunc Gulielmum magnam sibi laudem peperisse in exercitibus Conquæstoris; nullo tamen modo illum in diversis sociorum Nothi catalogis distinguere nobis licuit. — (2) Turris hujusmodi (præsertim in civitatibus) signum nobilitatis erat, et plures in urbe Bajocensi stabant (cf. inferius, cap. XVI); frustra ergo Hermant in *Histor. diœces. Bajocens.* post alios ex his verbis sequi perhibet Alanum fuisse castello Bajocensi præpositum. Turrim Alani se vidisse testatur Robertus Cenalis, qui scribebat circa 1533 *(De re Gallic.* lib. 2, p. 4), et tunc dicebatur *Arx domni Gaufridi.* Vix dein elapso seculo et dimidio, corruerat, sicut et *capella S. Gaufridi* dicta, quæ tempore Cenalis in suburbio Bajocensi S. Joannis manebat.

liberalitate famosus, ab omnibus indigenis in reverentia habebatur. Neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam; sed contentus erat redditibus suis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis ut etiam Domino suo non negligeret reddere quæ debebat. Mater ejus, non minus mente [1] quam sanguinis nobilitate laudabilis, et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutriens in omni disciplina. Ambo pariter in religione conjugali honeste conversantes, ad Domini servitium et eorum solatium quinque filios divini muneris largitate genuerunt. Quatuor sacramentis impliciti, in armis strenui, paternos actus in morum honestate et prudenti conversatione studuerunt viriliter imitari (1). Quintus vero, Gaufridus nomine, occasione cujusdam miraculi, sicut inferius patebit, antequam nasceretur, Domino donaverunt. Cum vero ætatem haberet, votum devote et efficaciter complentes, litterarum studiis imbuendum tradiderunt. Qui mira velocitate divina et humana diligenter percurrens studia, etiam adhuc puer ipsos magistros dicitur præcessisse scientia. Cœlestis enim gratia quæ sibi eum religionis doctorem futurum præviderat, in omnibus efficacissime docilem reddiderat et amabilem.

De miraculo reliquiarum.

II. Contigit itaque illo tempore quo mater B. Gaufridi, mulier nobilis et religiosa, eumdem gestabat in utero, civitatem Bajocensem, cum cathedrali ecclesia et aliis ecclesiis parochialibus, nec non et burgum Sancti Vigoris (2) cum ipsa ecclesia inopinati incendii infortunio concremari (3),

[1] mentis *S.*

(1) Unius tantum ex fratribus Gaufridi nomen supervixit, scil. Gulielmi, de quo apud Matth. Paris in *Hist. Angl.* ad ann. 1138. Nomen matris ejus etiam manet ignotum. — (2) Urbis Bajocensis suburbium, cujus in ecclesia restaurata Odo episcopus monachos posuit. Orderic., *Hist. eccl.*, l. VIII, 1. — (3) Hujus incendii nulla fit mentio apud coætaneos scriptores; videtur tamen aliquibus annis præcessisse annum 1077 quo " matrices ecclesiæ Bajocensis et Ebroicensis episcopatus et Beccensis cœnobii " dedicatæ sunt, " teste eodem Orderico, lib. V, 2.

quod ab indigenis *ignis Droconis coillum* vocatum est. Inter concursus populorum in tanto discrimine et desolatione præ dolore flentium et miserabiliter clamantium, prædicta domina, compassionis affectu permota, quasi attonita, de turre sua in qua manebat, egrediens, versus fluvium qui Aura (1) nuncupatur, descendit prompta et devota, pro posse suo in ignis extinctione laborantibus consilium et auxilium ministrare. Ignis vero fortius ingravescens, in ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ, quæ ex altera parte fluvii aliquantulum remote [1] sita erat, edaciter insilivit. Qua incensa, divina gratia mirabiliter operante, quoddam vas satis honestum in quo continebantur reliquiæ gloriosæ Virginis, et B. Mariæ Magdalenæ et S. Georgii martyris et aliorum plurimorum sanctorum, quod est mirabile dictu, de eadem per vitream fenestram exivit ecclesia, et per desuper dictum fluvium Aureæ, ad locum ubi venerabilis domina stabat, cœlitus advolavit, et per amplitudinem manicæ ejus, qua tunc temporis sexus muliebris utebatur, intravit et, quasi quærens refugium in sinu suo, contra pectus suum, ubi puerum gestabat, se abscondit. Unde manifestum datur judicium quantum dicta domina vas sui corporis in munditia et honestate possidebat, absque eo quod intrinsecus clausum latebat, quando tam pretiosæ reliquiæ locum ad habitandum cum ea præ omnibus aliis eligere dignatæ sunt. Nihilominus etiam eum non sine justa causa præsumere possumus sanctificatum ab utero, prout opera ejus et gratiarum prærogativa quam habuit erga Deum et homines, evidentius attestantur; ut illud quod de beato Jeremia dictum est: *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te* (2), non immerito de B. Gaufrido indubitanter possit dici. Præterea non est silentio prætereundum, sed cum admiratione prædicandum [2], quod post receptionem dictarum reliquiarum et in sinu bonæ dictæ dominæ reconditarum, statim intolerabilis incendii fervor ita per Dei virtutem et sanctarum reliquiarum conquievit,

[1] remotæ *S.* — [2] est *add. S.*

(1) Gallice *Aure* (Calvados). — Aurea *S.* — (2) Jerem. I, 5.

ut non haberet potestatem ulterius procedendi. Et ad sanctitatem B. Gaufridi largius propalandam, largiflua divinæ pietatis abundantia totam parochiam Sancti Patricii, in qua natus est B. Gaufridus, ab incendii sævientis infortunio immunem servavit penitus et exortem.

De reditu ad domum.

III. Igitur venerabilis matrona cum gaudio ineffabili, tam pro pretioso thesauro reliquiarum quem penes se habebat, quam pro ignis suffocatione, ad domum propriam revertens, obvium habuit virum suum, qui de regressione sua sollicitus, quæsivit ab ea unde veniret, et admirans circa eam insolitæ suavitatis fragrantiam, interrogavit quas herbarum species comedisset. Illa vero humili et submissa voce respondit ei: *Non est nunc tempus in tanta desolatione uti deliciis specierum, quia vere compatientis est proprium gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus* (1). Deinde subjungens, domino suo dixit: *Ascendamus domum nostram superius, et causam tantæ fragrantiæ prudentiæ vestræ secretius revelabo.* Quibus ascensis, retulit ei quidquid sibi, sicut prædictum est, accidisset. Extrahens autem cum timore et devotione de sinu suo vasculum pretiosum, tradidit in manibus ejus, dicens quod nulla ratione illud ausa fuisset aperire. Ille vero cum reverentia et honore vas prædictum accipiens et cum humili devotione aperiens, vidensque sanctarum reliquiarum pignora pretiosa, cum gaudio honestissime recondidit, et in arca [1] firmissima in loco tutissimo turris suæ diligenter obseravit. Vir itaque venerabilis Alanus, non ingratus tanti beneficii divinitus collati, devota liberalitate præfatæ ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ, in memoriale perpetuum dicti [2] miraculi dedit in perpetuam eleemosynam duas burgesias sitas citra fluvium Aureæ, in suo proprio dominico. Dicta

[1] archa *S.* — [2] veri *S.*

(1) Rom. XII, 15.

siquidem ecclesia B. Mariæ Magdalenæ ante illud tempus nullum parochianum possidebat ultra fluvium prædictum.

De excellentia addiscendi.

IV. Puer igitur bonæ indolis et capax disciplinæ, litteris applicatus, magistro suo cum timore humiliter obediens, tam naturali pollens ingenio quam Dei gratia illustratus, proficiebat supra omnes coætaneos suos in genere suo, modo quodam inæstimabili et inaudito, ut videlicet communiter diceretur [1] in discendo tantum profecisse per septimanam quantum sui conscholares per anni circulum. Deinde super hæc [2] cunctis audientibus stuporem et admirationem afferebat. Nec mirum, quia manifeste apparebat quod ab illo docebatur qui docet hominem scientiam. Crescente itaque ætate et gratia, affectus benevolentiæ omnium erga illum crescebat quotidie. Secundum vero exteriorem hominem, tanto faciei decore radiabat, tantaque corporis venustate et decenti membrorum dispositione omnium intuentium oculis gratiosus apparebat, quod ipsorum gratiam et favorem, licet alia merita non præcederent, sibi vindicabat [3]; erat siquidem pulchra facie, venustus aspectu, sicut de Joseph legitur, vultu hilaris, sermone compositus, dulcis et amabilis; ut de eo congrue dici posset : Necesse fuit ut quem Deus tam copiosa infuderat [4] gratia, ab omnibus amaretur.

De humili affabilitate et gratia eloquentiæ.

V. Affabilitas humilitatis tanta in eo erat, ut non solum apud pauperes et minores, sed magis penes divites et potentos vir reverendæ auctoritatis habebatur; ut merito videretur [5] compleri in eo illud Ecclesiastici : *Congregationi pauperum affabilem te facito* (1), quia *superbum sequitur humilitas*,

[1] dicitur *S.* — [2] Unde super hoc *S.* — [3] vindicabant *S.* — [4] perfuderat *S.* — [5] *ita S.* In altero videtur *M, loco* ut mer. vid.

(1) Eccli. IV, 7.

humilem autem spiritu suscipiet gloria (1). Verbum vero illius in tantum sale sapientiæ erat conditum, ut propter allocutionis dulcedinem, qua Christo [1] multos prædicatione et doctrina aggregavit, per os illius divina sapientia loqui videretur. Si quis ad eum dives, si quis pauper, si quis mediocris, si quis nobilis, si quis ignobilis, aliqua compellente occasione ad eum venisset [2], semper ædificatus recessit vel verbo dulci vel gestu disciplinato, quia clementiam cordis piissimi manifestabat in lenitate suavissimi sermonis, se totum claudens in disciplina. O quam compositum reddit totius corporis statum et mentis habitum disciplina! Cervicem submittit, ponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos prohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. Talibus enim margaritis decet discipulum Christi pudice adornari. Doctrinis namque sacris sic animos fidelium arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia et longanimitate confirmabat, ut æstimarent [3] se jam in campis virentibus paradisi recubare atque splendidissima immortalitatis stola undique reindutos. Colloquium ejus ita gratissimum [4] erat cunctis audientibus, ut, pro dulcedine melliflua sub lingua ejus latente, quodam indice [5] doceret ipsum Dominum in ore ejus sibi sedem statuisse.

De cordis custodia.

VI. Inter cetera dona quæ a largitore gratiarum acceperat, non est infructuoso silentio occultandum quod in diligenti cordis custodia, veri Salomonis disciplina edoctus, præ ceteris gratiis insignis divinitus effulgebat. Nam in seipso cor mundum servare desiderans, collegit pro posse totum se intra se, publicum fugitans et amans habitare secum, lectioni, meditationi et orationi, in quantum permittebat humana fragilitas, diligenter inserviens. Per quarum assiduitatem, quod vere grande miraculum est, tantam cordis puritatem

[1] Christus *S, M.* — [2] venissent *S.* — [3] *ita S.* æstimares *M.* — [4] fragratissimum *S, loco* ita grat. — [5] judicio *S.*

(1) Prov. xxix, 23.

et stabilem mentis tranquillitatem assecutus est, ut totum psalterium psalleret de consuetudine ex [1] integro absque mentis evagatione; ita quod per totum illud spatium non nisi de Deo et divinis rebus cogitaret, atque de sancto opere psallandi cui insistebat. Quid enim in ipsis invenitur quod non proficiat ad salutem? Psalmi dæmones fugant, tenebras illuminant, virtutes accumulant.

De carnis munditia.

VII. De cordis munditia necesse est sequi corporis integritatem, quam præcipue acquirere et conservare solet humilitas mentis. Unde B. Isidorus : *Sicut per superbiam mentis itur ad prostitutionem libidinis, ita per humilitatem mentis salva fit castitas carnis* (1). Hanc virtutem non valde necesse habemus in B. Gaufrido commendare, quæ per seipsam pluribus argumentis universis se manifestat. Ab utero enim matris, sicut creditur, virgo manebat in corpore, sanctificatus antequam natus. In juvenili vero ætate mentis puritatem et cordis munditiam tota intentione studuit observare, et virgo electus a Deo, virgo in ævum permansit. Ut enim inviolatam penitus hanc puritatem custodiret, ita vigiliis sedulus intendebat, ut videretur sibi horis omnibus venturum adesse judicium; memor Dominici sermonis, quo dicit : *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* (2). In devotissimis etenim orationibus adeo erat assidue intentus, ut nisi orationi vel alicui exercitio spirituali vacaret, semper sibi tentatorem adesse crederet, suumque fragile vas ab eo illudi variis tentationibus timeret, .spiritumque pariter in aliquo titubare compelleret, reminiscens verbi Domini dicentis : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (3); et in Ecclesiastico : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes* (4). Et his tribus, videlicet carnis mortificatione, devota et assidua oratione et pura

[1] et *S.*

(1) Isid., lib. II, 133. — (2) Matth. XXIV, 42. — (3) Matth. XXVI, 41. — (4) Eccli. XXXI, 1.

humilitate tamquam *ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii,* sicut legitur in Cantico (1), *nutritur in altari cordis ignis divini amoris et procedit fumus munditiæ virginalis, aromatizans in conspectu Domini circumquaque, vicinas regiones suavi respergens odore, et omne genus dæmoniorum extricat et confundit.* Fratres, isto suavissimo odore afflati, peccatum quasi colubrum fugiamus, omnem carnis voluptatem venenum reputemus; oratione devota, lectione sancta, meditatione divina jugiter occupemur; familiaritatem pœnitentiæ, quæ est proprie locus bonorum, sicut superbia locus malorum, nullo impugnatorio [1] incursu deseramus. Cum B. Gaufrido patre nostro, post illum *qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (2), deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, percurramus alacriter propositum nobis certamen, ad bravium vocationis æternæ properantes.

De studio addiscendi.

VIII. Crescente ætate, crescebat in eo ardens discendi appetitus. Unde Parisiis veniens liberalibus artibus vigilanti [2] intentus studio, in brevi unctione magistra super docentes se enituit, et illuminato intellectu ad veritatis cognitionem et comprehensionem, per ipsius scientiæ exercitatam eruditionem ad sacrarum litterarum doctrinam salutarem, inflammato jam affectu supernæ dulcedinis incendio [3], votivo desiderio anhelabat. Et quia ardenti concupiscentia aqua sapientiæ salutaris debriari gestiebat, illo interius instruente qui spirat ubi vult, et ubi vult aperit, et cui vult claudit, aperuit ei sensum ad intelligendum divinas Scripturas adeo copiose (3), quod postea subditis sibi aliis innumeris verbum vitæ propinare potuerit ad honorem Dei et ædificationem audientium affluenter. Namque, sicut sapientia secularis cisterna [4] est

[1] impugnatoris *S.* — [2] vigilantius *S.* — [3] *ita S. om. M.* — [4] *ita S.* celerius *M.*

(1) Cantic. III, 6, et in Gloss. — (2) Heb. XII, 2. — (3) " Vir admodum litteratus et in religione fervens , ait Rob. a Mont., *De immutat. ord. monach.*, tom. II, p. 181.

dissipata quæ continere non valeat aquam, imo frigidam facit suam malitiam, ita sapientia quæ desursum est, pudica et pacifica, fons est indeficiens [1], fons cor et mentem illuminans et calefaciens, fons aquæ utique salientis in vitam æternam.

De ingressu religionis apud Cerasium (1).

IX. Quoniam vero affectanti cœlestia terrena non sapiunt, et gustato spiritu desipit omnis caro, vir Dei, omnes affectiones suas ab his [2] infimis extrahens et in amore summi boni et incommutabilis solummodo defigens, cum apostolo Paulo posteriorum oblitus et in anteriora viriliter se extendens, mundum, qui in maligno positus est, fugere deliberans, et illud sæpissime in corde pertractans [3], quod [4] difficile est in mundo vivere et a mundo se immaculatum custodire, vitam monasticam concupivit, ubi soli Deo, omnibus aliis posthabitis et exclusis, vacare posset. Abbatiam Cerasii præelegit, in qua, Deo disponente, habitum religionis suscepit, quia tunc temporis præcipue vigebat in illa secundum regulam S. Benedicti regularis observantiæ frequens disciplina. Ubi factus [5] monachus, mansit, in omni humilitate serviens Deo, per aliquod tempus (2). Generabat itaque in eo gratia Domini contemptum seculi, secundum votum monasticæ professionis. Quid plura? Deposito secularis conversationis habitu, spreto mundano [6] nobilitatis supercilio, relicto mundi amatorum [7] et parentum consortio, ut libere posset servire vero regi Christo, totum se subdidit cœlesti magisterio. Deinceps adfuit [8] ei ad contemptum mundi prompta voluntas, ad amorem Dei firmissima caritas, ad dilectionem proximi cara fraternitas, ad perdiscendum regularis observantiæ ordinem nulla difficultas, ad exhibendum non solum abbati, verum etiam fratribus omnibus obedientiæ

[1] fons reficiens *add. S.* — [2] iis *S.* — [3] retractans *S.* — [4] penitus *add. S.* — [5] sanctus *S.* — [6] mundanæ *S.* — [7] hujus, amicorum *S.* — [8] Deinde affuit *S.*

(1) Cérisy (arrond. St Lô, Manche). — (2) De tempore ingressionis B. Gaufridi in monasterium apud Cerasium non liquet; patet vero illum ibidem satis diu permansisse, siquidem, ut plura testantur, officium ibi prioris obtinuit.

bona [1] celeris alacritas ; ad dandum omnibus sanctæ conversationis exemplum regnabat in eo pura simplicitas. Non erat jam necesse ut aliquis eum ad observantiam regularem instrueret, quem unctio cœlestis de omnibus erudiebat. Cœpit interea vita et doctrina tam perfecte clarescere, ut in domo Dei omnium fidelium laude primum et præcipuum locum mereretur obtinere. Sic enim placuit Deo, ut per diversos gradus humilitatis ascenderet [2] ad culmen monasticæ perfectionis; ut non jam ex aliis unus, sed inter ceteros et super omnes videretur præcipuus. Ad hanc enim humilitatem, quæ tantam meruit sublimitatem, virtute obedientiæ, cordis assidua compunctione et corporis fatigatione divino munere [3] meruit alacriter pervenire.

De adventu suo apud Savigniacum.

X. Quanto Deo quis familiarius pro vitæ meritis ac mentis puritate appropiat, tanto eum certum est recentiorum aromatum spiritualium suavius sentire fragrantiam. Quod de B. Gaufrido potest veraciter adverti; quia quanto crescebat in eo sapor internæ dulcedinis, tanto altioris conversationis, tanto [4] ardentior affectus ei inerat amplius proficiendi in Domino [5]. Audita siquidem fama excellentis sanctitatis et religionis B. Vitalis, primi abbatis Savigniaci [6], de abbatis Cerasii licentia se transtulit Savigniacum (1), ut tanti Patris exemplis imbui, doctrina instrui, religione provehi, orationibus fulciri, vitæ et morum imitatione in melius informari mereretur. Veniens itaque ad prædictum locum, cum magna devotionis et maturitatis humilitate supplicans, se suscipi rogavit, in petitione sua instanter perseverans. Beatus vero Vitalis, considerans fervorem tam sancti propositi, et nihilominus perpendens honestatem et prudentiam personæ, su-

[1] bonum *S.* — [2] ascendere *S.* — [3] *ita S.* muneri *M.* — [4] *ita S. om. M.* — [5] Deum *S.* — [6] Savigneii *S.* *Duplex forma* Savigniacum *et* Savigneium *æque ab antiquis admissa.*

(1) Ann. circ. 1113, fortasse 1114 ineunte.

scepit eum gaudenter ; et mutato habitu nigro prioris Ordinis, indutus est in scemate [1] monasterii Savigniaci [2] : ibidem namque coloris grisii [3] vestibus utebantur monachi. Ubi quam religiose se habuit, manifestæ rei probavit eventus. Nam in sua conversatione tantam habuit humilitatem, quod omnium ipsum intuentium confundebat superbiam ; ejus patientia aliorum extinguebat iracundiam; ejus obedientia tepiditatem excitabat aliorum; ejus mansuetudo turbatos aliorum animos gratia consolationis atque ædificationis mitigabat. Vestigia B. Vitalis studuit humiliter imitari, et, sicut B. Maurus B. Benedicti, sedulus cœpit adjutor existere. Quis illo ad opus Dei fuit [4] umquam promptior? quis in oratione ferventior? quis in lectione sollicitior? quis in studio sanctæ meditationis subtilior? quis in caritate purior? quis in sobrietate frequentior? quis in lacrimarum largitate profusior? quis in corpore honestior? quis in mente sincerior? quis in ira mitior? quis in mansuetudine modestior? quis in risus levitate rarior? quis in compunctione ardentior? quis in gravitate maturior? quis in caritate jucundior? quis in regularium observantiarum exercitio diligentior? quis in dandis consiliis providentior? quis in vultu potentium gloriosior [5] apparebat?

De electione sua in abbatem Savigniacensem.

XI. Ingresso igitur B. Vitali viam omnis carnis, tam longe lateque diffusa est opinio sanctæ conversationis B. Gaufridi, ut [6] ex hoc manifeste apparuit quod omnium fratrum collegium unanimi assensu et pari voluntate ipsum in abbatem elegerunt, nullum magis idoneum vitæ merito et sapientiæ doctrina arbitrantes, qui tanti Patris vices ageret [7] et ei succedere deberet in honore et onere [8]. Cum enim B. Gaufridus omnem ambitionem et præsentis vitæ gloriam omnibus modis [9] detestaretur, quadam sancta violentia magis raptus est quam electus. Nec mirum, quia nec ibi nec

[1] cemate *S.* — [2] Savigniacii? *S.* — [3] grisi *S.* — [4] defuit *S.* — [5] gratiosior *S.* — [6] *om.* *S.* — [7] gereret *S.* — [8] onere et honore *S.* — [9] omnimodis *S.*

alibi ad illud officium B. Gaufrido nullus potuit præstantior inveniri. Electus igitur advocatur, invitatus resistit, rogatus contradicit, adjuratus contremiscit, interdictus acquievit [1]. Proinde laudes referimus [2], quoniam superavit contradictionis decretum obedientiæ prædicabile documentum. Suscepto itaque sanctæ [3] dignitatis officio, talem se exhibuit ut Deo placeret et mundo, non mundo in maligno posito, sed per sanguinem Christi Deo Patri reconciliato. Erat enim incessu gravis, ore facundus, visu jucundus, vultu angelicus [4], aspectu serenus. Honestatem in omni motu, gestu vel actu corporis repræsentans, omnium membrorum convenienti compositione maturus, omnium mortalium oculis acceptabilis videbatur; utpote in fide firmus, spe certus, gemina caritate refertus, sapientia clarus, intellectu mirabilis, consilio providus, spiritualis scientiæ cultor assiduus.

De gratia quam habuit erga principes.

XII. Quantam gratiam apud principes et magnates et maxime apud Henricum regem Angliæ seniorem (1) invenerit, ex eo manifeste liquet quod in suo tempore viginti et novem [5] abbatias, numeratis filiabus et neptibus, de dono regum et principum fundavit. Nam, sicut vulgi attestatur relatio, tantæ familiaritatis gratiam erga regem Henricum obtinere meruit, ut et patrem eum vocaret, et cunctis sibi mortalibus præferret; et quidquid ab eo petebat, absque ulla contradictione de facili reportabat. Non est mirum si in tantum apud homines acceptus extiterat qui tantam apud Deum sanctitatem et gratiam obtinebat, ut tot et tantorum monasteriorum, adjuvante divina providentia, pater et fundator existeret, in quibus (benedictus hodie Deus!) fervor et

[1] adquiescit *S.* — [2] deferimus *S.* — [3] tantæ *S.* — [4] et *add. S.* — [5] decem et novem *S; sed ex Tabula* Filiationis Savigniacensis *a desideratissimo P. Vict. De Buck edita* (Acta SS., *tom. VIII Octobr., ad pp. 1022-1023) patet lectionem Art. a Monasterio anteponendam esse; hac enim in tabella novem et viginti numerantur Saviniaci filiæ et neptes ab ann. 1122 ad 1137.*

(1) Henricum I, Conquæstoris filium.

disciplina Ordinis Cisterciensis viget et vigebit usque in finem! (1) Quis enim enumerare sufficiat animas quæ jam salvatæ sunt et salvantur quotidie et in futurum salvabuntur, quæ forte in seculo remanentes, exitialiter periclitarentur? In iisdem siquidem locis modo Domino Jesu Christo servitur, modo vitiis resistitur, modo diabolus impugnatur, modo orationes acceptabiles Domino offeruntur, modo lacrimæ profusiores largius effunduntur, modo pauperes recreantur, modo divitibus et mediocribus humanitatis obsequia misericorditer exhibentur, et cetera observantiæ regularis exercitia et executiones operum inde abundantius adimplentur, modo quondam tam deserta et horrida loca cultui divino adaptata et ornata ædificantur, in honore beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ consecrata et dedicata, ut merito possit illud quod in Numeris legitur ab universis dicta loca videntibus cum admiratione decantari: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui* (2).

De fundatione et rigatione in visitationibus abbatiarum.

XIII. Quoniam vir sapiens non minus sollicitus est vineam suam excolere, excultam custodire, quam etiam plantare, B. Gaufridus studuit sarculo disciplinæ eam excolere, extirpando vitia, amputando superflua, amovendo nocitura et virtutum plantaria inserendo, occasiones et opportunitates peccatorum rescindendo, manu tamen summi pontificis id agente; quia mens quæ sarculo disciplinæ non fuerit diligenter exculta, multas contrahit sordes, juxta illud : *Vas quod caret operculo et saccus carens ligatura, immunditiis patet* (3). Nos autem, sicut dicit sanctus: *Vinea sumus, Domini plantata manu, redempta sanguine, rigata verbo, propagata gratia, spiritu fecundata.* Ipse vero, ut diximus, vineam plantavit, ipse rigavit, etiam visitavit, indutos veste peregrina

(1) Inde patet Vitam quam edimus, scriptam non fuisse ante annum 1148 quo Congregatio Saviniacensis accessit Ordini Cisterciensi. — (2) Num. XXIV, 5, 6. — (3) Cf. Num. XIX, 15, ubi verba fere eadem, sed alio sensu.

ab indutis veste nuptiali prædicans in die judicii fore separandos et in tenebras exteriores, ligatis manibus et pedibus, projiciendos. Plantavit siquidem in religionis humilitate et paupertate quos explantaverat a seculi pomposa vanitate, juxta apostoli vocem dicentis : *Si complantati facti fuerimus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus* (1). Quia qui eradicatur a limosa et terrena fœditate vitiorum, quasi a morte evigilans, transplantatur in viriditate virtutum, tamquam in terra optima, quæ fructum centenum reddet agricolæ laboranti. Rigavit [1] doctrina sanctæ prædicationis, ut, animas irrigando, ad germina virtutum et bonorum operum fructus fecundaret quas in ariditate religionis, tamquam in terra deserta, invia et inaquosa plantaverat; ne inter insolitas Ordinis asperitates (2) absque humore doctrinæ verbi Dei arentes, non solum infructuosæ remanerent, verum etiam terræ minime adhærerent et sic emortuæ putrefierent; ideo mentes subditorum rore prædicationis impinguare studebat, ut eos humilitatis dulcedine et ceterarum virtutum pinguedine saginaret. Nam sicut corpus sine sustamento alimentorum exile efficitur et inane, ita mens humana sine spirituali refectione cœlestis alimoniæ a virtutum fortitudine inanescit. In faciendis visitationibus et correctionibus cautelam maximam et diligentiam adhibebat, ut animos subditorum ad odium vitiorum et ad amorem virtutum et arctiorem disciplinæ custodiam excitaret, studens, juxta illud Jeremiæ (3), radicitus [2] vitia evellere, peccata destruere, occasiones delinquendi dimovere, familiaritates noxias et suspectas dissipare, vita [3] et doctrina omnes et singulos ædificare, et in cordibus eorum virtutum seminaria plantare, et ad amorem et reverentiam prælatorum suorum inclinare, et ad majorem Dei et proximi amorem amplius inflammare.

[1] *ita S.* rigans *M.* — [2] radicibus *S.* — [3] *ita S.* sic et *M.*

(1) Rom. vi, 5. — (2) " Consuetudines prioribus altiores Savigniacensibus imposuit, " ait auctor *Chronici Savigniacensis* de B. Gaufrido; quas novitates rememorans Ordericus (*Hist. eccl.*, lib. VIII, 26), dure tractat pium novatorem. — (3) Jerem. i, 10 (?).

De capitulo generali quod instituit.

XIV. Cum iste vir sanctus in omnibus operibus suis Dominum [1] semper glorificaverit, in hoc est præcipue commendandum quod, propter ordinis disciplinam et rigorem in posterum in abbatiis quas per Dei gratiam fundaverat ferventius et diligentius observandum, capitulum generale apud Savigniacum [2], in festo S. Trinitatis, per tres dies continuos duraturum [3] fieri instituit, ad quod singulis annis universi et singuli abbates totius generationis Savigniacensis, omni occasione et excusatione postpositis, convenirent, de salute animarum suarum sibique subditorum, de bono obedientiæ, nec non et observantiis regularibus et sui Ordinis profectibus tractaturi et ordinaturi. Quod quidem toto suo tempore et deinceps (1) [usque ad tempus B. Serlonis (2), hujus loci abbatis, qui se B. Bernardo, primo abbati Claræ-vallensi, cum tota sua generatione subdidit, et habitum et observantias et institutiones Cisterciensis Ordinis suscepit [4]] diligenter est observatum.

De translatione reliquiarum Savigniacum.

XV. Processu autem temporis, dum B. Gaufridus, divina dispensante gratia, abbatiam Savigniaci [5] cura pervigili sollicite gubernaret, contigit illum aliquando, emergentibus causis civitatem Bajocensem adire. Reminiscens igitur incomparabilis thesauri qui in domo patris sui servabatur, videlicet sanctarum reliquiarum de quibus superius mentionem fecimus, quæ, dum adhuc materno utero clauderetur, tempore incendii dictæ civitatis, miraculose in sinum matris

[1] Deum *S.* — [2] Savigneium *S.* — [3] duraturum *add. S.* — [4] *om. S.* — [5] Savigñ. *S.*

(1) Quod sequitur, uncinis a nobis insertum, interpolatum suspicamur. — (2) Beatus ille Serlo B. Gaufridi comes fuerat in professione apud Cerisiacum et in migratione ad Saviniacense cœnobium. Piissime obiit in cœnobio Clarævallensi et eodem cultu floruit Saviniaci quo BB. Vitalis, Gaufridus, Petrus, Hamon, etc. Non videtur autem umquam scripta fuisse vita ejus.

avolando [1] cœlitus intraverant [2], cogitabat petere a patre suo et transferre Savigniacum. Cui pater suus libentius acquiescens, accipiens vasculum cum sacris [3] reliquiis tradidit ei, dicens : *Accipe, fili carissime, hunc pretiosum thesaurum, et cum honore et reverentia defer illum ad domum Savigniaci, et diligenter stude vitam tuam tantæ gratiæ conformare, ut virtus perpetrati miraculi in tua religiosa conversatione effectum obtineat sanctitatis.* Accipiens autem B. Gaufridus desideratum munus, cum gaudio spirituali et reverentia debita, ad abbatiam Savigniaci [4] reportavit, ubi usque in hodiernum diem honorifice conservatur [5] in testimonium miraculi prænotati.

De quodam miraculo.

XVI. Contigit apud urbem Bajocarum quod quidam [6] sacerdos, minus honestæ conversationis quam deberet, in obscuro advesperascente die, in noctis tenebris et caligine non minus mentis quam corporis, sibi convivium fecerat parari [7]; ad quod mulierem quamdam, ornatu meretricio præparatam ad decipiendas animas, ut illicitis cum illa frueretur amplexibus, insatiabilem carnis voluptatem implere satagens, quod turpe est dicere, impudenter secum pariter procuraverat invitari. Vacantibus illis cibis et potibus, fabulis et verbis scurrilibus, dictus sacerdos, crapula et ebrietate prægravatus, sicut moris solet esse gulosorum, inter epulas cœpit dormitare. Mulier vero, cui minime accepta erat ipsius societas, furtive se subtraxit, et nocte illa manus facinorosas evasit. Ille vero expergefactus, vidensque se illusum et omnino sua spe fraudatum, ut erat venenatis diaboli [8] sagittis stimulatus, quasi amens, fœtidam sequens prædam, turrem quamdam, quæ fuerat cujusdam magni viri [9], nobilis et potentis, patrui B. Gaufridi, conscendens [10] et currens per angulos et latebras ipsius turris, quod amiserat non invenit. Per fenestras vero respiciens curiose circumquaque, audivit

[1] advolando *S.* — [2] introierant *S.* — [3] sanctis *S.* — [4] Savign̄. *et sic deinceps S.* — [5] conservantur *S.* — [6] quam quidem *S, M.* — [7] præparari *S.* — [8] *ita S.* venenatus de ambobus *M.* — [9] et *S.* — [10] conscendit *S.*

quemdam pauperem ad terram juxta turrem jacentem et graviter infirmantem; existimans ibi mulierem quam quærebat, latitare. Ille autem, ut erat spiritu maligno stimulatus, sustulit ingentem lapidem de fenestra, et toto impetu super pauperem ibi decumbentem [1] jecit. Pauper siquidem, horrore lapidis immisericorditer super se venientis [2] et timore mortis perterritus, cœpit alta voce pluries exclamare : *S. Gaufride, S. Gaufride, adjuva me! Ne lapis solutus de domo patrui tui me interficiat.* Sacerdos autem audiens clamorem pauperis miserabilem, timens ne homicidium perpetrasset, concito gradu fugiens et pede pene fracto, confusus recessit. Quid plura? Divina pietas, quæ misericorditer pios a tentatione et innocentes non solum a tribulatione sed a morte novit liberare, et iniquos et male viventes per justitiæ districtionem secundum merita punire solet, sicut in fornace Babylonica tres pueros innocentes ab exustione ignis penitus servavit illæsos et virtutem ignis super incendentes fornacem convertit, ita intercedentibus meritis B. Gaufridi ad invocationem sui nominis et pauperem ab omnimoda læsione miraculose servavit immunem, et presbyterum, amisso usu manuum et pedum, per paralytici morbi incommodum ab altaris officio suspendit, pœnam, ut dignum est, convertens in auctorem.

De transitu beati viri.

XVII. Postquam vero venerabilis pater Gaufridus, Spiritu sancto regente, fundaverat multa monasteria, videlicet in Francia, Normania, Cenomania, Turonia et [3] Andegavia, Britannia, Anglia, Hibernia et Walia [4], et [5] oculis corporeis intuitus est filios filiorum suorum spiritualium usque in tertiam et quartam generationem, jam [6] longo fessus senio, optabat dissolvi et esse cum Christo. Gratulabatur siquidem quod domus Savigniaci, quam Deo disponente strenue rexerat, sicut vitis abundaret in lateribus omnis terræ, et filiæ [7]

[1] decubantem *S.* — [2] venienti *S.* — [3] *om. S.* — [4] Wallia *S.* — [5] *ita S.* ex *M.* — [6] tam *S.* — [7] *ita S.* folia *M.*

ejus undique, sicut novellæ olivarum. Verebatur nihilominus derelinquere novellas plantationes, quas in Domino ipse plantaverat, Deus autem dederat incrementum [1]; ne forte post discessum ipsius invaderent gregem suum lupi rapaces. Itaque, inter spem amoremque dubius, dicebat cum gemitu et lacrimis in orationibus suis : *Domine, jam satis est quod huc usque certavi; sed quoad ipse jusseris, militabo. Aut si parcis ætati, bonum est mihi; hos quibus timeo, ipse custodias.* Adveniente siquidem tempore vocationis suæ, multarum virtutum et perfectissimorum meritorum plenitudine consummatus, jam Deo et omnibus sanctis ejus dilectissimus effectus, monasticis rebus bene dispositis et optime ordinatis, subditis per sapientiam a Deo sibi datam summa pace collocatis et mutuæ dilectionis affabilitate invicem [2] conglutinatis, egregius pastor febre corripitur et lectulo illo nobili cineribus et cilicio decentissime ad animæ humilitatem ornato atque decorato depositus, oves suas Domino devotissime commendabat. Accurrerunt filii undequaque, abbates et monachi, valedicturi carissimo patri, ex [3] intimis pectoribus promentes suspiria, fundentes cum singultibus lacrimas, licet sentirent magis esse gaudendum, si rationem vis doloris admitteret. Pium siquidem erat gaudere Gaufrido, et pium erat flere [4] Gaufridum. Corpus ex [5] languore deprimitur, spiritus autem quia semper proprios [6] bene rexerat artus [7], ad Deum et ad ea quæ Dei sunt, vivacissime intendebat, et ab oratione neque cor neque os neque manus cessare permittebat. Itaque beatissimus pater, sacramentis ecclesiasticis munitus, circa eum rite celebrantibus debitum funeris officium abbatibus et monachis, anno Domini 1139, VIII° Idus Julii, valedicens generosæ [8] generationi suæ, inter orationis verba, felicissima pace et beatissima quiete [9], spirituum datori et omnium creaturarum creatori, ipse felix et beatus pretiosam tradidit animam, et piis laboribus acquisita præmia [10], sanctis omnibus consociatus, lætantibus angelis, in cœli palatio feliciter intro-

[1] incr. ded. *S.* — [2] *om. S.* — [3] *ita S.* et *M.* — [4] *ita S.* transferre *M. loco* e. fl. — [5] vero *S.* — [6] pr. semp. *S.* — [7] *sic S, M; forsan legendum* actus. — [8] generose *S.* — [9] beata requie *S.* — [10] merita *S.*

missus, recepit (1) [Sanctissimum vero corpus ejus sepultum est honorifice in sepulcro lapideo, tanti patris humatione digno, et collocatum postea cum omni honore in ecclesia Savigniaci coram altari B. Nicolai, episcopi et confessoris, ad cujus sacrum tumulum cæci sunt illuminati, contracti erecti, surdi auditum receperunt, dissenterici et febricitantes pristinæ restituti sunt sanitati] præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit vita S. Gaufridi.

Deinde legitur in eodem auctore:

Item pauca de miraculis sanctorum Savign. (2).

In civitate Abrincensi erat puella, Thomassa nomine, filia cujusdam nobilis civis ejusdem civitatis... Hæc perforata erat per totum corpus gutta fistula, id est, quod in corpore ejus apparerent plus quam quinquaginta foramina putredine defluentia. Quæ a parentibus adducta Savigniacum, per merita sanctorum paucis diebus sanata est (a).

Nobilis puella 22 annorum, Aalicia nomine, a nativitate surda erat et muta; Gervasia, mater ejus, vovit eam sanctis et adduxit Savigniacum, et per suffragia sanctorum solutum est vinculum linguæ ejus et aures ejus apertæ (b).

Dyonisia, de Barnevilla, male a dæmonio vexabatur; quæ, ligata manicis et compedibus ferreis, adducta est Savigniacum; per merita sanctorum sana et incolumis rediit ad propria (c).

(1) Quæ sequuntur, uncinis a nobis inclusa, videntur addita fuisse vergente sec. XIII; translatio enim corporis S. Gaufridi in capellam S. Nicolai ab abbate Stephano de Lexinstone facta est anno 1243. — (2) Hæc omnia leguntur (sed alio stylo) in *Libro de miraculis sanctorum Savigniacensium* ab eruditissimo viro L. Delisle edito tom. XXIII Rerum Gallic. et Francic. scriptor. *(Recueil des histor. des Gaules et de la Fr.)*, pp. 587-605.

a) Cf. op. mox cit., p. 589 G, H. — b) Cf. ibid., p. 590 D. — c) Cf. ibid., p. 592 J.

Laurentia, de Plessiaco, habebat manum clausam a nativitate; adducta Savigniacum, ad tactum sanctarum reliquiarum aperuit manum, toto tempore vitæ suæ antea clausam, habens eam deinceps habilem ad omnia agenda (d).

Guillot Burnet [1] per sex annos paralyticus jacuerat in grabato; per merita sanctorum erectus et sanatus est (e).

Aaliz, de Villeriis, muta fuit per multum temporis; amici ejus voverunt eam sanctis, et statim solutum est vinculum linguæ ejus (f).

Aalicia, vidua, habebat unicum filium, Gualterium nomine, qui matre [2] absente mortuus est. Quo audito, mater accurrens consilio [3] vicinorum vovit puerum sanctis, et eorum meritis ad vitam revocatus est (g).

Guillelmus Mansel, Abrincensis diœcesis, habebat in collo a posteriori parte morbum aspectu horribilem, ubi erant novem foramina, et per ea anhelitus [4] videbatur exire. Homo propinquus morti, vovit se B. Vitali et socii suis, et integram obtinuit sanitatem (h).

[1] *cod.* Burn. et. — [2] *cod.* morte. — [3] *cod.* concilio. — [4] *cod.* harnelitus.

d) Cf. ibid., p. 593 A. — e) Cf. ibid., p. 593 C. — f) Cf. ibid., p. 593 H et 601 D. — g) Cf., ibid., p. 594 K, L et 595 A, B. — h) Cf. ibid., p. 597 C.

(Desunt in MS. plures paginæ.)

MIRACULA S. MARTIALIS

ANNO 1388 PATRATA

AB AUCTORE COÆVO CONSCRIPTA

NUNC PRIMUM EDITA

STUDIO ET OPERA

V. V. FRANCISCI ARBELLOT

CANONICI LEMOVICENSIS.

Opusculum hoc e codice bibliothecæ publicæ Nemausensis signato S. XI, ad finem seculi XIV exarato, a se transcriptum ac notis illustratum humanissime nobiscum communicavit ven. vir Franciscus Arbellot. Miracula refert quæ contigerunt in aliqua ostensione capitis S. Martialis (1), cui testis oculatus et præcipuas quasdam partes agens interfuit libelli scriptor. Monachus enim is erat cœnobii S. Martialis, atque tempore ostensionis functus est munere pœnitentiarii apostolici; nomen tamen suum ex humilitatis sensu reticuit (2).

Quo tempore illa ostensio locum habuerit, haud ægre definire licet. Imprimis enim certum est eam factam fuisse post mortem Gregorii XI (3), id est post annum 1378, et ante mortem Gaufredi Testa Nigra (4) qui ex vulnere accepto in defendenda arce Montis Ventadureæ vita decessit anno 1389 (5). Jam vero intra hoc decennium una memoratur ad annum 1388 ostensio *ordinaria* capitis S. Martialis (6), qualis, ubi per tempora licebat, septimo quoque anno ab initio seculi XVI, prius vero minoribus intervallis fieri solebat (7), nulla vero extraordinaria. De illa autem ostensione anni 1388 hic agi, hinc confirmatur quod « Iis diebus quibus facta fuit ostensio devota capitis ipsius apostoli » gloriosi... et unitatem Ecclesia Dei populusque christianorum et » præsertim Aquitanorum, guerrarum dura calamitate cassatus, » pacis dulcedinem valuit impetrare precibus et meritis ipsius

(1) Prolog. med. et numm. 1, 4, 5, 6, 8, etc., 73. — (2) Num. 15. Cfr. num. 8. — (3) Ibid. — (4) Prolog. extr. et num. 29. — (5) Froissard, *Chroniques*, Ed. Kervyn de Lettenhove, tom. X, p. 286. — De Gaufredi facinoribus vid. ibid., tom. IX, p. 140-141 et *Chronique du religieux de Saint-Denis*, Ed. Bellaguet, tom. I, p. 500. — (6) Maurice Ardant, *Des ostensions, origine, dates des principales*, etc. (Limoges 1848, in-24), p. 34 et 44. — (7) Ibid., pp. 9, 32, 44.

» sancti » (1). Nihil autem aliud inter annos 1378 et 1389 cogitari potest unde Gallis spes affulserit fore ut jam finis imponeretur infausto schismati in Ecclesia brevi post mortem Gregorii XI exorto, nisi mors Urbani VI die 15 Octobris 1389. Quumque eodem anno atrox bellum, quo jamdudum inter Gallos et Anglos de ipso Galliæ regno dimicabatur, sedatum fuerit per celebres inducias in vico Lelinghen (2) die 18 Junii pactas (3) et a rege Angliæ die 27 Septembris sacramento firmatas (4), quæ pro provinciis ultra Ligerim sitis ad diem 16 Augusti 1392 duraturæ statuebantur (5), facile sane utrumque felicem eventum attribuere potuit scriptor noster S. Martiali per ostensionem anni 1388 tam præclaro cultu honorato.

Eo autem majori in pretio apud eruditos erit anonymi monachi Lemovicensis scriptio quod, præter quædam ad notitiam morum illius ævi utilia, multa, ut fere solent hujus generis lucubrationum scriptores, locorum nomina citat, inter quæ præcipue notandæ veniunt arces quæ ab Anglis, fervente bello, in Lemovicensi et vicinis regionibus detinebantur (6). Nonnullas etiam voces profert quibus augere licebit edendum aliquando supplementum ad Glossarium mediæ et infimæ latinitatis. Quæ nomina et voces in subjectis textui notis legenti indicare et adjuncta interpretatione illustrare curæ fuit.

[MIRACULA S. MARTIALIS].

S. Martialis, quem celebritas, miraculorum commendat,

Gloriosus Deus in sanctis suis, et in quibus laudatur ipse omnipotens, et benedicitur in majestate mirabilis; cujus ineffabilis altitudo prudentiæ, nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura [1] judicii, cœlestia pariter et terrena disponit; etsi cunctos ejus ministros magnificet, altis decoret honoribus, et cœlestis efficiat [2] beatitudinis possessores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum et præmiorum uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit et commendat ingentior excellentia meritorum. Secundum enim Hieronymum [3] [communem] [4] fatemur esse sanctorum vitam, sed

[1] *cod.* censiva ? — [2] *cod.* eficiat. — [3] *cod.* Secum enim Ierom. — [4] *verba uncinis inclusa suppleta sunt ex conjectura.*

(1) Prolog. med. — (2) Inter Caletum et Bononiam in septemtrionali Gallia sito. — (3) Rymer, *Fœdera*, Ed. Hague, tom. III, part. IV, p. 39-42. — (4) Ibid., p. 45. — (5) Ibid., p. 40, col. 2 extr. — (6) Numm. 1, 4, 14, 19, 40, 61.

præmia pro labore divisa. Quantis igitur prodigiorum portentis, quantis miraculorum insigniis perlustraverit Deus omnipotens suum sanctum discipulum, Galliarum apostolum ac totius Aquitaniæ primatem et protopræsulem [1] Martialem [2], licet creb[r]o hæc videant confugientes ad ejus sepulcrum,.... [3] Specialiori enim dono suum insignivit apostolum, ille qui formidanti ingredi civitatem Lemovicensem dixit : *Ne timeas descendere ad urbem Lemovicam, quia ibi te glorificabo, et semper tecum ero;* ut legitur in ejus Vita. Ipsius nempe artus virginei viventes miraculis vigent, meritis patrociniisque præpollent; ad [4] ejus nominis sacram memoriam ubique prodigia; ad ejus pretiosum sepulcrum innumera signa toties [5] ostenduntur quoties fides petentium et imbecillium confirmatio exigunt et requirunt. Quis illuc mœstorum accedens, non consolatus optato gaudio recessit? Quis peccatorum mole pressus illuc adveniens, non relevatus pro fide remeavit? Quippe coram oculis omnium sæpissime fuit hic in promptu [videre] tot catenas compeditorum meritis specialissimi patroni comminutas, tot reos et in angusto mortis positos, de Martialis paternitate præsumentes, a vinculis absolutos, de carcere ereptos, de ferreis nexibus expeditos, de longa miseria et tortione membrorum exemptos, nonnullos quoque quibus auxilium humanum nullatenus prodesse poterat, ita de tyrannica manu captivitatis subtractos, ut non mortem, sed etiam ipsa detrimenta rerum suarum evaderent; plures egestuosos postquam pro pietate [6] coram disposuere querelam, ad sua reversos, paulatim fortunatos effectos; innumeros execrabili et putrida gehennæ flamma flagrantes, rore invisibili restauratos, et alios quamplurima beneficia impetrasse, ut inferius luculenter ostendetur.

Iis diebus enim quibus facta fuit ostensio devota capitis ipsius apostoli gloriosi, præordinata Spiritus sancti, per religiosos abbatem et monachos devoti cœnobii ipsius sancti, et unitatem Ecclesia [7] Dei, populusque christianorum et

nuper tempore ostensionis toti Ecclesiæ reddidit pacem

[1] *cod.* prothopresulem. — [2] *cod.* Marcialem *et sic deinceps.* — [3] *lacuna in cod., supplendum forsan* tamen ea enarrare bonum est. — [4] *cod. add.* Martialem, *sed hæc vox redundare videtur.* — [5] *cod.* tociens.. quociens. — [6] *cod.* pro pie. — [7] *cod.* in Ecclesia; *sed male, nam sermo est de spe mox finitum iri schisma Occidentis anno 1388.*

præsertim Aquitanorum, quorum ipse beatissimus Martialis protopastor [1] exstitit atque doctor, guerrarum dura calamitate cassatus, pacis dulcedinem valuit impetrare precibus et meritis ipsius sancti. Unde non est silendum quod post compertam [2] ostensionem prædictam, treugarum et spes de finienda [guerra] inter duos reges Franciæ et Angliæ admiranda novitas supervenit. Ideo de miraculorum multitudine (ne sub silentio sanctorum præconia conculcemus, et dicatur : *Nolite sanctum dare canibus, et seminare margaritas inter porcos, ne conculcentur ab eis.* Et alibi eadem sancta Scriptura dicit : *Sacramentum regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est)*, quamvis peregrinorum præ nimia turba tunc concurrentium ad videndum et orandum ipsum sanctissimum caput omnium miraculorum seu majoris partis copia haberi nequiverit, pauca tamen ad excitationem devotionis fidelis populi sub brevi compendio inferius enarrantur, ad ipsius sancti gloriam et laudem Jesu Christi Salvatoris nostri, qui ipsum suum dilectum discipulum ceteris apostolis protulit in exemplum et formam totius humilitatis, dicendo : *Qui se humiliaverit sicut parvulus iste, hic major erit in regno cœlorum.* Cujus regni participes faciat hæc miracula devote suscipientes. Amen.

et Lemovicis paulo ante securitatem cum annona.

Illud quoque præmittendum est, quod paulo ante quam ostensio inciperet, Lemovicensis villa gravi et pestifera inimicorum persecutione circumquaque vallata [3] erat, et potissime illius pseudochristiani Gaufredi Testa-Negra et suorum sequipedum; verum in ipsa villa vini, bladi et aliorum victualium carestia magna erat, et timebatur major; nec pro portu victualium seu adhuc pro peregrinis ab ipsis inimicis salvus conductus haberi poterat ullo modo. Erecto vero dicto sanctissimo capite, et incepta per præfatos devotos cœnobitas ostensione, porrectisque per ipsos religiosos cum ejulatu et fletu [4] devotis precibus super præmissorum auxilio ipsi glorioso discipulo Jesu Christi, tunc conturbati principes Edom [5]; robustos Moab obtinuit tremor, et obriguerunt

[1] *cod.* prothopastor. — [2] *forsan pro* completam. — [3] *cod.* vellata. — [4] *cod.* flectu. — [5] *cod.* Eden.

omnes inimici et habitatores Chanaan [1], ipsorumque hostium ferocitas in mansuetudinem versa, precibus ipsius sancti, peregrinos et victualia libere abire permisit. Eratque vox omnium peregrinorum quod [2] cum mille salvis conductibus non venirent ita secure, sicut faciebant sub conductu apostoli Martialis. Vini, granique et omnium victualium abundantia undique tanta supervenit, quod ultra medietatem pretii quo prius vendebatur, nunc, precibus ipsius sancti, Dei gratia redundarunt. Cibavit enim eos Dominus ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.

Circa idem tempus liberavit Anglum flumine obrutum,

1. Unus anglicus armiger stabilicæ [3] ex Beynaco (1), Lemovicensis diocesis, dum discurreret et iret una cum pluribus aliis satellitibus suis, pro deprædando per patriam, et facerent transitum per aquam impetuosam Dordoniæ, et prædictus periret, cingulum seu fascia [4] qua cinctus erat equus suus casu dirupta, in continenti sessor cecidit in profundum vehementis aquæ; et dum submergeretur, trahens in memoriam [5] auditam alias ostensionem præfati benedicti capitis, vovit, ut potuit, Deo et beato Martiali quod, si idem sanctus suis precibus liberaret eum ab ipso periculo, proficisceretur ad ejus capitis ostensionem cum certo [6] pondere ceræ pro ipso et equo, et numquam adversus christianum aliquem de cetero sumeret arma : emissoque voto, mox sibi visum fuit quod unus homo ducebat eum, et subtraxit [7] de aqua; equusque per semetipsum sequens, ambo illæsi exeuntes aquam, videntibus suis complicibus [8], et qui credebant revera eum submersum, ut postea retulerunt. Venit illico peregre per tractum lapidis flexis genibus, adoravit dictum sanctissimum caput, votumque solvens, cum fletu [9] narravit se numquam evadere potuisse nisi miraculo et adjutorio ipsius sancti [10].

infantem prope exanimem sanavit,

2. Martialis Biza, burgensis villæ Lemovicensis, et ejus uxor habentes unum filium trium annorum, cum idem infans in grabato diu jacuisset,. ex gravique infirmitate lan-

[1] *cod.* Canaham. — [2] *cod.* que. — [3] *ita ubique cod. pro magis usitato* stabilita, *excepto num. 48. Scribit insuper cod.* et Beynaco. — [4] *cod.* faxia. — [5] *cod.* habens. — [6] *cod.* serto. — [7] *cod.* substraxit. — [8] *cod.* complexibus. — [9] *cod.* flectu. — [10] *cod.* servicii.

(1) Beynac (Corrèze).

guesceret, spiritusque nullus in eo perciperetur, cum clausissent sibi os, nares et oculos, nec [1] quoquo modo speraretur de ejus vita, mater flens et dolens, divinitus inspirata, vovit ipsum puerum ipsi beatissimo Martiali, cum imagine ceræ et intorticio, si vitam eidem a Deo impetraret ; statimque revixit spiritus pueri, et lacrimatus est. Pater vero et mater flentes præ nimio gaudio, puerum vivum cum voto suo ipsi glorioso apostolo devote præsentarunt.

abortivum incolumem præstitit,

3. Quomodo enim per eum qui via, veritas et vita est, Martialis membra non vivunt, qui ipsos mortuos vivere etiam in hac vita præbent? Sicut de illa devota muliere de Burgo Novo (1), diocesis Lemovicensis, quæ peregre veniens ad sanctum apostolum prægnansque exstans prope partum, dum Lemovicas applicuisset et tarde veniens villam clausam intrare non potuisset, ipsa nocte abortivit in suburbio [2] ipsius villæ. Mulier inde clamans et orans : *O sancte Dei apostole, et hæc est retributio meæ peregrinationis? Redde mihi filium, obsecro, ut cum gaudio possim remeare.* Factaque oratione, statim revixit puer, et vagiens inde baptizatur [3]. Facto mane, filium vivum (qui adhuc etiam vivit) obtulerunt beatissimo Christi discipulo, narrantes miraculum cum gaudio; et postea ad propria fuere reversi.

peregrinos qui sacrum ejus caput honoraturi veniebant, a carcere liberavit.

4. Anglici fortalicii Castri-Luceti (2), cum plures peregrinos villæ de Rupella, diocesis Xantonensis, venientes peregre ad beatissimum Martialem cepissent, et suis tenebrosis carceribus mancipassent, dixissentque ipsis peregrinis quia numquam de inde evaderent, donec prius eorum aliqui socii anglici, qui captivi tenebantur Pictavis per gentes domini ducis Bituricensis, eis liberati fuissent; unde unus ipsorum peregrinorum, considerans hoc esse impossibile, quum præsumebat ipsos captos anglicos Pictavis jam fuisse peremptos, et de iis duris carceribus non posse liberari, oravit devote sanctum Christi discipulum, et obtulit quod, si ejus precibus una cum sociis ipsam evaderet captivitatem, totus nudus

[1] *cod.* ne. — [2] *cod.* suburbis. — [3] *cod.* baptizatus.

(1) Bourganeuf (Creuse). — (2) Châlusset (Haute-Vienne).

iret de porta villæ usque ad altare sui capitis benedicti. Factaque oratione, capitaneus dicti fortalicii misit illico pro peregrinis; quos alloquens blando sermone, liberavit eos, exhortans ut cunctis populis dicerent quod secure venirent peregre ad sanctum Martialem, promittens quod per eum et suos aliqua læsio non fierit eis. Liberati ergo venerunt, et fecerunt ut promiserant, narrantes laudes Domini et ejus gloriosi apostoli, populis cernentibus universis.

Punitur qui sub colore doni furtum fecerat.

5. Quidam peregrinus longe veniens de Britannia, una cum aliis peregrinis, cum de falsa moneta ipsi sancto credere[t] complacere, orando dictum sanctum caput, obtulit unum falsum album, qui, si bonus existeret, valeret quinque denarios monetæ currentis in Francia. Quo oblato, offerre dissimulans unum denarium, quatuor denarios repetiit, cum in veritate albus non valeret duos denarios. Unde quatuor denariis præfatis receptis, dum rediisset in hospitalaria sua, tantus ardor tantusque igneus calor eum inde decerpit, quod fere moriebatur. Cujus clamori hospes compatiens, cum interrogasset quid [1] obtulisset beatissimo Martiali, dixit quod unum album quem alibi non potuerat exponere, cum non esset bonus, et plus quam valeret, inde repetierat. Quem cum hospes monuisset ut plus recepta statim reportaret, et numquam de cetero falsam offerret monetam, peregrinus festinanter egrediens sanctum Dei [adoravit], oblatoque plus inde recepto, ac venia devote postulata, pristinam sanitatem sua caro misera reportavit; quod palam fuit ubique patefactum per ipsum, publice confitendo reatum suum.

Sanat mulierem hydropicam,

6. Quædam mulier Lemovicensis, diu paralytica, cum opere medicorum juvari non posset, vovit ipsi glorioso sancto quod, impetrata a Domino sanitate per ipsum apostolum Dei, cum imagine cerea oraret suum sanctissimum caput. Emissoque voto, restitutaque sanitate, illico promissum solvens devota mulier et rei gestæ miraculum enarrans, ad propria cum gaudio remeavit.

et ægrum

7. Quidam bonus homo diocesis Lemovicensis habebat

[1] *cod.* quod.

desperato languore affectum.

unum filium qui diu in grabato languerat, et adhuc languebat, in tantum quod, opere medicorum frustrato, plus sperabat dolor paternus obitum filii, quam ipsius filii vitam. Auditaque solemni ostensione benedicti capitis antedicti, relationeque ingentium miraculorum qui[bus]libet Lemovicæ Deus decorabat suum gloriosum discipulum, votum fecit quod, si ipse gloriosus sanctus impetrare dignaretur a Domino sanitatem pro filio suo, in continenti venirent[1] ambo peregre cum oblatione ceræ ad ipsum sanctum : factoque voto, sanatus fuit puer illico; moxque venientes ad ipsum sanctum, porrectisque orationibus cum suis oblationibus, miraculoque narrato, cum ingenti gaudio ad propria redierunt.

Percutitur aliquis impœnitens, donec ncn resipiscit.

8. Cum quidam homo villæ Ageduni (1), diocesis Lemovicensis, peregrinasset ad ipsum sanctum, impœnitensque et inconfessus orare et osculari non formidaret, cum vellet osculari, subito in terram divino judicio prostratus cecidit. Qui confortatus et interrogatus si fuerit confessus pœnitentiariis domini nostri papæ, qui ibi erant duo, ex speciali indulgentia beatæ recordationis domini Gregorii quondam papæ XI^{mi} fungentes potestate primariorum Romanæ curiæ : qui cum dixisset quod non, statim unus ex primariis audiens, inde cum magno fletu confessus, absolutione obtenta, cum in gravibus peccatis prius oneratus fuisset, ipsum sanctissimum caput lacrimabiliter osculans, oblatione porrecta, gaudenter recessit.

Sanat cæcum,

9. Quædam bona peregrina bajulans filium, qui præ nimio languore perdiderat visum, cum ejulatu [2] magno prostrata coram sanctissimo capite, oravit ipsum Aquitaniæ gloriosum primatem ut illuminaretur unicus dilectus suus. Unde cum juxta solitum morem magistri ordinis religiosi ipsius monasterii regentes ipsum beatissimum caput, ad adorandum aperuissent vasa pretiosissima sive cupas quibus reconditur ipsum sanctum caput, ut nudo pateret [3] in nume-

[1] *cod.* venerunt. — [2] ejulato *hic, sed alibi* ejulatu *non semel.* — [3] *add.* et.

(1) Ahun (Creuse).

rabili conflictui [1] peregrinorum astantium et videre postulantium nudum sanctum caput, mulier elevans se una cum filio ut videret sicut ceteri peregrini, ecce filius illuminatus visibiliter, et cunctis cernentibus, dixit matri quod ipse videbat caput sancti Martialis. Mater clamans præ nimio gaudio, offerensque oculos cereos cum intorticio, ac totus populus gaudens de filio prius cæco et illuminato, multiplices gratias exsolventes, gáudenter in propriam patriam sunt profecti.

puerum in fluvio mersum,

10. Puer quidam annorum quinque, loci de Axia (1) diocesis Lemovicensis, dum transiret per pontem Vigennæ, fluvii dicti loci, casu cecidit in amnem et fuit tractus seu portatus subtus aquam per tractum balistæ; deinde insecutus per homines ipsius loci cum magno clamore, et tandem repertus; oreque illius violenter cum uno gladio aperto, cum aquæ multitudinem ejecisset, oculis clausis, nullus vitæ spiritus in eo repertus fuit. Unde pater et mater præsentientes miracula quæ Deus operabatur precibus beatissimi Martialis, et singulariter in ostensione benedicta capitis ipsius sancti, clamaverunt cum magno singultu ad gloriosum apostolum Martialem [ut] suis sanctis precibus filium suum unicum eis restitueret; votoque emisso, illico revixit puer et locutus est. Pater et mater gaudentes peregre statim profecti sunt ad beatissimum Martialem, et gratias reddentes Domino et ejus beato discipulo, votum devotissime persolverunt.

alium puerum in cujus nasum taxillus intraverat,

11. Stephanus Quertini, burgensis Lemovicensis, habens unum puerum annorum quatuor, dum puerulus more peruli luderet cum uno taxillo, casu intravit taxillus nasum pueri, et ita profunde quod exinde non poterat extrahi quovis opere medicorum vel surgicorum, potissime propter ipsius infantis teneritatem. Unde puer ipse per aliud foramen nasi emittebat magnam sanguinis quantitatem, et in tantum, cum puer loqui non posset, quod aliqua spes de ipsius vita non erat. Pater et mater confidentes de suffragio apostoli gloriosi, oratione lacrimabili ac voto emissis ad patronum

[1] *pro* confluxui ?

(1) Aixe (Haute-Vienne).

suum beatum, nutrix pueri ponens manum ad nasum, illico exivit taxillus, cessavit sanguinis effusio, et sanatus est puer; et statim portatus per ipsos parentes cum voto suo ad caput apostoli gloriosi, Deo et sancto gratias innumerabiles persolverunt.

hominem diutino morbo languentem.

12. Mulier etiam quædam castri de Chabriniaco (1) [habebat] unum avunculum qui præ nimia gravi infirmitate diu languerat et languebat, sic quod de nullo humano auxilio poterat relevari. Mulier prædicta audiens miracula quæ Deus operabatur incessanter in ostensione benedicti capitis sancti Martialis, oravit devotissime beatissimum, ut impetraret a Domino sanitatem ipsi ægroto. Unde, emisso voto, statim avunculus cum muliere prædicta et imagine cerea peregre venientes ad ejus devotam ostensionem, Domino solventes gratias [et] ipsi sancto, votum humillime persolverunt.

Aliquem sine diplomate iter facientem ab hoste custodit,

13. Gourmetus, Guey[re]to[1] loci de Solempniaco (2) diocesis Lemovicensis, recedens a villa Lemovicensi, credens habere salvum conductum, et non habebat, obviavit Anglicis, a quibus captus fuit et terribiliter vinculatus. Captivus orans clamavit ad gloriosum patronum suum, beatum Martialem, ut liberaret eum ab illa captivitate, et statim veniet ad orandum suum sanctissimum caput cum uno intorticio quatuor librarum ceræ. Voto emisso per eum, Anglici sua propria voluntate solventes eum, illæsum abire fecerunt, dicentes quod nihil volebant ab eo et quod iret in pace. Illico captivus via recta veniens ad benedictum caput, suum votum, narrato miraculo, devote persolvit.

alium jam ligatum a vinculis solvit.

14. Simili modo unus homo loci de Razes (3), cum ab Anglicis fortalicii *deu Chassanh* (4) captus et in compedibus et manicis ferreis ligatus detineretur, per eum emisso voto ad gloriosum discipulum Jesu Christi Martialem, in continenti solutus ab omnibus vinculis, et palam transiens inter Anglicos ipsos, ipsis videntibus et nullum verbum dare valenti-

[1] *nisi* gueyto *accipiendum sit pro* gueyta *(homme du guet).*

(1) Chabrignac (Corrèze). — (2) Solignac (Haute-Vienne). — (3) Razès (ibid). — (4) Chassanh (Dordogne).

bus, ad propria rediens soluto voto, Deo gratias reddidit et ejus discipulo glorioso.

Punit et mox sanat aliquem boni propositi immemorem.

15. Mihi propter imbecillitatem nomen proprium supprimenti, tunc in ostensione prædicta electo in primarium apostolicum per dominos meos abbatem et conventum dicti monasterii ex speciali indulgentia sanctæ recordationis domini Gregorii quondam papæ XI^{mi}, revelavit unus scutifer diocesis Petragoricensis quod, cum semel in quadam ecclesia dictæ diocesis ubi erat unum altare fundatum [in] honorem[1] sancti Martialis, jurasset super ipsum altare et ante imaginem ipsius sancti de cetero non ludere ad taxillos, cum prius propter nimiam continuationem ipsius ludi abominabilis haberetur, accidit quod post unam dierum Anglici cum multa bona deprædati fuissent, venientes ad locum suum qui sub obedientia domini Franciæ regis erat, amicabiliter et more solito invadentes, eum ad ludendum provocaverunt. Miser homo turbatus[2] cupiditate et immemor juramenti per eum præstiti, dum luderet et haberet in suis manibus taxillos, mox ardor ignis ipsum rapiens in brachio dextro, fere ibidem moriebatur. Sed rediens ad cor, recordatusque proprii juramenti, se fecit portari ad dictam ecclesiam. Ibi ante dictum altare et novenam faciens et de perjurio veniam postulans, dum vovisset peregre proficisci ad caput ipsius apostoli gloriosi cum certo pondere ceræ, et emendare de cetero vitam suam, completa novena, sanciturus[3] votum rediens, imposita sibi de perjurio pœnitentia, licet cicatrix adhuc appareat nigra in dicto brachio, et rotunda ad instar unius albi, ut vidi, sanus et incolumis ad propria remeavit.

Furem punit qui pecuniam peregrino ceperat.

16. Plures peregrini, ubi sanctum Dei discipulum Eutropium visitaverunt, de Xantonis venientes ad beatissimum Martialem, ad instar proditoris inde in sua comitia unum latronem habebant; et dum intrasset in diocesim Lemovicensem, in villa Sancti Juniani (1) latrunculus ille nocte uni ex peregrinis furatus fuit octo francos auri. Mane facto, comper-

[1] *cod.* honore. — [2] *cod.* torbatus. — [3] *cod.* sancitus.

(1) Saint-Junien (Haute-Vienne).

toque furto, peregrinus flens et orans clamavit : *O gloriose pauperum consolator et amice Dei dilecte, beatissime Martialis, tuus pauper et desolatus peregrinus sic veniet ad te? Redde, obsecro, pauperem substantiam meam.* Illico fur, licet longe fugisset, rediens, ita coram illis omnibus peregrinis stetit perterritus et attonitus; et jam ardore ignis tactusque pecuniam restituens, veniam postulavit. Quem peregrinus secum ducens una cum aliis ante caput dicti gloriosi sancti, ipsius furis celato nomine miraculum coram omnibus narravit.

Liberat ægrotum ab immani plaga dorsi,

17. Petrus de Manso Ahentensis monasterii (1), habens unum filium tam gravi infirmitate laborantem et ab humano suffragio derelictum, quod de ipsius misero corpore intestina exibant per dorsum ejus; pater dolens de languore [1] filii vovit beatissimo Martiali ut, si sanitatem suo filio a Domino impetraret, eum duceret [ad] suum benedictum caput cum certa ceræ quantitate. Voto emisso, sanatum puerum cum voto illæsum duxit pater ad cœnobium dicti sancti, ubi devote patefecit miraculum antedictum.

et alium ab aliqua immani inflatione.

18. Petrus Fayditi, dicti loci, habebat Stephanum, filium suum, habentem genitalia inflata ad instar unius ollæ, et diu languerat in illa miseria, nec poterat aliquo remedio hominis evadere. Pater ipse vovit beatissimo Martiali quod, si suo filio sanitatem a Domino impetraret, cum una imagine cerea venirent pariter adorare suum sanctissimum caput. Post votum mox sanato puero, ambo pariter ad dictam sanctam ostensionem votum implendo pariter advenerunt, explanato miraculo coram omnibus peregrinis.

Miro modo captivum Anglis eripit ;

19. Faber quidam dictus Tricaut, villæ Sancti Juniani (2), habebat unicum filium captum ab Anglicis fortalicii dicti *lo roc de Usaco* (3); quem filium paupertate gravatus redimere nec habere poterat ullo [2] modo. Confidens in corde suo de adjutorio Dei et ejus apostoli Martialis, oravit flexis genibus beatissimum Martialem ut restitueret ei filium suum, habuit-

[1] langore *non semel.* — [2] *cod.* ullo.

(1) Eymoutiers (ibid). — (2) V. num. 16. — (3) Le Roc d'Uzac (Château de Lussac-Poitou).

que in visione ut secure festinaret quæsitum filium suum; moxque pater iter arripiens ad locum ubi erat puer, licet ab inde distaret per sexdecim leucas, dum venisset ad portam dictæ stabilicæ, inde exiens filius, osculatus est patrem, et ambo secure venientes Lemovicensem, ubi laudibus persolutis et narrato miraculo redeuntes, cuique sinistro [1] non obviaverunt.

peregrino suo pecuniam amissam reddit;

20. Quidam peregrinus de partibus Franciæ, dum peregre huc venisset et vellet porrigere suam oblationem ad præfatum benedictum caput, nihil reperit in bursa sua in qua credebat habere xxv solidos monetæ currentis. Flens et ejulans, iterum ad instigationem circumstantis populi quæsivit in sua bursa et super se circumquaque, nihil adhuc reperiendo. Recedens ergo ad suum albergamentum tristitia plenus et languore, quod non habebat unde rediret ad propria; ubi oravit lacrimabiliter Martialem beatissimum ut ei pecuniam restitui impetraret; factaque oratione, nutu Dei interim quærens in bursa, invenit dictos viginti quinque solidos. Gaudens ergo peregrinus de thesauro invento, currens festinanter ad apostolum Dei, ibi partem obtulit cum gratiarum actione.

alii lumen oculorum restituit,

21. Helias Greyli, hospitalarius villæ Lemovicensis, steterat spatio duorum mensium privatus lumine unius oculi, sic quod de illo oculo nihil videbat, nec juvari poterat opere humano absque detrimento corporis sui. Inter rutilantia miracula oravit devote suum patronum beatissimum ut visum ei redderet in oculo suo, et ei post laudes possibiles portaret unum oculum unius libræ ceræ. Oratione completa, sanatus est ejus oculus, et clare vidit, sicut et adhuc videt. Quapropter voto soluto, gratias reddidit Salvatori et ejus discipulo glorioso.

alii libertatem,

22. Quidam dictus Joyot, villæ Aquæ Sparsæ (1) diocesis Claromontensis, captus fuit per Anglicos stabilicæ *deu* Roc de Ussaco (2); cumque vinctus duceretur, vovit in corde suo,

[1] *cod.* sunscio.

(1) Aigueperse (Puy-de-Dôme). — (2) V. num. 19.

et oravit beatissimum Martialem ut eum eriperet de manibus inimicorum suorum, et devote veniet [1] orare suum sanctissimum caput. Emisso voto, supervenit unus armiger incognitus, et creditus a Deo missus, vultu terribilis, qui effrenate insequens Anglicos, eripuit dictum captivum. Et ex post non fuit visus armiger ipse; sed captivus festinans Lemovicas cum suo voto, gratias Deo reddidit et ejus beato discipulo, miraculum exponendo.

mulieri jampridem languenti sanitatem,

23. Quædam mulier de Benevento (1), diocesis Lemovicensis, diu gravi infirmitate languerat, et adhuc infirmabatur ad mortem, nec opere medicorum poterat relevari; sed, emisso voto per ejus virum, precibus beatissimi Martialis sanata est, et ambo venientes Lemovicas, Deo et ejus discipulo gratias reddiderunt.

mulieri cæcæ visum,

24. Similiter quædam bona mulier orbata visu, dum vovisset [2] cum oculis ceræ certi ponderis ad adorandum dictum beatissimum caput Lemovicas se venturam, sanitate obtenta, venit Lemovicas gratias Deo reddere et apostolo Martiali.

alii animalia jam ab hoste comprehensa.

25. Johannes de Mazebretas, parochiæ de Bonaco (2), diocesis Lemovicensis, habens duas vaccas [3] et unum jumentum, cum Anglici discurrerent parochiam ipsam, ut Deus præservaret sibi animalia ipsa a faucibus dictorum inimicorum, vovit cum tribus animalibus de cera venire peregre ad ostensionem capitis benedicti, si beatus Martialis ea sibi ab illo periculo præservaret: cumque, emisso voto, Anglici discurrissent ipsam parochiam, et palpassent animalia prædicta, numquam ea secum ducere potuerunt. Unde Johannes præfatus Lemovicas veniens, narravit ipsum miraculum ante præfatum beatissimum caput, votum suum solvendo.

Impetrat duabus mulieribus

26. Quædam bona mulier, uxor Girardini La Rocha, cum langueret ad mortem, nec de ipsius vita speraretur, vir ejus oravit patronum beatissimum Martialem ut ejus consorti vitam a Domino postularet. Oratione completa, sanata est

[1] *cod.* ut... veniet. — [2] *cod.* venisset. — [3] *cod.* vacas.

(1) Bénévent (Creuse). — (2) Bonac (H^te^-Vienne).

uxor. Verum vir ejus cum uxore prædicta ac tota eorum familia, cum magnis oblationibus adorare venerunt dictum beatissimum caput, narrantes miraculum et Deo referentes gratias ac Galliarum protopræsuli Martiali.

liberationem a morbo desperato,

27. Quædam mulier villæ Montis Maurillii (1), diocesis Pictavensis, cum gravi infirmitate detineretur et irremediabili, oravit devote gloriosum primatem Galliarum, beatissimum Martialem, ut ei sanitatem a Domino impetraret, et promittens quod, ea obtenta, proficisceretur illico ad adorandum suum beatissimum caput, cum quadam imagine ceræ. Factaque oratione, statim surrexit incolumis, venitque Lemovicen[sem] persolve[re], sicut promiserat, votum suum.

homini vehementer febre ardenti sanitatem.

28. Quidam bonus homo de Julhaco (2) languebat et consumebatur et ardebat igne gehennæ, et dicebatur ipsum malum beatissimi Martialis : quod malum patientes dicuntur igne gehennæ torqueri, cum alii emittant terribilem et putridum fumum et fœtidum. Vovit venire peregre ad beatum Martialem, per ipsum gloriosum Domini discipulum sanitate impetrata, et cum certo ceræ pondere. Emisso voto, rore suavi et invisibili exstinctus est ignis ægroti, et sanatus venit reddere gratias Deo et beatissimo Martiali.

Liberat captivum Gaufredi Testa Nigra.

29. Vir quidam parochiæ de Roeria (3), diocesis Petragoricensis, captus fuit per illum pessimum christianum Gaufredum Testa-Nigra et suos satellites, vinculatusque compedibus et duabus manicis ferreis, in teterrima fovea derectus [1]. Cumque inibi consumeretur, nec haberet pecuniam quam ipsi pestiferi conabantur ab ipso extorquere, considerans [illud] psalmistæ : *Spera in Domino, et pasceris in divitiis ejus*, oravit ex toto corde gloriosissimum discipulum Christi Martialem, ut in tanta [2] miseria sibi prospicere dignaretur, promissionem [faciens] hoc festo venire ad suum benedictum caput. Facta itaque et completa oratione, reperit manus solutas ab illis ferreis manicis; cum quibus solvens tibias a compedibus, quorum catenæ quibus ligabatur sic humiliatæ

[1] *sic passim cod. pro* detentus, directus, derelictus? — [2] *cod.* tota.

(1) Montmorillon (Vienne). — (2) Julliac (Corrèze). — (3) Royère (Dordogne).

fuerunt ac si esset filum [1], audacter exiens foveam, venit ad portam castri, ubi cum plurimi Britonum satellites essent, et eum viderent, nullus ei dixit : *Quo vadis?* Festinans ergo suos gressus Lem[ovicas], ante dictum sanctissimum caput cum magnis fletibus narrante miraculo, suum persolvit votum in præsentia innumerabilium peregrinorum.

Reddit parvulo sanitatem cum visu.

30. Parvulus quidam, villæ Dauratensis (1), Lemovicensis diocesis, habebat sic inflatam faciem quod perdiderat ex toto visum, nec sanitatis remedium poterat reperire. Pater ejus et mater confidentes devotissime beatissimum Martialem, ut eorum filio commisereretur [2], et eum ducerent secum peregre ad suum sanctissimum caput. Oratione completa, sanatus est puer, et visum suscepit, et post ductus per parentes ipsos cum suo voto ad caput gloriosi discipuli Jesu Christi.

Liberat captivum a vinculis et carcere,

31. Georgius de Solempniaco (2), cum captus detineretur et in fœtidis carceribus ab Anglicis *deu Chastanh* (3) Petragoricensis diocesis, nec prætextu paupertatis evadere posset, clamavit ad suum patrem beatissimum Martialem, promittens devote se venturum orare suum sanctum caput cum oblatione ceræ, eo liberato. Factaque oratione, illico soluti sunt compedes, et omnibus januis apertis, via recta et absque aliquo impedimento, venit Lemovicas reddere gratias Deo et ejus discipulo benedicto.

septem peregrinos a prædatoribus,

32. Septem peregrini castri de Rupe (4), prope Borbonum, ibant peregre ad beatum Jacobum in Compostella; et dum transirent aquam de Vesera et venirent ad quoddam nemus plenum deprædatoribus et homicidiis, voverunt quilibet cum sua imagine ceræ se transire per Lemovicas, et videre caput beatissimi Martialis, dummodo ipse amicus Dei eos eriperet de faucibus eorum perversorum. Completa deprecatione, confidentes de adjutorio ipsius sancti, secure et illæsi pertransiverunt per ipsum nemus, et venerunt gaudentes acturi gratias Lemovicæ Deo et ejus sancto.

[1] *cod.* filium. — [2] *cod.* commiseretur.

(1) Le Dorat (H[te] Vienne). — (2) V. num. 13. — (3) Chastanh (Dordogne). — (4) La Roche, près Bourbon (Allier).

Anglum a laqueo.

33. Unus Anglicus stabilicæ Sancti Johannis de Stola (1) diocesis Petragoricensis, cum captus fuisset per Gallicos et deliberatus seu judicatus per eos ad suspendendum, imposito jam sibi laqueo in collo, vovit flens et dolens venire nudus ad beatissimum Martialem et cum certo pondere ceræ, si suis precibus tunc evaderet mortem et liberaretur a Gallicis ipsis. Vix completo voto, dimittunt eum Gallici, et venit totus nudus cum femoralibus dumtaxat, absque aliqua perturbatione Lemovicas, acturus gratias Salvatori et ejus sancto discipulo; et soluto voto, sospes ad sua propria remeavit.

Eo implorato, pecunia amissa reperitur.

34. Quidam bonus homo, ut securus posset suam substantiam custodire propter inimicos, abscondit quatuor pecias auri; quas, cum post aliquod [1] tempus diligenter quæreret, non invenit. Tristitia plenus, recurrit ad beatum Martialem, ut pecuniam absconditam revelaret, ei devote promittens se daturum unam de illis peciis in cera. Factoque voto, ivit iterato ad locum ubi recondiderat pecuniam ipsam : quam statim reperit [2], licet prius, quamvis sæpissime quæsivisset, invenire non potuisset; ut firmavit juramento ante sanctum caput ipsius sancti, ubi gaudenter reddidit votum suum cum gratiarum actione.

captivi vincula ultro solvuntur.

35. Homo quidam villæ de Subterrena (2) captus fuit per Anglicos Castri-Luceti (3), et in profundo unius turris obscurissimæ derectus [3]. Dolens captivus, non habens pecuniam de qua posset se redimere, et ab omni humano auxilio destitutus, oravit cum magno fletu dilectum Dei Martialem, ut eum eriperet et educeret de carceribus illis : quo concesso, veni[re]t [4] totus nudus cum oblatione sua ad adorandum suum sanctissimum caput. Oratione completa, soluta fuerunt omnia vincula ferrea et alia : et ultra exiens de profundo illius foveæ, transivit per ipsos Anglicos; et, eis videntibus nec aliquod sinistrum verbum dicentibus, venit Lemovicen-

[1] *cod.* aliquot. — [2] *modo recte, modo mendose ut hic* reperiit. — [3] *cfr. supra ad num. 29.* — [4] veni . t *cum lacuna.*

(1) Saint-Jean-de-Colle (Dordogne). — (2) La Souterraine (Creuse). — (3) V. num. 4.

sem nudus sicut promiserat, cum oblatione sua; et narravit impetratam gratiam, ante caput beatissimi Martialis, cunctis laudantibus Deum et ejus sanctum.

redduntur bona capta et libertas,

36. Petrus Poyaudi, de Manso Sereno (1), cum emisset quatuor salmatas boni vini in loco de Tiberio (2), diocesis Petragoricensis, et veni[r]et Lemovicas cum animalibus suis oneratis vino, obviavit Anglicis, a quibus ligatus tibias subtus ventrem unius equi, manibusque vinculatus retro dorsum ducebatur ad carcerem ipsorum inimicorum. Videns desolatus homo se perdidissetotam suam substantiam, et imminere destructionem personæ suæ, clamavit cum ejulatu magno ad beatum Dei apostolum Martialem, ut suæ salutem personæ misereretur, et liberaret eam [1] a tam inhumana inimicorum ferocitate, et veniret Deo reddere gratias ante sui sancti discipuli sanctissimum caput, cum sua imagine ceræ. Vix orationem implevit, ecce ex adverso Gallici irruentes: quibus visis a longe, Anglici terga fugæ præbuerunt. Illico solutus captivus per se vinum et animalia recuperavit, et venit Lemovicen[sem] cum oblatione promissa acturus gratias Deo et ejus dilecto discipulo Martiali.

sanatur æger morti proximus,

37. Johannes Natalis, de Sancto Aredio (3), cum tam gravi infirmitate languesceret, sic quod de ejus vita minime speraretur, sed pociens [2] de morte esset, quod sudarium ejus factum et paratum, nec auxilio quovis humano posset relevari, vovit beatissimo Martiali quod, si ejus precibus illam evaderet infirmitatem, veniret una cum sudario videre suum sanctissimum caput et Deo regratiari. Facto voto, sanitatem obtinuit, et venit Lemovicensem cum suo sudario et oblatione ceræ, ante dictum sanctum caput Deo regratiari et sanctissimo Martiali.

restituitur sacerdoti equus cum pecunia ablata,

38. Presbyter quidam de Pictavia, veniens de Avinione, inter civitatem Valentiæ [3] et Viennæ, obviavit societatibus gentium armorum, venientium de Yspania, qui spoliaverunt eum equo suo valente XL francos auri, et tota pecunia sua.

[1] *sic.* — [2] *legendum forsan* patiens *vel* potius de morte [spes] esset. — [3] *cod.* Valenciæ.

(1) Masseré (Corrèze). — (2) Thiviers (Dordogne). – (3) Saint-Yrieix (H^te Vienne).

Pauper sacerdos, cum intrasset Viennam [1], prius auditis miraculis coruscantibus in ostensione benedicti capitis antedicti, oravit et vovit apostolum Dei Martialem ut, si ei ablata restitui procuraret, veniret cum oblatione ceræ ad adorandum suum sanctissimum caput. Oratione facta, adveniente mane, deprædatores [2] illi intrantes civitatem quæsierunt presbyterum : quo reperto, ei restituerunt equum et pecuniam suam, sicut prius retulit sacerdos ipse, ante dictum gloriosum caput, reddens gratias cum ingenti gaudio [Deo] et ejus discipulo apostolo Martiali.

redditur spiritus mulieri suffocatæ,

39. Peregrina quædam prægnans, cum in magna peregrinorum multitudine et pressura desideraret orare dictum pretiosum caput, cum intra populi multitudinem se exposuisset, ipsius devotam et quasi furiosam populi pressuram ferre non valens, præstolans semper, et habens præ oculis mentis apostolum gloriosum Martialem, in terram quasi mortua cecidit, et taliter quod spiritus vitalis in ea nullus apparebat. Peregrini circumstantes angustiatæ mulieri compatientes, ex ipsa pressura semimortuam extrahentes, cum mulier ipsa nihil videret nec aspiraret, immo ab omnibus mortua reputaretur ; cum peregrinorum multitudo orasset et recessisset, peregrini dolentes de obitu mulieris, ipsam sic mortuam portantes ante caput apostoli gloriosi, clamaverunt dicentes : *O minister pietatis, qui discipulus ejus fuisti qui est et fons misericordiæ nuncupatur, ut gaudentes ad propria redeamus, nos confortare digneris miserando huic ancillæ tuæ.* Statimque surrexit mulier et adoravit dictum sanctissimum caput, reddendo gratias lacrimabiles præ gaudio Deo et apostolo, sana et incolumis ad propria redeundo.

festuca ultro exit ex oculo pueri.

40. In loco Montis Regalis (1), diocesis Petragoricensis, quidam puer cecidit per unam scalam viginti quinque graduum : in fine ipsius scalæ, quædam festuca ligni acuta, casu intrans [3] unum de oculis ipsius pueri, orbavit ipsum puerum lumine ipsius oculi. Pater et mater ipsius pueri, auditis

[1] *cod.* Vieniam. — [2] *cod.* adveniente depredatores mane. — [3] *cod.* intratus.

(1) Montréal (Dordogne).

miraculis quæ Deus operabatur in ostensione capitis beatissimi Martialis, cum adhuc festuca esset in oculo ipsius pueri, nec aliquis ipsam auderet inde movere, oraverunt cum magnis lacrimis beatissimum Martialem ut eis in sanitate ipsorum filii subveniret; et venirent peregre videre suum sanctissimum caput. Statim absque aliquo mundi tactu, saltavit festuca de oculo pueri, et sanatus puer venit cum ambobus parentibus ad monasterium ipsius sancti reddere gratias Salvatori et ejus sancto, prout medio juramento ipsi parentes narraverunt.

mulier jampridem cæca videt,

41. Mulier quædam civitatis Lemovicæ fuerat cæca per decem annos et ultra. Videre desiderans ipsius apostoli virgineum caput, vovit deferre pro tunc ante ipsum sanctum caput candelam unius libræ ceræ, et ante corpus ipsius sancti similem candelam unius libræ quamdiu vitam duceret in humanis, quolibet anno, si precibus ipsius sancti visum recuperaret : statimque vidit mulier, et adoravit, et reddidit gratias Salvatori et ejus discipulo glorioso.

captivo liberum iter patet,

42. Johannes Bretanha, loci de Jarnagia (1), captus fuit per Anglicos Castri-Luceti (2); cumque ipsum, ligatis manibus retro dorsum traxissent per sex leucas et divertissent ad quemdam locum pro quiescendo, et dictum captivum, ligassent ad quamdam magnam trabam [1] unius domus ubi declinaverant, desolatus captivus circa mediam noctem adjutorium beatissimi Martialis devotissime postulavit. Orationeque facta, solutus est captivus, et excitati ipsi inimici; cernentesque ipsum recedentem, verbum nullum in eum proferre valuerunt; festinatisque gressibus apud Lemovicas, ante caput beati Martialis captivus hoc miraculum manifestavit.

sanatur mulier paralytica,

43. Mulier quædam paralyticata ægrotavit per septem annos, nec se juvare poterat de aliquo membrorum suorum, nec opere humano poterat etiam relevari. Porrectis igitur devotis precibus, pius Christi discipulus Martialis suis sanctis

[1] *ita cod.*

(1) Jarnage (Creuse). — (2) V. supra, n. 4.

precibus ipsam sanitatem obtinuit; et propriis pedibus mulier pergens ad caput gloriosum ipsius sancti, Deo gratias retulit et ejus sancto de beneficiis impetratis.

pecunia amissa reperitur.

44. Johannes Bertrandi perdiderat decem pecias auri : cumque reperire eas non posset, promisit Deo et beato Martiali quod, si eas reperiret, veniret peregre ad adorandum suum sanctissimum caput cum totidem peciis ceræ et una candela unius libræ. Oratione completa, ivit recte ad quemdam locum ubi prius sæpissime quæsierat nec invenire potuerat, et invenit thesaurum suum integraliter. Quo reperto venit, sicut promiserat, suum votum devotissime adimpleturus.

integri servantur duo parvuli,

45. Cum Anglici suo ineffrenato et solito more discurrerent patriam Lemovicensem et Bituricensem, venientes ad locum de Cofato (1), habitatoribus[1] illius loci præ timore inimicorum fugientibus et deserentibus ipsum locum, repererunt[2] in una domo duos infantulos in lecto : quos inhumaniter rapientes et ligantes, secum duxerunt. Cumque post ipsorum recessum ab inde pater et mater regredientes non invenissent caros suos, dolentes clamaverunt ad patrem beatissimum Martialem super restitutione filiorum, promittentes, eorum redditis liberis, venire ad ostensionem benedicti capitis ipsius sancti. Cum complevissent[3] orationem et cum lacrimis exirent ipsam [domum], respicientes a longe, viderunt ambos filios nudos venientes : quibus occurrentes parentes, cum eos induissent, venerunt Lemovicen[sem], et impleverunt, sicut promiserant, votum suum.

ad vitam revocatur abortivus,

46. Mulier quædam de Filitino (2), cum peperisset abortum, et jam sueretur in sudario pro sepeliendo in terra profana[4], mulier clamavit flens et anxia pro perditione[5] partus sui, cum non habuisset baptismum, et de opprobrio quod in Anna sibi impingeretur[6] a mulieribus vicinis. Ad beatissimum Martialem devote clamavit, orans : *O afflictorum con-*

[1] *cod.* habitatores. — [2] *cod.* reperierunt. — [3] *cod.* implevissent. — [4] *cod.* prophana. — [5] *cod.* prædicatione. — [6] *cod.* quod inana sibi impigeretur.

(1) Couffy (Corrèze). — (2) Felletin (Creuse).

solator, patrone beatissime, qui præsens fuisti in suscitatione Lazari cum Salvatore nostro Jesu Christo, precor ut animam pueri mihi dones, ut lavacro sancto saltem purificari valeat et a tanto opprobrio me preserves; et si meas preces audire digneris, portabo puerum Lemovicas ad tuum sanctum caput, actura gratias Salvatori. Vix orationem complevit, infantulus in sudario vagiens vociferavit; quod videntes obstetrices miratæ fuerunt, cum mater dixisset quod beatissimus Martialis reddidisset ei filium suum. Cum a partu surrexisset, portavit filium sanum et incolumem (et adhuc vivit), ad gloriosum apostolum Dei cum oblationibus suis.

solvitur repente captivus nec tenetur,

47. Petrus Blanc, de Podio Acuto (1), Bituricensis diocesis, captus fuit per Anglicos stabilicæ Montis Regalis (2), qui ab eo conabantur extorquere irremediabiliter quinquaginta francos auri, et Petrus non habebat in omnibus bonis suis valorem viginti franc[orum]. Cumque ipsum terribiliter vinculatum traxissent per deserta quatuor diebus et quatuor noctibus, pauper homo prius auditis miraculis rutilantibus in ostensione prædicta, videns quod non poterat evadere ferocitatem ipsorum inimicorum, vovit venire Lemovicas ad caput gloriosi apostoli Martialis, nudus pedibus et cum panno de lana [1] ac sex libris ceræ. Voto completo, in continenti reperit se solutum; et videntibus ipsis Anglicis recessit, et venit, sicut promiserat, suum votum devotissime impleturus.

custoditur mulier ab incendio,

48. Quædam bona mulier de Faolis (3) quamdam filiam habebat in illa parochia jacentem ex puerperio; cumque Anglici trium stabilitarum patriam suo ineffrenato more discurrerent, declinantes ad parochiam ipsam, posuerunt ignem in tribus domibus contiguis in quarum media erat filia prædicta, quæ propter puerperium ab inde fugere non valebat. Cum mater una cum aliis habitatoribus fugisset a facie ipsorum inimicorum, et deseruissent ipsum locum, dolens mater de morte filiæ imminente, et incendio domus suæ, clamavit ut desperata adjutorio humano ad beatissimum Martialem, ut,

[1] *cod.* Lano.

(1) Montégut (ou Piégut)? — (2) V. supra, n. 40. — (3) Folles (Creuse).

si domum et filiam ab illo incendio liberaret, venirent ambæ regratiari Deo ante supradicti apostoli sanctissimum caput. Statim visibiliter domibus circumvicinis combustis, domus illius una cum filia illæsæ præservatæ fuerunt; quod postmodum narraverunt ambæ, mater et filia, cum effusione lacrimabili reddentes votum promissum Deo et ejus apostolo glorioso.

incolumis invenitur infans gravi casu illisus,

49. Filius Giraldi de Bordis, de Nobiliaco (1), ætatis [1] unius anni et medii, de quadam fenestra ipsius domus altitudinis quindecim pedum ad terram casu cecidit : oculisque ipsius pueri et ore clausis, a toto circumstante populo mortuus puer fuit reputatus. Mater de foris veniens, angustiata de morte filii et ab omni humano auxilio destituta, in terram prostratis genibus, recurrit ad Deum et patronum beatissimum Martialem, clamans : *O gloriose patrone, pauperum exspectatio et consolatio miserorum, suscipe gemitus hujus ancillæ, et redde unicum carum meum, ut* [2] *gaudenter ipsum portem ante tuum sanctissimum caput, actura gratias Salvatori.* Post quæ, mater discooperiens filium, cum vita prius carens coopertus fuisset, ipsum vivum reperit : quem vivum bajulans cum oblatione ceræ, portavit Lemovicas, et præsentavit glorioso Christi discipulo, Deo gratias referendo.

reviviscit abortivus,

50. Uxor Martialis Cabrol, de Axia (2), peperit abortum. Pater et mater, quasi desperati, voverunt et promiserunt beatissimo Martiali quod, si infans vivificaretur saltem ut posset baptizari, venirent ambo ad suum sanctum altare cum oblatione sua ceræ. Voto facto, surrexit puer vivus et sanus : quem parentes cum ingenti gaudio portaverunt cum voto suo ad caput beatissimi Martialis.

liberatur æger dolore capitis,

51. Aymericus Rat, Sancti Johannis-Ligoræ (3), patiebatur in capite suo et uno de oculis sic quod nullatenus vivere nec durare valebat. Vovit et promisit beatissimo Martiali venire peregre ad suum sanctum caput cum uno capite

[1] *cod.* de ætatis. — [2] *cod.* et.

(1) Saint-Léonard (Hte Vienne). — (2) V. supra, n. 10. — (3) Saint-Jean-Ligoure (Hte Vienne).

facto de cera, si suis intercessionibus sanitatem a Domino obtineret. Emisso voto, sanus factus est, et venit Lemovicensem, sicut promiserat, votum implendo et reddendo gratias Deo et beatissimo Martiali.

reviviscit puella sexennis,

52. Guilhermus Melhac, loci de Aueta (1), habebat quamdam filiam sex annorum ætatis, quæ pergravi et longa infirmitate deficiens, vita carebat. Cumque ab omnibus ut mortua [habita] in sudario ligaretur, pater [vero] et mater, cum plures liberos non haberent, dolentes lacrimarentur, audita sacra ostensione prædicti benedicti capitis, recurrerunt humiliter ad auxilium beatissimi Martialis, exorantes lacrimosis [1] singultibus ut unica eorum filia præservaretur; ac promittentes restauratam filiam cum imagine ceræ ferre ad sanctam prædictam ostensionem. Porrectisque precibus, revixit filia. Mirantesque obstetrices et gaudentes, eam solutam a sudario sanam præsentaverunt dolentibus parentibus; et post ad monasterium beati Martialis cum sudario, acturi gratias omnipotenti Deo et ejus discipulo glorioso.

sanatur parvulus ambesus a sue;

53. Dyonisius de Guolhe (2), diocesis Pictavensis, habebat unum infantu[lu]m ætatis sex mensium. Cui puero sine cura relicto una sus fere devorando [2] eum amputavit sibi partem capitis, a parte recta scilicet sui capitis, sic quod præ dolore puerulus ab omnibus abomi[na]batur, et modicus anhelitus erat in eo. Confidens pater in rutilantibus miraculis beati Martialis, cum magno clamore ejus postulavit auxilium, promittens, si suis precibus [sanaretur], restitutum filium cum libra ceræ portare ad sui sancti capitis ostensionem. Facto voto, sanatus est infans et portatus, ut promissum fuerat, ad dictam sacram ostensionem, et adhuc vivit.

liberantur miro modo

54. Nobilis quidam dictus Hugonetus Galhardi, loci de Ingrendes (3), Petragoricensis diocesis, captus fuerat per Anglicos stabilicæ de la Dosa (4), et ab eis derelictus [3] in quadam fovea obscurissima et fœtida, profunda triginta pedibus.

[1] *cod.* lacrimose. — [2] *cod.* devorandum. — [3] *cod.* (d) erectus.

(1) Ausette (?) près Limoges. — (2) Gouelle (?) dépendant de Nueil-sous-Faye, Vienne. — (3) Negrondes? (Dordogne). — (4) Ladouze (ibid).

Cum ab eo conarentur extorquere summam pecuniæ quam erat impossibile [1] ipsum solvere, et in illis carceribus diu stetisset, nec haberet spem ab inde humanitus liberari, prius quum audivisset præconisari ostensionem prædicti sancti capitis, clamavit flexis genibus ad beatissimum Martialem, promittens quod, si ipsum liberaret a carcere illo, veniret festinanter cum oblationibus suis ad sui sancti capitis ostensionem. Emisso voto, oblatus fuit sibi miraculose unus globus grossi fili [2], ex quo unum funem composuit : cujus funis capiti alligans unum lapidem, et ipsum lapidem supra se projiciens ad foramen foveæ, lapis cum fune immobilis extra foramen permansit : per quem funem captivus ascendens intrepidus, turrim exivit. Deinde cum pervenisset ad murale fortalicii, turris valvis ultro sibi apertis, excubiatoribus ipsius muralis præclamans, dixit captivus quod dicerent magistro suo, qui ipsum ceperat, et suis complicibus, quod ipse recedebat et veniebat Lemovicas ad sanctum Martialem. Excubiatores et alii pillardi fuerunt eo viso sic attoniti, quod nullum verbum proferre valuerunt [3]; venitque mox captivus Lemovicas regratiari omnipotenti Deo et ejus glorioso discipulo Martiali.

duo captivi,

55. Rursus Johannes Bonh, loci de Axia (1), cum in carceribus Anglicorum *du* Chassanh (2) quinque septimanis detentus fuisset, ligatus in compedibus et manicis ferreis, audito quod caput beatissimi Martialis ostendebatur, et ibidem affluebat innumerabilis populus propter devotionem ipsius et miracula ibidem rutilantia et etiam propter indulgentias sanctorum patrum et Romanorum pontificum, lacrimans amarissime, invocavit suum patronum beatissimum Martialem, ut in tanta miseria sibi prospicere dignaretur, ut gaudens posset suum sanctissimum caput [adorare]. Cumque in nocte sequenti obdormiret, post sopitum reperit se liberatum a compedibus et manicis ferreis. Vidensque sibi adesse gratiam Dei, miracula videntibus

[1] *cod.* possibilem. — [2] *cod.* filii. — [3] *cod.* voluerunt.

(1) V. supra, n. 10. — (2) V. supra, n. 14.

quatuor custodibus ipsius loci nec nocere valentibus, exiens illæsus, venit ad præfatam sanctam ostensionem.

mulier paralytica,

56. Quædam bona mulier de Filitinis (1) ægrotavit quinque mensibus paralyticata, sic quod de nullo suorum membrorum poterat se juvare. Vir suus volebat venire peregre ad prædictam sanctam ostensionem, et dixit mulieri quod pro ipsa portaret suam oblationem. Mulier amare suspirans et in cœlum suspiciens, in corde suo cum postulasset suum patronum beatissimum Martialem, respondit viro suo quod ipse non deferret [1], sed ipsa: et inde se erigens, ambo sani et incolumes cum suis oblationibus Lemovicas advenerunt; et ante dictum sanctissimum caput ipsum Dei miraculum devotissime narraverunt.

tres Galli prædam agentes,

57. Tres famuli pedites et gallici, loci de Axia (2), de prædis Anglicorum cupientes impinguari [2], cum de nocte pervenissent ad fortalicium Castri-Luceti (3), de prope portam ipsius castri sex viginti arietes furati [3] fuerunt. Cumque prædam hujusmodi secum ducerent, Anglici hoc sentientes, furore succensi armaque sumentes et equos ascendentes numero quindecim, ipsos pilhardos gallicos effrenate fuerunt insecuti, et eos invenerunt. Videntes ergo ipsi tres Gallici, quod relicta præda mortem imminentem nec evadere possent, flexis genibus, invocaverunt auxilium beatissimi Martialis, ipsorum quilibet promittens unum intorticium quatuor librarum ceræ, et venire nudis pedibus ad suum sanctissimum caput. Factaque oratione, Anglici mox retro abierunt, et ipsos tres pillardos gallicos cum tota præda recedere permiserunt, ut postmodum cum gratiarum actione coram toto populo exposuerunt in ipsa sancta ostensione.

partus mortuus,

58. Johanna, uxor Johannis Tibaut, Pictavensis diocesis, cum suum primogenitum mortuum peperisset, et spatio duarum horarum palpatus fuisset, et in eo anhelitus aliquid non cognosceretur, dolens pater nedum de mortuo partu, sed actenus [4] suspirans eo quod caruisset lavatorio bapti-

[1] *cod.* defferret. — [2] *cod.* impingari. — [3] *cod.* sinciti? — [4] *ita cod., forsan pro* deterius, ulterius *vel* amarius.

(1) V. supra, n. 46. — (2) V. supra, n. 10. — (3) V. supra, n. 4.

smatis sancti, auditis miraculis quæ Deus operabatur in ostensione prædicta, clamavit lacrimabiliter : *O gloriose Dei dilecte, sicut pro aliis supplicas, subveni etiam mihi orbato dulci primogenito meo, et impetra ei vitam a Domino, ut baptismum saltem [recipere possit]. Offeram tuo sanctissimo capiti cum intorticio quatuor librarum.....* Oratione completa, spiritum habuit puer, et vociferavit more vagientis infantis; eoque baptizato [1], parentes eum vivum — qui adhuc vivit — portaverunt Lemovicas cum oblatione promissa ad dictum sanctissimum caput, reddentes gratias innumerabiles Salvatori.

opifex oppressus ruina ædificii,

59. Bernardus Cavalli, de Montilio-Desigalat (1), cum adjuvaret ad ædificandum unam domum novam, casu fortuito in terram de alto cadens, murus et ligna seu fustes ipsius domus super eum corruerunt, et inde totus concassatus et ruptus, vix potuit extrahi et quasi mortuus, adeo quod ipsius corpore solus anhelitus non sentiebatur. Nobilis quædam mulier, cujus erat ipsa domus, ipsum bonum hominem plangens, cum ejulatu magno clamavit ad beatissimum Martialem ut ei suis sanctis precibus spiritum redderet, saltem ut pœnitentiæ fructu ac sacro vîatico refici posset : promittens pro iis obtinendis ipsi sancto venire ad suum sanctissimum caput cum panno lanæ solum et abstinentia vini et carnium et oblatione largiflua ceræ. Cumque complevisset orationem, illico surrexit Bernardus, et confessione facta recepit devotissime corpus nostri Salvatoris; et post venit cum præfata domicella Lemovicas ad sanctissimum caput prædictum reddere gratias omnipotenti Deo.

mulier decem annos cæca,

60. Beneta quædam, femina loci de Agenduno (2), caruerat decem annis lumine oculorum suorum, nihil penitus videns. Promisit beatissimo Martiali se venire ad suum sanctissimum caput cum imagine ceræ, si ipse suus beatissimus patronus visum ei a Domino impetraret. Cumque post votum ducta fuisset Lemovicas, et orbata visu astaret ante dictum san-

[1] *cod.* baptisato.

(1) Monteil-le-Déjalat (Corrèze). — (2) V. supra, n. 8.

ctissimum caput, et oraret ferventer ipsum sanctum ut videret suum sanctum caput, religiosi more solito aperientes cupas sive vasa pretiosa quibus reconditur ipsum pretiosum caput, ut nudo pateret omnibus peregrinis, illico aperti sunt oculi mulieris, et cum effusione lacrimarum adorans ipsum sanctum caput, voto soluto, sana et videns ad propria remeavit.

captivi

61. Petrus Peyrrichot, loci de Vayras (1), Engolismensis diocesis, captus fuit per Anglicos stabilicæ Curvifum, vel de Corbaffi (2); et ab ipso vinculato in compedibus petebant pecuniam quam erat ipsum impossibile solvere. Videns pauper captivus se destitutum ab omni humano suffragio et ipsum inibi mori, invocavit auxilium beatissimi Martialis, promittens se venturum nudum et cum duabus libris ceræ ad suum sanctum caput, si suis sanctis precibus ab illis malis carceribus liberaretur. Facta oratione, illico reperit clavem carceris et unam securim, cum qua confringens compedes in quibus vinculatus erat, et aperiens carcerem, cum exivisset fortalicium, obviaverunt sibi triginta Anglici, armatum eum respicientes et mirantes, inter quos unus dixit sibi quod dimitteret clavem carceris, quod facere recusavit. Ipse captivus spolians sua vestimenta, et ad suum collum superponens nodum [1] cum clave carceris, venit ad sanctissimum caput cum voto suo Lemovicas, reddere gratias omnipotenti Deo et ejus devoto discipulo Martiali.

duo ;

62. Similiter quidam Johannes de Curamonte, Claromontensis diocesis, habebat unum puerum octo annorum, captum et detentum per Anglicos de Vals, quem redimere non poterat, propter enormem excessivam summam quam ab eo exigere conabantur. Cumque duobus annis continuis filius ipse illis in carceribus detentus fuisset, nec pietas paterna sibi subvenire posset, audiens pater miraculorum multitudinem quæ Deus operabatur in ostensione sancta prædicta precibus beatissimi Martialis, clamavit etiam pater ipse :

[1] *cod.* nudum.

(1) Vayres (Charente). — (2) Courbefy (H^{te} Vienne).

O piissime pauperum consolator et amice Dei dilecte, miserere mihi, et redde carum meum et liberare dignare a carceribus illis, cum propter impotentiam meam non possim habere, promittens peregre proficisci cum reddito filio, nudis pedibus et in pane et aqua, et duabus libris ceræ ad tuum sanctissimum caput. Facta oratione, in crastinum venit ad patrem puer sanus et incolumis : quem præ gaudio amplexans paternus amor, ut promiserat pater, regratiari Altissimo et ejus dilectissimo Martiali [venerunt].

liberatur puella morbo oculorum

63. Mulier quædam Sancti Leodegari de Meymaco (1) habebat unam filiam ætatis undecim annorum et patientem graviter in oculis suis, taliter quod fere [1] videbat per longum duorum palmorum, nec opere medicorum juvari poterat ullo modo. Mater vovit ducere filiam ad caput beatissimi Martialis, cum duabus libris ceræ, óbtenta a Domino sanitate gloriosis precibus ipsius sancti : cumque emisso voto, ambæ peregre pergerent, antequam intrassent villam Lemovicensem, sanata fuit filia, et habuit visum clarissimum atque sanum, ut ambæ retulerunt ante sanctum caput, reddentes votum Domino et ejus sancto, ut promiserat.

alia femina simili morbo et ardenti febri,

64. Simili modo cum quædam mulier de Axia (2) graviter pateretur in oculis et manibus, et nihil videret, nec ei humanitus posset subveniri, immo videretur quasi in igne ardere, promisit confidenter beatissimo suo patrono Martiali portare ad suum sanctum caput oculos et manus de cera factos cum candela sua, si ejus sanctis precibus sanitatem haberet. Emisso voto, sana facta est mulier ex illa hora, et gaudens venit cum voto suo ad dictam ostensionem.

ultro aperitur carcer,

65. Quidam scutifer civitatis Tutellensis (3) captus fuerat per Anglicos dUsor [2] (4), nec eorum captivitate evadere poterat prætextu excessivæ summæ petitæ. Tandem confidenter fugit ad clipeum beatissimi Martialis, promittens venire peregre ad suum sanctissimum caput cum duabus libris ceræ, liber-

[1] *id est* vix ? *cod.* fore. *Ponitur certe* vix *pro* fere *infra*, num. 70. — [2] *utrum pro* du Sor *an* de Usor *non liquet.*

(1) Meymac (Corrèze). — (2) V. supra, n. 10. — (3) Tulle (Corrèze). — (4) Usor (Château d') (Corrèze?) (Ussel?).

tate suis sanctis precibus a Domino impetrata. Oratione facta, coram magistro suo qui ipsum ceperat, et suis sociardis videntibus, apertis ultro carceribus exiens gaudenter, venit Lemovicas reddere, sicut promiserat, votum suum.

sponte redit equus perditus,

66. Clericus quidam de Insula Jorda (1), Pictavensis diocesis, cum peregre venisset ad sanctam ostensionem, propter multitudinem peregrinorum casu perdidit equum suum; et cum dolenter promisisset dare unum equum de cera, mediæ libræ ceræ, beatissimo Martiali, si equus suus redderetur eidem; cum per duos dies et duas noctes fuisset equus deperditus, mox, promissione facta, rediit[1] equus absque ductore aliquo[2] ad hospitium[3] unde exierat. Quem capiens clericus gaudenter cum voto regratiatus fuit Deo et beatissimo Martiali.

solvitur prospere gelu,

67. Etiam cum propter intensum gelu et inundationem aquarum, quæ tunc inundaverunt in iis partibus, quædam esclusa in fluvio Vigennæ, unius boni hominis prope locum beatæ Mariæ de Valle (2) timeretur frangi et dirumpi, nec in judicio humano seu ingenio poterat integre remanere, promisit ipse bonus homo unam libram ceræ, si sua esclusa illæsa et integra suis precibus firmaretur; votoque emisso, liquescens fuit gelu totaliter, et aquæ diminutæ, et esclusa integra permansit et permanet, quemadmodum retulit ipse peregrinus cum voto et gratiarum multiplici actione in ostensione prædicta.

convalescit repente juvenis moribundus;

68. Eodem die quo præinsertum miraculum narratum fuit, quidam juvenis scutifer et nepos domini abbatis Sancti Augustini, extra muros Lemovic[arum], subito incurrit tantam et tam gravem infirmitatem, quod fere moriebatur. Sibique obeunti, ut ab omnibus credebatur, ministratis Ecclesiæ sacramentis et etiam extrema unctione, avunculus prædictus præ nimio dolore gemens et anxius clamavit ad beatissimum Martialem, pastorem et patronum suum, ut in tanta tribulatione sibi succurrere dignaretur; promittens ipsum juvenem cum certo pondere ceræ ducere peregre ad suum gloriosum

[1] *cod.* reddidit. — [2] *cod.* æquo ? — [3] *cod.* hospicium.

(1) L'Isle-Jourdain (Vienne). — (2) Sainte-Marie-de-Vaux (H^te^ Vienne).

caput, suis sanctis intercessionibus obtenta a Domino sanitate. Factaque oratione, surrexit juvenis sanus et incolumis, et venit illico cum suo voto ad caput dicti gloriosi sancti reddere gratias Salvatori.

fugatur puellæ morbus qui cum nova cohorte redierat ob non solutum votum;

69. Modo consimili Mariota, juvencula quædam, neptis domini Petri Charros, Lemovicensis, patiens in suo capite tam gravem dolorem et humano auxilio incurabilem, sic quod quasi moriebatur, cumque, propter votum emissum ad gloriosum Christi discipulum Martialem, sanitatem a Domino recuperasset, misera juvencula, gaudens de salute obtenta et immemor voti promissi, cum votum reddere fuisset oblita vel nollet, dupliciter graviorem quam prius infirmitatem incurrit in capite, et ultra ipsius dextera manus ardens et denigrata fuit ut carbo. Misera vero tunc ad cor rediens, a circumstantibus increpata, voto duplicato, fecit se bajulari ante dictum sanctissimum caput, ubi veniam lacrimabiliter postulans, gloriosus Christi discipulus redeunti non claudens gremium, sanitatem ipsi mulierculæ a Domino impetravit.

peregrinus ad ostensionem veniens vindicatur a jactura pecuniæ,

70. Caterva quædam peregrinorum venientium ad dictam sanctam monstram de partibus Xantonensium, cum intrassent diocesim Lemovicensem, obviaverunt octo pillardis Anglicorum stabilicæ Curvifinii, alias de Corbaffi (1). Quibus prævisis, peregrini cum terga fugæ dedissent, Anglici ex adverso sequentes eos, unum ex peregrinis rapuerunt solum, cum omnes hinc inde pedestres essent; præscitoque per ipsos Anglicos quod peregre pergerent ad sanctissimum Martialem, omnes in eum manus injicere timuerunt, uno excepto, qui præ ceteris malitia plenus, ipsi peregrino abstulit octo francos auri. Quibus ablatis, contentus peregrinus de evasione periculi corporalis fugiens, inde ardor igneus subito rapiens Anglicum et ad terram projiciens, de ejusque misero corpore vapor et fumus fœtidus exiens, vix spiritum exhalavit. In quem vociferantes complices dicebant : *Merito hæc pateris, quia peccasti in peregrinum sancti Martialis; et nos tibi hæc prohibebamus.* Sociardi sequentes peregrinum, quem ante

(1) V. supra, n. 61.

fugientem tandem capientes, eumdem duxerunt ad satellitem ægrotum. Cui misero Anglicus pecuniam ablatam restituens, ab eo veniam postulavit. Cui peregrinus : *Frater, me non offendisti, sed beatum Martialem : ad eum [vade] peregre, et confitere reatum tuum, et miserebitur tui Deus.* Cujus acquiescens consilio, fecit se Anglicus portari super uno jumento ad monasterium sancti Martialis; ubi novenam faciens in capella infirmorum, post confessionem sui reatus à primariis apostolicis absolutione obtenta, tandem cum oblatione magni ceræ ponderis, bajulatus ante caput ipsius sancti, ibi prostratus veniam postulans, Dei gratia, cunctis cernentibus, sanus et incolumis inde surrexit : rediensque ad fortalicium ubi degebat, præmonuit socios ne vitiose [1] tangere præsumerent peregrinos beatissimi Martialis, ne in tormentum caderent unde Dei gratia et precibus ipsius sancti fuerat restauratus.

liberantur captivi ex alta turri;

71. Princeps vitiorum cum suscitasset spiritum vertiginis inter vicecomitem Thurennæ et ejus subditos et vassallos ex una parte, et dominum de Donzenaco et ejus subditos ex altera, committerenturque hinc inde plurimæ bellicæ strages fierentque inter ipsos conflictus sic inhumane : itaque quum tres armigeri de parte domini de Donzenaco, scilicet Symon de Belvisu, Stephanus et Johannes de Solerio, loci de Corresa, in uno conflictu capti fuerunt per gentes vicecomitis, vinculatique viliter ducti fuerunt ad fortalicium de Chanhaco (1), et derelicti [2] in magna turri ipsius castri in fovea obscurissima et fœtida, profunditatis quadraginta pedum et latitudinis quatuor brassarum, derecti [3] per quoddam foramen per quod vix poterat unus homo transire. Cumque miseri captivi de vita ipsorum penitus desperarent, nec in ipsorum liberatione aliqua spes adesset, dolentes, angustiati, et merito, cum prius audivissent patentia miracula quæ Deus [operabatur per merita beati] Martialis, flexis genibus cum effusione lacrimarum, amare clamaverunt ad gloriosum Dei discipulum

[1] *cod.* viciose. — [2] *cod.* directi. — [3] *sic cod.*

(1) Chanac (Corrèze).

Martialem, dicentes : *O captivorum piissime consolator, qui captivos igne gehennæ tua pietate liberas solvisque tyrannorum catenas tua piissima intercessione, supplicamus ut nobis digneris succurrere in hac [ir]remediabili tribulatione; promittentes, si tuis sanctis precibus liberemur ab hac captivitate vita comite, nudi cum solis femoralibus et sine loquendo cum aliqua creatura vivente, peregre proficisci de ipso loco usque ad tuum sanctum sepulcrum; et dum sic fuerimus ad pontem Sancti Stephani qui est ante introitum civitatis Lemovicensis, ex illo loco, flexis genibus et modo præmisso, venire ad sanctum sepulcrum prædictum.* Deinde cum ejulatu et anxietate permaxima oravissent, unus ipsorum, fodiens parietem turris, in una parte, cum extraxisset inde unum quadratum lapidem, nihilque proficeret, capitaneus timens quod post accidit, intromisit unum de suis famulis pro videndo si captivi meditabantur [1] aliquid super exitu suo. Qui famulus demolitionem parietis, nec lapidum inde extractorum [2] congeriem aliquatenus vidit, ut post inde exiens narravit magistro suo. Mane facto, unus captivorum divinitus roboratus tentavit ascendere per parietem turris, et ascendit ut murilegus, et, ut videbatur sibi, quasi per scalam ascendere; cumque venisset ad foramen turris, per pedes primo exiens, pendente capite versus profundum foveæ, cum divinitus exivisset, quia humanitus hoc erat impossibile, oblata sibi fuit [3] quædam chorda [4], quam intromittens, unum de suis sociis ipse solus extraxit, et demum illi duo, tertium. Cumque foveam exivissent, timentes tumultuose aperire portas ipsius castri fortissime clausas, et inde pati pejora prioribus, habentes præ oculos patronum suum et ductorem Martialem, ascenderunt cacumen turris sexaginta pedibus altæ, præmissoque signaculo sanctæ crucis, junctis pedibus saltaverunt de muro ad terram illæsi. Inde exuentes sua vestimenta et ligantes ad collum, videntibus suis lethalibus inimicis, iter suæ peregrinationis arripuerunt; et locus ille distabat a villa Lemovicensi per decem et octo leucas. Venientes ad pontem prædictum et impo-

[1] *cod.* mirabantur. — [2] *cod.* lapidem... extractum. — [3] *cod.* fuerunt. — [4] *cod.* corda.

nentes sua vestimenta cuidam bono viro, de illo loco qui distat per medium milliare, flexis genibus et nudo corpore venerunt ad monasterium apostoli gloriosi. Quibus occurrentes religiosi ipsius monasterii, ac cum voce sonora laudem Domino jubilantes, ac cantantes *Te Deum laudamus*, et cum cymbalis bene sonantibus ducentes liberatos primo ad altare capitis sancti gloriosi dicti; deinde, ibi fusis lacrimis et oratione, ad sepulcrum ubi gloriose quiescit corpus benedictum ipsius sancti. Oratione et voto completo, coram infinito populo ibidem propter congregato, hoc divinum miraculum narraverunt, cum prius non auderent loqui; ab eisque et toto populo facta gratiarum multiplici actione Deo et ejus apostolo glorioso ac benedictione percepta, sani et incolumes ad propria fuere reversi.

fur punitur,

72. Ultimo die beatæ ostensionis prædictæ, dum reconderetur ipsum beatissimum caput, ibique adesset infinita pressura peregrinorum, latrunculus quidam scidit bursam cujusdam peregrini, nuncupati Martialis Doinriet, in qua bursa erat moneta duorum francorum et medii; cumque recondito capite, pauper homo sensisset perditam [1] suam, oravit devote beatissimum Christi discipulum Martialem ut in recuperatione suæ paupertatis sibi subveniret. Facta oratione, cum latro discurreret per totum monasterium, de una porta ad aliam, nullo modo poterat exire. Cumque diu discurrisset hinc inde nec exire aliquatenus posset, respiciens casu hominem flentem, cui furatus fuerat pecuniam suam, eum ad partem traxit; et ab eo præstito juramento de celando ipsum furem, pecuniam furatam restituens, et exinde ambo pariter et libere exiverunt.

et alia plura facta sunt et fiunt miracula.

73. Patrata sunt miracula supradicta, divina potentia operante, et alia plurima, quæ, ut dictum est, præ nimio peregrinorum concursu haberi non potuerunt, ostensione prædicta durante, ad reproborum et perversorum flagellandum duritiam, cum hodie tempus pessimum sit, quo [a] sana [doctrina] auditum avertunt [2], ad fabulas autem convertun-

[1] *cod.* predam. — [2] *cod.* avertant.

tur, et multi reprobi circa fidem, in fide stare videntur: seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, invidi, voluptatum amatores magis quam felicitatis æternæ. Non quod propter præsentium infidelitatem cessent miracula: meminit [1] enim quod narrat evangelista Jesum in Capharnaum non patrasse virtutes [2] propter incredulorum infidelitatem; quia quotidie crebrius confugientibus ad ejus devotum sepulcrum adest pia intercessio apostoli Martialis, pro fide petentium semper prompta. A Salvatore enim sæpe fides quærentium commendatur; ait enim : *Fides tua te salvam fecit.* Hinc est quod ipse fidelis populus a longinquis frequentius quam a suis partibus Martialem operari miracula solet didicisse. Scientes itaque justum ex fide vivere, sine qua fide impossibile est Deo placere, cum fides fundamentum virtutum ac profecto religionis existat, exclamemus una cum apostolis Domino, orante[s] intimo corde : *Domine, auge in nobis fidem.* Nec deerit pusillitati nostræ adjutor, qui Petro dubitanti dixit : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Non deerit umquam imbecillitati nostræ auxiliator, qui discipulis in mare periclitari jam formidantibus, ait : *Quid timidi estis, pusillæ fidei?* Sicque nobis cum fide orantibus adesse dignabitur patronus in momento [3] ad auctorem, qui propter miseriam inopiæ nostræ, propter gemitum paupertatis nostræ..... electi discipuli sui, qui omnia quæ vult, obtinendi apud ipsum potens [4] est, intercessu placatus, exurget in adjutorium nostrum, Jesus Christus Dominus noster, qui una cum Patre et Paraclito Spiritu vivit et regnat per immortalia [secula] seculorum. Amen. Amen. Amen.

Qui scripsit, scribat
Semper cum Domino vivat > Amen.

[1] *ita cod., legendum forsan* memini *vel addendum* S. Martialis. — [2] *cod.* virtutem. — [3] *vox dubia.* — [4] *cod.* petens.

APPENDIX.

VOCES HUJUS OPUSCULI

QUÆ NON SUNT APUD *DU CANGE* NEC IN *GLOSSARIO FORCELLINI (DE-VIT).*

Albergamentum, 20 : *pro* diversorium, hospitium (gallice *auberge).*
Comitia (Habere in), 16 :— habere in comitatu (gall. *avoir en sa compagnie).*
Deliberatus ad... 33 : — damnatus ad... (gall. *livré pour être...).*
Derectus, directus, 29, 35, 71 et passim : — detentus, directus, derelictus ?
Excubiator, 54 : — excubitor.
Filium, 29, 54 : — filum.
Gueyto (?), 13 : — gueta (apud Cangium) (gall. *homme du guet).*
Hospitalaria (in plurali ?), 5 : — domus ubi pernoctatur.
Hospitalarius, 2 : — qui pro pretio hospites excipit.
Humanitus, 54, 64, 71 : — ope humana, humanis rationibus.
Inhumaniter, 45 : — creduliter.
Monstra, 70 : — ostensio (reliquiarum).
Mundus (Absque aliquo mundi tactu), 40 : — gall. *sans le moindre attouchement du monde.*
Pars (Ad partem trahere), 72 : — seorsum prendere (gall. *tirer à part).*
Peregre proficisci, venire, 1, 3, 10, 15 et passim : — peregrinationem religionis causa obire (gall. *aller, venir en pèlerinage*).
Perire, 1 : — transire, trajicere.
Permaximus, 71 : — permagnus.
Pilhardus, pillardus, 57, 54, 70 : — prædator (gall. *pillard).*
Prætextu paupertatis, 20, 65 : — quia pauper erat, paupertatis causa.
Propter (Custodire propter inimicos), 34 : — ab inimicis (gall. *garder à l'abri).*
Sancire votum, 15 : — solvere.
Sociardus, 65, 70 : socius in malam partem ? *Nisi legendum sit* sodardus (gall. *soudard).*
Sopitum, 55 : — somnus.
Stabilica, 1 et passim : — apud Cangium, stabilita, i. e. præsidium militare (gall. *garnison).* Legitur tamen num. 48 etiam in cod. nostro stabilitarum.

SANCTI CODRATI

SEU QUADRATI

MARTYRIS

ACTA INTEGRA

NUNC PRIMUM EDITA

EX CODICE LEIDENSI GRÆCO SUPPLETO VERSIONE SLAVICA.

De sancto martyre Codrato sive Quadrato ejusque sociis ad diem 9 Maii in *Actis Sanctorum* egit Godefridus Henschenius, more suo breviter, docte ac prudenter. Quorum martyrum elogium brevius ex Menologio Basilii, aliud paulo longius ex ms. synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod in collegio Claromontano Societatis Jesu Parisiis tunc asservabatur, una cum alterius elogii initio ex ms. codice Chiffletiano composuit, suumque de his judicium hisce verbis adscribit : « Hæc autem elogiorum diversitas reperta in synaxariis mutuos defe» ctus quadantenus supplentibus, omnino persuadet extitisse olim, » quæ forte etiam nunc alicubi lateant, prolixiora martyrii Acta, » unde singuli auctores synaxariorum diversa illa elogia decerpserint, » alii alia, sed inter se nequaquam pugnantia, describentes. » Prolixiora illa Acta quæ Henschenius alicubi adhuc latere suspicabatur, erudito lectori tradimus, reperta in græco codice ms. nunc Leidensi de quo egimus supra in edendis Actis S. Christophori et SS. Cyrici et Julittæ.

Acta fine mutila ex editis apud Slavos supplevimus, juxta versionem R. P. Joannis Martinov, S. J., qui eam pro humanitate sua libenter nobiscum communicavit (1).

Locum unum vehementer turbatum probabili ratione restituimus in integrum ; reliqua talia dabuntur qualia invenimus, donec major codicum copia certæ lectionis statum definiat.

Martyres nostri passi sunt temporibus Decii et Valeriani, id est, uti bene annotavit Henschenius, in persecutione a Decio cœpta et ad tempora Valeriani continuata.

(1) Versio slavonica, quam inter *Monumenta linguæ palæoslavonicæ* e codice Supraslìensi edidit clar. Miklosich, convenit cum textu græco codicis Leidensis fere ad verbum. *[Nota R. P. Martinov.]*

Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Κοδράτου.

1. Ἐκ πολλῶν πόλεων καὶ διαφόρων συναρπασθέντων χριστιανῶν ἐν τοῖς καιροῖς Δεκίου καὶ Οὐάλλεριανοῦ, τῶν ἀθέων καὶ παρανομοτάτων βασιλέων· καὶ ἀχθέντων ἐν τῇ Νικομηδέων πόλει τῆς Βιθυνίας· καὶ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀποτεθέντων· καὶ πάσῃ ἀσφαλείᾳ τηρουμένων εἰς ἀκρόασιν, ἵνα, εἰ βούλοιντο μιαροφαγῆσαι, χωρὶς βασάνων ἀπολυθέντες πάλιν εἰς τὴν ἰδίαν αὐτοῦ ἕκαστος ἀπελεύσεται πατρίδα· φόβου πολλοῦ ὄντος ἐν τῇ πόλει τοῖς χριστιανοῖς· καὶ μάλλιστα δια τὸ ἐν Καισαρείᾳ τὸν Δέκιον παρατυγχάνειν, οἱ μὲν ἔφευγον ἐν τοῖς ὄρεσι· οἱ δὲ κατὰ τοὺς ἀγροὺς διελάνθανον· οἱ δὲ ἀπαρχῆς κτίσεως προορισθέντες δόκιμοι καὶ τοῦ Χριστοῦ δοῦλοι, εὐθαρσῶς ἐν τῇ πόλει διῆγον, ἐν χαρᾷ πολλῇ, εἴ πως ποτὲ καὶ αὐτοὶ καιρὸν εὑρόντες, καταξιωθεῖεν οἰκείοις μέλεσι δοξᾶσαι τὸν Κύριον· εἷς δὲ ὢν ἐκ τούτων ὁ μακάριος Κοδράτος, ἡλικίᾳ καὶ κάλλει καὶ γένει καὶ πλούτῳ, καὶ τῇ πάντων ὑψιλωτάτῃ καὶ κυριωτάτῃ θεοσεβείᾳ κεκοσμημένος· προσιὼν τῷ δεσμωφύλακι καὶ τοῖς στρατιώταις, καὶ δοὺς αὐτοῖς χρήματα πολλά, ἀδεῶς τῶν κατακεκλεισμένων ἀδελφῶν τὴν ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο· ἑκάστῳ αὐτῶν τὰ δέοντα προσφέρων· καὶ τοὺς μὲν

MARTYRIUM SANCTI MARTYRIS CODRATI.

S. Codratus fovet christianos detentos Nicomediæ,

1. Ex multis urbibus variisque correptis christianis, temporibus Decii et Valeriani, impiorum et iniquissimorum imperatorum, ductisque Nicomediam in urbem Bithyniæ, et in carcere depositis omnique diligentia custoditis ad audientiam, ut, si vellent impiis dapibus pollui, sine tormentis absoluti, iterum in propriam suam quisque reverteretur patriam; timore multo in urbe territis christianis, et præcipue quod Cæsareæ Decius adesset, hi quidem fugerunt in montes, illi vero per agros latebant. Qui autem ab initio creationis prædefiniti erant probati et Christi servi, audacter in urbe degebant, in gaudio multo, si qua ratione aliquando et ipsi, opportúno tempore invento, digni haberentur propriis membris glorificare Dominum. Unus vero ex illis, beatus Codratus, ætate et pulchritudine et genere et divitiis omniumque sublimissima ac sincerissima in Deum pietate ornatus, adiens carceris custodem et milites, dataque ipsis pecunia multa, intrepide clausorum in carcere fratrum curam agebat, unicuique eorum necessaria afferens. Et animosiores ad martyrium exhor-

εὐτολμωτέρους περὶ τὸ μαρτύριον, παρεκάλει μεμνῆσθαι αὐτοῦ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Κυρίου· τοὺς δὲ δειλοτέρους παρεθάρρυνεν, παραινῶν μὴ δειλιᾶν ἀλλὰ χαίρειν, ἀναμιμνήσκων αὐτοῖς, ὡς οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐκ ανεκτῶς ἀλλὰ μετὰ πολλῆς ὀδύνης τὸν βίον τοῦτον ἐξερχόμενοι, οὔτε τῆς αἰωνίου ζωῆς κατηξιώθησαν, οὔτε τῆς ἐνταῦθα ζωῆς ἔτυχον καὶ ἀνέσεως· ἔλεγε δὲ ὅτι τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ καμεῖν, μᾶλλον δὲ ἀποθανεῖν, πολλῶν ἡμῖν καὶ μεγάλων μισθῶν γίνεται πρόξενον.

2. Καθίσας οὖν ὁ ἀνθύπατος δημοσίᾳ, ἐκέλευσεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἀχθῆναι πρὸ τοῦ βήματος· τούτων δὲ ἀχθέντων, ἔφη πρὸς αὐτούς· Λεγέτω ἕκαστος ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ ὄνομα καὶ τὴν ἀξίαν τοῦ γένους καὶ τὴν πατρίδα. Ὁ δὲ μακάριος Κοδράτος πλεονέκτης ὢν εἰς τὴν εὐσέβειαν καὶ ἄπληστον πόθον ἔχων πρὸς τὸν Θεὸν, ἑωρακὼς τινὰς τῶν ἀδελφῶν ὠχριῶντας καὶ ἀποναρκῶντας πρὸς τὸν ἀγῶνα, καὶ φοβηθεὶς μή τις αὐτῶν ὑποπτήξας τὰς τιμωρίας ἔξαρνος γένηται, προδραμὼν πάντων ὡς καλὸς πρόμαχος καὶ τοῦ Χριστοῦ γενναῖος στρατιώτης, μεγάλῃ τῇ φωνῇ πρὸς τὸν ἀνθύπατον ἀπεκρίνατο· Χριστιανοὶ ἐσμὲν καὶ λεγόμεθα, ὦ ἀνθύπατε· τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ θαυμάσιον ἡμῶν ὄνομα καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ εὐγένεια· δοῦλοι ἐσμὲν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐπουρανίου καὶ ἀοράτου Θεοῦ· ἡ δε πόλις ἑκάστου ἡμῶν, ἡ ἐπουράνιός ἐστιν Ἱερουσαλὴμ, ἐν ᾗ κατοικίζει ὁ Κύριος τοὺς ἐλπίζοντας ἐπαυτόν. Ὁ δὲ ἀνθύπατος ὥσπερ ἐν ἐκστάσει

tabatur ut meminissent sui in regno Domini; timidioribus vero animum addebat, admonens non timere sed gaudere, in memoriam eis revocans quod multi hominum non tolerabiliter sed cum multo dolore vitam hanc excedentes neque æternæ vitæ digni haberentur, neque quæ nunc est vita fruerentur neque otio. Dicebat autem pro Christo pati, multo vero magis mori, multorum nobis ac magnorum præmiorum fieri conciliationem.

nomine omnium respondet coram tribunali.

2. Considens ergo proconsul publice, jussit servos Dei duci coram tribunali. Ipsis vero adductis, dixit ad eos : *Dicat unusquisque vestrum suum nomen et dignitatem generis et patriam.* Beatus autem Codratus, avidus ad pietatem et insatiabilem amorem habens erga Deum, intuitus aliquos fratrum pallentes et torpentes ad certamen, et veritus ne quis eorum expavescens supplicia renuntiator fieret, præcurrens omnibus ut egregius in prima acie propugnator et Christi generosus miles, magna voce proconsuli respondit : *Christiani sumus ac dicimur, o proconsul; hoc enim est admirabile nostrum nomen et gloria et nobilitas : servi sumus Jesu Christi, cœlestis et invisibilis Dei. Urbs vero uniuscujusque nostrum cœlestis est Jerusalem, in quam habi-*

γεγονὼς ἐπὶ τῇ τοῦ ἀνδρὸς παρρησίᾳ, ἔφη πρὸς τὴν τάξιν· Τὸν ἀπονενοημένον ἐκεῖνον ἔμπροσθεν φέρετε· ἴδω τί ἡ τόλμα αὐτοῦ προξενίσει αὐτῷ. Ὁ δὲ ἀκούσας καὶ διαστείλας τὸν ὄχλον, επ' αὐτῷ πρὸσέπήδησεν, καὶ σταθεὶς ἔμπροσθον πάντων καὶ κατασφραγισάμενος, εἶπεν πρὸς τὸν ἀνθύπατον· Αὐτόμολος ἥκω ἐνώπιόν σου, ἀνθύπατε, πρόμαχος γενησόμενος τῶν συστρατιωτῶν μου, κατέναντι τοῦ πατρὸς σου τοῦ διαβόλου· συντόμως οὖν ποίει ὃ βούλει· ὅπως ἐξ αὐτῆς μάθῃς τῆς πείρας ὅτι Χριστοῦ ὑπαρχόντες στρατιῶται, ἀνίκητοί ἐσμεν, τῇ ἐπικλήσει τοῦ ἁγίου ὀνόματος αὐτοῦ, τοῖς μιχανήμασιν τοῦ δι ὑμῶν ἀνταγωνιζομένου ἡμῖν διαβόλου. Εἶπεν δὲ ὁ ἀνθύπατος· Λέγε ἡμῖν, ἀπονενοημένε, τὸ ὄνομά σου πρῶτον καὶ τὴν τύχην. Ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Εἶπον σοι ὅτι χριστιανοί ἐσμεν, ἐγώ τὲ καὶ οὗτοι πάντες οὓς ὁρᾷς ἀδελφόυς μου. Ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Οὐκ ἔξεστίν σοι λέγειν ἑαυτὸν χριστιανὸν, ἐπεὶ τὸ πρόσταγμα τῶν ἀηττήτων ἡμῶν βασιλέων θανατοί σε· ὁρῶ δέ σε καὶ εὐειδῆ καὶ λόγιον πάνυ· καὶ τεκμαίρομαι ἐκ τούτων ὅτι πάντως εὐγενὴς εἶ καὶ οὐκ ἀδόξου γένους· πείσθητι οὖν μοι, ἑταῖρε, καὶ ἐγὼ ἀνοίσω περὶ σοῦ ἐπὶ τὸν σεβαστὸν, καὶ ἡγεμονικῆς ἀξίας σοι γενήσομαι πρόξενος, μόνον εἰ τοῖς θεοῖς εὐχαριστήσεις.

3. Ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ γεναῖος στρατιώτης μὴ χαυνωθεὶς τοῖς ἐπαίνοις

tatum mittit Dominus sperantes in ipsum. Proconsul vero quasi in stuporem actus super viri in dicendo libertatem, dixit officio : *Dementem illum coram ducite : videam quid audacia ejus procuret ipsi.* Ipse autem his auditis, turbaque diducta, sponte sua prosiliit, et constitutus coram omnibus, signatusque (crucis signo), dixit ad proconsulem : *Proprio motu venio ante faciem tuam, proconsul, propugnator futurus commilitonum meorum adversus patrem tuum diabolum. Sine mora igitur fac quod vis, ut ipsa discas experientia nos Christi existentes milites invictos esse, invocatione sancti nominis ejus, conaminibus per vos adversantis nobis diaboli.* Dixit autem proconsul : *Dic nobis, demens, nomen tuum primo et fortunam.* Sanctus Codratus dixit : *Dixi tibi nos esse christianos, me et istos omnes quos vides, fratres meos.* Proconsul ait : *Non licet tibi dicere teipsum christianum, quoniam præceptum invictorum nostrorum imperatorum occidit te* (morti te addicit). *Video autem te formosum et disertum valde, ac conjicio ex iis te omnino nobilem esse et non inglorii generis : ausculta ergo mihi, sodalis, et ego referam de te ad Augustum, et imperatoriæ dignitatis tibi fiam conciliator, dummodo diis preces feceris.*

arguit 3. Christi vero generosus miles haud deceptus laudibus ac promis-

καὶ ταῖς ὑποσχέσεσιν, ἔφη· Ἀνθύπατε, μὴ σολύκιζε θεοὺς λέγων, οὐ γὰρ εἴσι θεοὶ πολλοί, ἀλλ' εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ ἐξ οὗ τὰ πάντα· καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι οὗ τὰ πάντα· καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον ἐν ᾧ τὰ πάντα. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Εἰσὶ μὲν πλείονες θεοί, οἱ δὲ βασιλεῖς δώδεκα ἐθέσπισαν θύειν θεοῖς, οἷς πεισθῆναι ὀφείλεις καὶ πρόσκυνῆσαι. Ὁ δὲ ἅγιος Κοδράτος εὐπαρρησιάστως ἀνέκραξεν λέγων· Οὐχ ἀγαθὸν πολυκυρανίη· εἷς κύρανος ἔστω· εἷς βασιλεύς. Ὁ ἀνθύπατος λέγει· Περὶ Ποσιδόνος εἶπεν Ὅμηρος (1)· Συνῆξεν γὰρ νεφέλας, καὶ ἐτάραξεν παντοίους ἀνέμους, καὶ ἐκάλυψεν οὐρανὸν, δεινὸν ἐβρόντισεν πατὴρ θεῶν, ὑψώθη γάρ· ἐλθὲ, Ποσιδὼν, ἐκτείναξε γέαν, Τρώων τὲ πόλεις καὶ

sis, dixit : *Proconsul, ne solœcismum feceris, deos dicens : non enim sunt dii multi, sed unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et unus Spiritus sanctus in quo omnia.* Proconsul ait : *Sunt quidem plures dii. Imperatores autem duodecim decreverunt sacrificare diis, quibus obedire debes et supplices offerre honores.* Sanctus vero Codratus opportuna dicendi libertate usus, exclamavit dicens : *Non bonum est multorum dominium, unus dominus esto, unus rex.* Proconsul dicit : *De Neptuno dixit Homerus :..... Ac de*

unum esse Deum,

(1) Περὶ Ποσιδόνος κ. τ. λ. Locus citandorum versuum palam turbatus est, sic tamen ut ex Homero restitui possit. Quod igitur de Neptuno affert, sumptum est ex Odysseæ l. V atque Iliados l. XX. Sequuntur versus :

Odyss., l. V, 291-294 : Ὣς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον
χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψεν
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.

Sic fatus collegit nubes, turbavitque pontum
manibus tridente sumpto ; omnesque concitavit procellas
omnigenorum ventorum ; ac nubibus operuit
terram simul et pontum ; ingruit autem a cœlo nox.

Iliad., l. XX, 56-60 : Δεινὸν δὲ βρόντησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
ὑψόθεν· αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε
γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.
Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπίδακος Ἴδης
καὶ κορυφαί, Τρώων τε πόλις καὶ νῆες Ἀχαιῶν.

Horrendum vero intonuit pater hominumque deumque
ex alto : at subtus Neptunus concussit
terram immensam, montiumque excelsos vertices.
Omnes autem concutiebantur radices riguæ fontibus Idæ
et vertices, Trojanorumque urbs et naves Achivorum.

Ἀχαιῶν. Καὶ περὶ τοῦ Διὸς πολλὰ ἔλεξε Ὅμηρος· περί τε τῶν ἀνδραγαθημάτων καὶ τῆς μεγαλειότητος αὐτοῦ, ὡς ὁρᾷς. Ὁ δὲ μακάριος Κοδράτος ἔφη· Ὅσα οὖν εἶπεν περὶ αὐτῶν Ὅμηρος, ἀληθῆ εἶπεν ἢ ψευδῆ; Ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Ἀληθῆ. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Αἰσχύνομαι περὶ ὑμῶν προσκυνούντων μοιχοῖς καὶ ἀρσενοκοίταις, ὧν τὰ ἔργα τοὺς μὴ ποιοῦντας κολάζεται ὑμεῖς οἱ πρόσκαιρον ἄρχοντες· καὶ εἰ δοκεῖ σοι, πείσθητι ἀπὸ τῶν σῶν ποιητῶν, καὶ ὄψει ὅτι δαίμονές εἰσιν αἰσχρουργοὶ καὶ ἀκατάστατοι νεκροί, πνεύματα γοήτων. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ἤρξω λοιδορεῖν τοὺς θεούς; Ἡ εἰς σέ μου πολλὴ μακροθυμία ἴδε πόσην σοι προεξένησεν παρρησίαν· εἰ γὰρ ταῦτα μάθῃ ὁ σεβαστός, μεγάλως ἀγανακτήσει κατεμοῦ· πείσθητι οὖν μοι καὶ ταχέως μετάθου. Ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Τὴν ἐμὴν παρρησίαν οὔτε σὺ οὔτε ὁ βασιλεύς σου οὔτε τίς ἕτερος, ἀφαιρεῖσθαι μου δύναται.

4. Τότε ὁ ἀνθύπατος θυμωθεὶς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐκδυθῆναι καὶ ἐπὶ σανίδος ἁπλωθῆναι· καὶ τύπτεσθαι αὐτὸν βουνεύροις, λέγων· Εἰπέ σου τὸ ὄνομα. Τοῦ δὲ μὴ ἀποκρινομένου, ἠρώτα ὁ ἀνθύπατος τὴν τάξιν· Τίς λέγεται; Οἱ δὲ εἶπον· Κοδράτος· ἀλλὰ καὶ λαμπροῦ γένους ἐστίν. Λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ ἀνθύπατος· Ἐάσατε αὐτὸν καὶ ἐγείρατε ἀπὸ τοῦ ξύλου. Καὶ ἔφη πρὸς αὐτόν· Τί τοῦτο ἐποίησας ἡμῖν, ἐνυβρίσας τὴν τάξιν σου; Καὶ προσκαλεσάμενος αὐτὸν ἐγγυτέρω, ἔφη πρὸς αὐτόν· Δια

Jove multa effatus est Homerus, et de virtutibus et de majestate ejus, uti vides. Beatus autem Codratus ait : *Quæcumque ergo dixit de ipsis Homerus, verane dixit an falsa?* Proconsul ait : *Vera.* Sanctus dixit : *Pudet me vestri adorantium mœchos et masculorum concubitores, quorum opera qui non faciunt, eos punitis vos ad tempus regnantes. Et si videtur tibi, disce a tuis poetis, et videbis dæmones esse turpium operum effectores, turbulentos mortuos, spiritus præstigiatorum.* Proconsul dixit : *Incipisti maledicere diis? Erga te mea magna longanimitas, vide quantam tibi audaciam procuraverit. Si enim hæc didicerit Augustus, magnopere indignabitur contra me. Obedi itaque mihi et cito convertere.* Sanctus Codratus dixit : *Meam loquendi libertatem, neque tu, neque imperator tuus, neque quisquam alius auferre mihi potest.*

nec movetur tormentis vel cura fortunarum suarum.

4. Tunc proconsul iratus jussit ipsum exui et in tabulato extendi, et cædi eum boum nervis, dicens : *Edic nomen tuum.* Ipso vero non respondente, interrogabat proconsul officium : *Quis vocatur?* Hi vero dixerunt : *Codratus; verum etiam splendidi generis est.* Dixit ad eos proconsul : *Sinite ipsum et levate a ligno.* Et dicebat ad illum : *Quid hoc fecisti nobis, dehonestans ordinem tuum?* Et cum advocasset eum

τί τὴν ἀξίαν σου καὶ τὸ γένος παραλογισάμενος, τῇ ματαίᾳ θρησκείᾳ τῶν λεγομένων χριστιανῶν συνάπήχθης; Ὁ δὲ μακάριος Κοδράτος εἶπεν· Ἐξελεξάμην παραῤῥιπτεῖσθαι ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ μου μᾶλλον ἢ οἰκεῖν με ἐν σκηνώμασιν ἁμαρτωλῶν. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Πείσθητί μοι καὶ θύσον τοῖς θεοῖς, καὶ μάλλιστα σήμερον τὰ ἱερὰ τῶν βασιλέων ἐστὶ χαρμόσυνα· ἵνα ἐναρίθμιος γένῃ τῇ γερουσίᾳ τῶν Ῥωμαίων· καὶ μὴ ὡς εἷς τῶν κακούργων κακὴν κάκως ἀποθάνῃς· ἢ οὐκ ἤκουσας τὸ δόγμα τῶν βασιλέων καὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου; καὶ πόσαι μυριάδες ἀνδρῶν ἐναρέτων καὶ θαυμασίων ἐβεβαίωσαν μηδένα ἐᾶν τῶν λεγομένων χριστιανῶν τοῦ ζῆν; Ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Μακάριός ἐστιν ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν· καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη· καὶ ἐπι καθέδραν λοιμῶν οὐκ ἐκάθισεν, ἀλλ ἢ ἐν τῷ νόμῳ Κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ. Περίνιος ἀνθύπατος εἶπεν· Μὴ ἀπάτα σαυτὸν, Κοδράτε· κατὰ γὰρ παντὸς χριστιανοῦ τὸ δόγμα τῶν βασιλέων κεῖται· κἄν τε πένης ἐστὶν, κἄν τε πλούσιος· κἂν ἀξιωματικὸς· κἂν οἰκτρᾶς τύχης, τοῦτον οὐ φείδεται τὸ δικαστήριον. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Ναί· καὶ γὰρ ἡ θεία γραφὴ λέγει· Οὐκ ἔστι δοῦλος οὐδὲ ἐλεύθερος· οὐκ ἔστι πλούσιος ἢ πένης· οὐ βάρβαρος, οὐ Σκύθης· οὐχ Ἕλλην· οὐκ Ἰουδαῖος· πάντες γὰρ ἐν Κυρίῳ ἐσμέν· διὸ παρακαλῶ σε τὸ δογμα τῶν βασιλέων καὶ τῆς συγκλήτου ἐν τάχει πλή-

propius, dixit ad eum: *Quare dignitate tua et genere mala fraude decepto, vano cultu eorum qui dicuntur christiani, abductus es?* Beatus vero Codratus dixit: *Elegi abjectus esse in domo Dei magis quam habitare me in tabernaculis peccatorum.* Proconsul dixit: *Obedi mihi et sacrifica diis. Et præcipue hodie sacer imperatorum est festus dies, ut adnumerandus fias senatui Romanorum, neve ut unus malefactorum mala male morte moriaris. Anne non audivisti decretum imperatorum ac sacri senatus et quot myriades virorum virtute præditorum atque eximiorum firmiter decreverint neminem sinere nuncupatorum christianorum vivere?* Sanctus Codratus dixit: *Beatus est vir qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra hominum pestilentium non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus.* Perinius proconsul dixit: *Ne fallas teipsum, Codrate; nam contra omnem christianum decretum imperatorum constitutum est; etiamsi pauper est, etiamsi dives, etiamsi in dignitate constitutus, etiamsi miserabilis fortunæ, huic non parcit tribunal.* Sanctus dixit: *Vere; etenim divina Scriptura dixit: Non est servus neque liber, non est dives vel pauper, neque barbarus, neque Scytha, neque græcus, neque Judæus: omnes enim in Domino sumus. Quapropter adhortor te, decretum*

ρωσον εἰς ἐμέ· ἐγὼ γὰρ χριστιανός εἰμι. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Πείσθητί μοι καὶ θύσον, καὶ ἀπόλαυε τῆς ζωῆς καὶ τοῦ φωτὸς τούτου· καὶ ταῦτα λέγων ὁ ἀνθύπατος, ἐδάκρυσεν μέγα στενάξας. Ὁ δὲ ἀνδριώτατος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Κοδράτος εἶπεν πρὸς αὐτόν· Μή μοι τὰ τοῦ δράκοντος προβάλλου πανουργεύματα καὶ τὰ τοῦ Βελίαρ πρόχεε δάκρυα, κύων καὶ ἅρπαξ· οὐ γὰρ μὴ συναρπάσῃς με τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ.

5. Μάξιμος ἡγεμὼν εἶπεν· Πονηρώτατε πάντων ἀνθρώπων, ὁ κύριός μου, ὁ μεγαλοπρεπέστατος ἀνθύπατος, οἰκτείρεισαί σοι· καὶ σὺ ὑβρίζεις αὐτόν; Ὁ ἅγιος εἶπεν· Ἑαυτὸν κλαιέτω· ἐγὼ γὰρ οὐκ εἰμὶ ἐλεεινός, οὐδὲ κλαύσιμος· εἰ δὲ ὁ ἀνθύπατος κρίνει, σὺ τίς εἶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ φθεγγόμενος; ἀρκεῖ ἡμῖν καὶ οὗτος· εἰ δὲ καὶ σὺ ἄρξαι θέλεις, ὁ Καῖσαρ σε καταργήσει. Ὁ κομενταρίσιος εἶπεν· Μα τὴν σὴν τύχην, δέσποτά μου ἀνθύπατε· ἐὰν τοῦτον οὕτως ἀφεὶς, οὐ κατοκνήσῃ καὶ τοὺς αὐτοκράτορας ὑβρίσαι· καὶ φέρεις ἡμᾶς οὐ τὸν τυχόντα κίνδυνον. Ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Ἀληθῶς καθὼς εἶπεν ἡ θεία γραφὴ, Ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενὰ, ἰδοὺ νῦν ὡς καὶ πρότερον ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ ἐκβέβηκεν· κρίνομαι γὰρ καγὼ ὁ δοῦλος αὐτοῦ, ὑπὸ ματαίων ἀρχόντων. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Ἀποδύσαντες τὸν ἀχάριστον πάλιν τύψατε· ἵνα ἀνανήψας πεισθείη τοῖς θείοις δόγμασιν τῶν δεσποτῶν ἡμῶν βασιλέων. Τυπτόμενος δὲ ὁ

imperatorum et senatus cito adimple in me. Ego enim christianus sum. Proconsul dixit: *Obedi mihi et sacrifica, et perfruere vita ac luce ista.* Et hæc loquens proconsul lacrymatus est, magnos singultus edens. Fortissimus autem Christi martyr Codratus dixit ad eum: *Ne mihi serpentis objice artificia, ac Belial effunde lacrymas, canis ac raptor: non enim me corripies servum Dei.*

Constantia ejus sollicitat socios proconsulis;

5. Maximus dux locutus est: *Improbissime omnium hominum, dominus meus, magnificentissimus proconsul, miseretur tui, et tu conviciaris ei?* Sanctus dixit: *Seipsum fleat; ego enim non sum miserabilis neque flebilis. Si vero proconsul judicium exercet, tu quis es, qui coram ipso vociferaris? Sufficit nobis etiam hic; si vero et tu imperare vis, Cæsar te abolebit.* Commentariensis dixit: *Per tuam fortunam, domine mi proconsul, quando hunc ita dimittis, non tardabit etiam imperatoribus conviciari, et affers nobis non parvum periculum.* Sanctus Codratus dixit: *Vere, sicut dicit divina Scriptura, Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? ecce nunc, uti et prius in Christo evenit: judicor enim et ego servus ejus a variis principibus.* Proconsul dixit: *Spoliatum ingratum iterum cædite, ut resipiscens obediat divinis decretis dominorum nostrorum imperatorum.* Cum

μακάριος, ἔλεγεν· Δόξα σοι, Θεὲ Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὅτι καμὲ τὸν ἀνάξιον καὶ ἁμαρτωλὸν κατηξίωσας δια τὸ ἅγιον ὄνομά σου ταῦτα παθεῖν· ὅπως καγὼ ὁ ταπεινὸς συναρίθμιος γένωμαι τοῖς δούλοις σου τοῖς ἠγαπημένοις ὑπο σοῦ. Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε· καταξίωσόν με, δέσποτα, ἐμπλησθῆναι τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος· δός μοι τὸ φρόνημα εἰς σὲ ἀμετάθετον, καὶ τὴν εἰς σέ μου πίστιν ἀκλινὴ διαφύλαξον· σόφισόν με ἐν τῇ σοφίᾳ σου, ὅτι νῦν καιρὸς τῆς παρὰ σοῦ ἀντιλήψεως, νῦν καιρὸς τῆς παρα σοῦ βοηθείας· ἐπάλειψόν με καὶ ὑποστήριξόν με διατῆς ἐπαγγελίας σου· πρόσδεξαί με, ἵνα δοξασθῇ τὸ ἅγιον ὄνομά σου δι' εμοῦ τοῦ ταπεινοῦ δούλου σου· τελείωσόν με ἐν τῷ σῷ ὀνόματι, καὶ πρὸσάγαγέ με τῷ σῷ Πατρί· ὁμολόγησόν με ἐνώπιον αὐτοῦ εἶναί σου δοῦλον. Ναὶ, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἱκετεύω σε καὶ παρακαλῶ, τελείωσόν μου τὸν δρόμον καὶ τον σκοπὸν, καὶ εὐδόκησον τῇ προθέσει.

6. Τῶν δὲ τυπτόντων αὐτὸν ἀλλαγέντων πεντάκις καὶ ἐξατονησάντων, ἐπήρθη ὁ νῶτος τοῦ μακαρίου μάρτυρος ὡς πῆχυν ἕνα· τὸ δὲ αἷμα ἔρρεεν ποταμηδὼν σὺν αὐταῖς ταῖς σαρξὶ καὶ ταῖς ἴναις. Ὁ δὲ ἀνθύπατος ἔφη πρὸς τὸν ἅγιον· Πιστεύεις κἂν νῦν, Κοδράτε, τοῖς θεοῖς; Ὁ δὲ μακάριος ἔλεγεν· Τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων· στόμα ἔχουσι, καὶ οὐ λαλήσουσι· ὀφθαλμοὺς ἔχουσι, καὶ οὐκ ὄψονται· ὦτα ἔχουσι, καὶ οὐκ ἀκούσονται· ῥῖνας ἔχουσι, καὶ οὐκ

cæderetur autem beatus, dicebat : *Gloria tibi, Deus, Domine Jesu Christe, quod et me indignum et peccatorem dignum judicaveris, propter sanctum nomen tuum hæc pati, ut et ego humilis adnumerandus sim servis tuis dilectis a te. Gratias ago tibi, Domine; dignare me, Domine, repleri sancto tuo Spiritu; da mihi animum erga te immutabilem, et in te meam fidem inflexibilem conserva; instrue me in sapientia tua, quia nunc tempus tuæ susceptionis, nunc tempus tui auxilii; unge me et robora me per promissionem tuam; assume me, ut glorificetur sanctum nomen tuum per me, humilem servum tuum; perfice me in tuo nomine et adduc me Patri tuo; confitere me coram ipso esse tuum servum. Ita, Domine Jesu Christe, oro te et obsecro, perfice meum cursum et finem, et acquiesce proposito.*

6. Iis vero qui cædebant eum, quinta vice permutatis et fatigatis, intumuerat dorsum beati martyris quasi cubitum unum; sanguis vero manabat ut fluvius cum ipsis carnibus ac fibris. Proconsul autem dixit ad sanctum : *Credis etiam nunc, Codrate, in deos ?* Beatus autem dixit : *Idola gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt, aures*

quare torquetur in carcere

ὀσφρανθήσονται· χεῖρας ἔχουσι, καὶ οὐ ψηλαφήσουσι· πόδας ἔχουσι, καὶ οὐ περιπατήσουσιν· οὐ φωνήσουσιν ἐν τῷ λάρυγγι αὐτῶν· ὅμοιοι αὐτοῖς γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπαὐτοῖς. Ὁ ἀνθύπατος Περίνιος εἶπεν· Σκοτεινῷ λόγῳ βλασφημεῖς, οἰόμενός με λανθάνειν· πείσθητι οὖν καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς. Ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Λόγῳ σκοτεινῷ, καλῶς εἶπας· σκοτεινὴ γάρ σοι τυφλόττωντι τοῖς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοῖς, ἡ ἀλήθεια φαίνεται· διὸ, εἰ δοκεῖ σοι βασανίζειν με, τάχιον τοῦτο ποίησον καὶ πρὸς τὸν ἐπουράνιον βασιλέα πέμψον με. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Τάχα ἡ κακή σου εἱμαρμένη πολλήν σοι ἀναισχυντίαν ἐντέθεικεν· καὶ μα τοὺς θεοὺς, οὐ φείσομαί σου τοῦ λοιποῦ, ἀλλα ξένοις βασάνοις καὶ πικρῷ θανάτῳ ὀλέσω σε, ἄθλιε. Τῆς δὲ ἡμέρας ἤδη παρελθούσης, ἐκέλευσεν εἰσαχθῆναι τοὺς πάντας εἰς τὸ δεσμωτήριον, προστάξας ὄστρακον κεκομμένον ὑπὸ τὸν νῶτον τοῦ μακαρίου μάρτυρος Κοδράτου ὑποστρωθῆναι, καὶ λίθον μέγα ἐπιτεθῆναι εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ, καὶ τοὺς πόδας ἀσφαλισθῆναι εἰς τὸ ξύλον, σίδηρα τὲ τοῖς ἄλλοις αὐτοῦ ἄρθροις περιτεθῆναι βαρέα σφόδρα. Καὶ οὕτως λοιπὸν ἐν ταῖς δειναῖς ταύταις ὑπάρχων τιμωρίαις ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὁ τοῦ Χριστοῦ ὡς ἀληθῶς γενναῖος ἀθλητὴς, οὐ μετεβλήθη τῆς εἰς Θεὸν πίστεως καὶ ἐλπίδος· ἀλλ' ἦν ὡς ἐν ἀλλοτρίῳ σώματι τὰς βασάνους ἐγκαρτερῶν.

7. Ἀπελθὼν δὲ ὁ ἀνθύπατος ἐπὶ τὸν ναὸν τὸν ὄντα εἰς Νίκαιαν, καὶ

habent et non audient, nares habent et non odorabunt, manus habent et non palpabunt, pedes habent et non ambulabunt, nec sonitum edent in gutture suo; similes iis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Proconsul Perinius dixit: *Obscuro sermone blasphemas, opinatus me latere. Obedi ergo et sacrifica diis.* Codratus dixit: *Sermone obscuro, bene locutus es; obscura enim tibi cæcutienti oculis animæ veritas apparet. Quare, si videtur tibi torquere me, citius illud facito, atque ad supercœlestem regem mitte me.* Proconsul dixit: *Fortasse malum tuum fatum multam tibi impudentiam ingessit, ac per deos, non parcam tibi deinceps. Sed peregrinis tormentis atque amara morte perdam te, miser.* Die vero jam præterlapso, jussit adduci omnes ad carcerem, præcepitque ut testa figlina comminuta sub dorso beati martyris Codrati substerneretur et lapis magnus imponeretur in pectore ipsius, et pedes vincirentur in ligno, ferreæque catenæ aliis ipsius artubus circumponerentur ponderosæ valde. Et sic deinceps in diris hisce consistens cruciatibus in multos dies Christi revera generosus athleta, non excidit in Deum fide ac spe; verum erat ut in alieno corpore tormenta fortiter perferens.

θύσας τοῖς εἰδώλοις, ἐκέλευσεν ἐκεῖσε γενέσθαι καὶ τοὺς ἁγίους, καὶ παραστῆναι τῷ βήματι· ἐν οἷς καὶ ὁ ἅγιος Κοδράτος. Ὥσπέρ τις γενναῖος στρατηγὸς πεποιθὼς τῇ ἑαυτοῦ ῥώμῃ ἐπι παρατάξει τῶν ἀλλοφύλων προπορεύεται, φοβερὸν καταπλήσσων τὴν τῶν ἐχθρῶν φάλαγγα, οὕτω δὲ καὶ ὁ μέγας ἐν μάρτυσιν Κοδράτος πάντων ἁγίων προέπορεύετο, ἱλαρὸν τε τὸ πρόσωπον καὶ ἐρρωμένον ἐπιδεικνύμενος, καὶ τὰ δεσμὰ ὥσπέρ τινα κόσμον πολύτιμον περικείμενος ἐνηβρύνετό τε καὶ ἔχαιρεν· ὥστε θαυμάζειν ἐπαύτῷ πάντας· οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν ἑλλήνων φιλοσόφους ἐκπλήττεσθαι τὴν τῶν χριστιανῶν σοφίαν καὶ ὑπομονὴν, καὶ δοξάζειν τὸν Θεὸν λέγοντας· Ὄντως μεγάλη ἐστιν ἡ τῶν χριστιανῶν πίστις· ὡς καὶ πολλοὺς ἐξ αὐτῶν πιστεῦσαι τῷ Κυρίῳ. Ὡς οὖν ἔστησαν ἐνώπιον τοῦ ἀνθυπάτου, ἠξίωσεν ὁ ἅγιος τοὺς δημίους ὥστε αὐτὸν πρῶτον εἰσενεχθῆναι. Εἰσαχθέντος δὲ αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ ἀνθυπάτου, εἶπεν ὁ ἀνθύπατος πρὸς τὸν ἅγιον· Θύσον τοῖς θεοῖς, Κοδράτε. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Δοῦλος εἰμὶ ἐγὼ Χριστοῦ τοῦ εἰρηκότος· Θεοὶ οἱ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν, ἀπολέσθωσαν. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Θύσον, Κοδράτε. Ὁ μάρτυς εἶπεν· Οὐ θύσω· εἶπον σοι γὰρ ὅτι Θεοῦ εἰμὶ δοῦλος. Ὁ ἀνθύπατος λέγει· Πεισθῆναί σε δεῖ τοῖς νομοῖς τῶν βασιλέων μᾶλλον, καὶ οὐχὶ τῷ Χριστῷ σου ὅπερ λέγεις. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Ἐγὼ τῷ βασιλεῖ μου Χριστῷ πείθομαι,

Translatus Nicæam cum aliis, admirationem movet ethnicis,

7. Profectus autem proconsul in templum apud Nicæam, sacrificavit idolis, jussitque illuc transferri etiam sanctos et sisti tribunali, in quibus et sanctus Codratus. Quemadmodum generosus dux exercitus confisus sua fortitudine in aciem adversus alienigenas progreditur, horrendo modo percutiens hostium phalangem : eodem modo et magnus inter martyres Codratus omnes sanctos præcedebat, hilarem faciem ac virtute plenam ostendens, ac vincula ut ornamenta quædam pretiosa circumdatus sibi valde placebat ac lætabatur ; ita ut admirarentur ipsum cuncti, ac vel ipsi græcorum philosophi stuperent christianorum sapientiam ac patientiam, et glorificarent Deum, dicentes : *Vere magna est christianorum fides ;* ita ut etiam multi ex illis crederent in Dominum. Ut ergo steterunt coram proconsule, rogavit sanctus carnifices ut ipsum primum producerent. Producto ipso coram proconsule, dixit proconsul ad sanctum : *Sacrifica diis, Codrate.* Sanctus dixit : *Servus sum ego Christi qui dixit : Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant.* Proconsul dixit : *Sacrifica, Codrate.* Martyr dixit : *Non sacrificabo ; dicebam enim tibi quod Dei sum servus.* Proconsul dixit : *Obedire te oportet legibus imperatorum potius, et non Christo tuo quem dicis.* Sanctus dixit : *Ego regi meo*

καὶ οὐκ ἀνθρώποις τοῖς μὴ εἰδόσι τὸν Θεόν. Ἕτοιμος δέ εἰμι ὑπερ τῆς εἰς Χριστὸν ὁμολογίας οὐ μόνον ἅπαξ ἀποθνήσκειν, ἀλλὰ καὶ μυριάκις. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Βλέπεις πόσον πλῆθος χριστιανῶν ἐπέθυσεν τοῖς θεοῖς; μὴ σὺ τούτων καλλίων εἶναι δοκεῖς; Ὁ ἅγιος εἶπεν· Πολὺ καλλίων καὶ εὐγενέστερός εἰμι, ὅτι οὐκ ἐπέθυσα. Ποῦ δὲ ἄρα εἰσὶν οἱ ἐπιθύσαντες; Ἴδω αὐτούς.

8. Καὶ ἐκέλευσεν εὐθὺς ὁ ἀνθύπατος ἀχθῆναι αὐτοὺς ἐνώπιον αὐτοῦ. Ἔφη δὲ ὁ ἅγιος πρὸς αὐτόν· Κύριε, κέλευσόν με λυθῆναι. Καὶ ἐκέλευσεν λυθῆναι αὐτὸν, νομίσας ὅτι ἐπιθῦσαι μέλλει. Λυθεὶς δὲ ὁ ἅγιος τῶν δεσμῶν, ἔδραμεν εὐθὺς εἰς τὸν ναόν· καὶ συντρίψας πάντα τὰ ἐν αὐτῷ ὑπάρχοντα εἴδωλα, ἔρριψεν εἰς τὴν γῆν. Οἱ δὲ ἱερεῖς εἰδόντες τὸ γεγονὼς, σὺνάρπάσαντες αὐτὸν ἅμα τοῖς στρατιώταις, παρέστησαν τῷ ἀνθυπάτῳ· ὀργισθεὶς δὲ ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν κρεμασθέντα αὐτὸν ξέεσθαι. Αὐτοῦ δὲ ἐπι πολλαῖς ταῖς ὥραις τοῖς ὄνυξι τὰς πλευρὰς ξεσμένου καὶ τὸν Θεὸν δοξάζοντος, παρεγένοντο καὶ οἱ ἀποστατήσαντες· καὶ λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ τοῦ Χριστοῦ γενναῖος μάρτυς Κοδράτος· Δείλαιοι καὶ πανάθλιοι, τί παθόντες τὸ τάχος ἐλειποτακτήσατε, ἀρνησάμενοι τὸν δεσπότην Χριστὸν, καὶ ἑαυτοὺς τῷ διαβόλῳ προεδώκατε; Οὐκ ἐπιστεύσαται ἀνάστασιν εἶναι νεκρῶν; Οὐκ ἐμάθεται πῦρ ἄσβεστον εἶναι καὶ σκώληκα ἀκοίμητον, καὶ

Christo obedio et non hominibus ignorantibus Deum. Paratus autem sum pro Christi confessione non solum semel mori sed vel decies millies. Proconsul dixit : *Videsne quanta multitudo christianorum sacrificaverit diis; an tu illis præclarior esse videris?* Sanctus dixit : *Multo præclarior ac nobilior sum eo quod non sacrificavi. Ubi vero sunt illi qui sacrificaverunt? Videam eos.*

et christianos lapsos

8. Ac jussit statim proconsul duci eos coram illo. Dixitque sanctus ad ipsum : *Domine, jube me solvi.* Et jussit solvi eum, opinatus fore ut sacrificaret. Solutus autem sanctus a vinculis, cucurrit illico in templum, et contrita omnia quæ in eo erant idola, projecit humi. Sacerdotes vero cum vidissent quod factum erat, corripuerunt eum una cum militibus et obtulerunt proconsuli. Iratus autem proconsul jussit suspensum eum laniari. Ipso vero per multas horas ungulis latera laniato ac Deum glorificante, affuerunt etiam illi qui renuntiaverant. Dicitque ad eos Christi generosus martyr Codratus : *Timidi ac miserrimi, quid passi estis, qui tam cito aciem reliqueritis, negatoque Domino Christo, vosmetipsos diaboli tradideritis? Non creditis resurrectionem esse mortuorum? An non didicistis ignem inextinguibilem esse ac vermem qui non moritur, et abyssum cæni atque infimum tartarum?*

ἄβυσσον βορβόρου καὶ κατώτατον τάρταρον; Ποῖα οὖν ἀπολογία ἔσται ὑμῖν ἐν τῇ ἐνδόξῳ καὶ μεγάλῃ ἡμέρᾳ τῆς παρουσίας Χριστοῦ; Διανοίξατε, ἀδελφοί, τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν, καὶ ἴδετε ἀκριβῶς πόθεν ἐξεπέσατε καὶ ποῦ νῦν κατηντήσατε· βασιλείαν οὐρανῶν καταλειπόντες, τῷ ἀχρείῳ δούλῳ ἐστρατεύθητε, ὃς τῇ τοῦ Δεσπότου ἀποστασίᾳ τοὺς ἑαυτοῦ δούλους τύπτει καὶ φονεύει· ὃν ὁ Δεσπότης ἐλθὼν διχοτομήσει. Γνῶτε οὖν ὡς πρόσκαίρους βασάνους φοβηθέντες, τῇ αἰωνίᾳ κολάσει παρεδώκατε ἑαυτούς· ὄψεσθε δὲ ὑμεῖς τὰ ἀποβησόμενα ὑμῖν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· ὃς ἥξει, κατὰ τὰς θείας γραφὰς, ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

9. Ταῦτα λέγοντος τοῦ μακαρίου Κοδράτου, ἀνεβόησαν πάντες οἱ ἀποστατήσαντες μετα δακρύων φωνῇ μεγάλῃ, καὶ εἶπον· Ἐφοβήθημεν, δοῦλε τοῦ Θεοῦ, τὰς βασάνους καὶ συνήρπάγημεν ὡς ἄλογα ζῶα· καὶ ὡς ἄρνες ἐν μέσῳ λύκων διεσπαράχθημεν· συνέκλεισαν γὰρ ἡμᾶς αἱ ἁμαρτίαι ἡμῶν, καὶ ζῆσαι θέλοντες ἐν τῷ προσκαίρῳ τούτῳ βίῳ, τῷ μέλλοντι καὶ ἀπαραλογίστῳ αἰῶνι ἀπεθάνομεν. Τί οὖν λοιπὸν ποιήσωμεν οἱ ταλαίπωροι, ἀποροῦμεν. Ὁ δὲ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ χαρᾶς πλήρης γενόμενος ἐπὶ τῇ μετανοίᾳ αὐτῶν, ὡς ἴδεν αὐτοὺς δάκρυα ποταμιδὼν καταχέοντας, ἔφη· Θαρσεῖτε, ἀδελφοί, διότι ἔσπλαγχνός ἐστιν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός· στῆτε οὖν οὕτως μετα δακρύων ἐν τῇ ὁμολογίᾳ

Qualis ergo excusatio erit vobis in glorioso ac magno die adventus Christi? Aperite, fratres, oculos mentis vestræ, et videte accurate unde excideritis et quo nunc perveneritis. Regnum cœlorum relinquentes, inutili servo milites facti estis, qui defectione a Domino suos servos verberat atque occidit, quem Dominus veniens medium dividet. Agnoscite ergo quomodo temporalium tormentorum formidine æternæ pœnæ tradideritis vosmetipsos. Videbitis autem vos quæ adventura sunt vobis in ultimo die a justo judice Jesu Christo Deo nostro, qui veniet secundum divinas Scripturas reddere unicuique juxta opera sua.

9. Hæc dicente beato Codrato, exclamaverunt omnes qui renuntiaverant, cum lacrymis magna voce, et dixerunt: *Timuimus, serve Dei, tormenta et correpti sumus ut bruta animalia, atque ut agni in medio luporum dilacerati sumus. Concluserunt enim nos peccata nostra, et vivere volentes in hac temporali vita, futuro ac infallibili ævo mortui sumus. Quid igitur in posterum faciamus miseri, nescimus.* Martyr autem Christi, gaudio plenus factus de pœnitentia eorum, ut vidit ipsos lacrymarum fluvios fundentes, dixit: *Animum habete, fratres, quia misericors est Dominus noster Jesus Christus. State ergo sic cum*

ad pœnitentiam

αὐτοῦ· καὶ τῷ ἰδίῳ αἵματι ἕκαστος καθαρίσθητε ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν· καὶ εἰ τῇ σαρκὶ ἡττήθητε, τῇ ἐνστάσει τῆς ψυχῆς νικήσατε. Αὐτῶν δὲ ὀλολυγμὸν μέγα ποιησάντων ἐπὶ πολλὴν ὥραν, καὶ ῥιψάντων ἑαυτοὺς εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ γῆν κατάσπασαμένων· τοσαύτη ἐγένετο φρίκη τοῖς παρεστῶσιν, ὡς μὴ μόνον τοὺς χριστιανοὺς συμπενθεῖν αὐτοὺς ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς τοὺς ἕλληνας. Οἱ γὰρ οἰκοῦντες τὴν Νικαέων πόλιν ἐκπλαγέντες ἀπὸ τῆς κραυγῆς τῆς γενομένης καὶ τῶν ὀλολυγμῶν, συνήχθησαν ἐν τῷ τόπῳ, ἄνδρες τὲ καὶ γυναῖκες καὶ πᾶσα ἡλικία, Ἰουδαῖοι τὲ καὶ ἕλληνες καὶ χριστιανῶν πλήθη οἳ ὑπῆρχων κρυπτόμενοι, ὥστε μὴ χωρεῖσθαι αὐτοὺς πάντας ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ταῖς πλατείαις.

10. Ὀργισθεὶς οὖν ἐπὶ τούτοις ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν ἐπὶ πλεῖον ξέεσθαι τὸν τοῦ Χριστοῦ μάρτυρα, καὶ λαμπάδας πυρὸς προσφέρεσθαι αὐτῷ κατὰ τῶν πλευρῶν· καὶ διαπιμπράμενος τῷ θυμῷ, ἔρρισεν ἐπι τοῦ θρόνου, ἀπανθρώπως κελεύων πρὸσφέρεσθαι τῷ ἁγίῳ τὰς βασάνους. Ὁ δὲ ἀνδρειότατος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Κοδράτος, ὡς μηδὲ ὅλως αἰσθόμενος τῶν δεινῶν, παρῄνει τοῖς μετανοοῦσι, λέγων· Θερμῶς, ἀδελφοί, καὶ εὐτόνως ἐπικαλεῖσθαι τὸν Κύριον· τῶν δὲ λεγόντων μὴ εἶναι ἀξίους ὀνομάζειν τὸ ἅγιον ὄνομά τοῦ Χριστοῦ ὃ ἐξύβρισαν, εἶπεν πρὸς αὐτούς· Ἐγγίσατε πρός με· πρὸσέλθόντων δὲ αὐτῷ καὶ ἐν ὀδύνῃ καρδίας ὀδυρωμένων ἰσχυρῶς καὶ πρὸσπιπτόντων αὐτῷ, ἐπάρας τὴν φωνὴν αὐτοῦ ὁ τοῦ

lacrymis in confessione ipsius, et proprio sanguine unusquisque mundemini a peccatis vestris, et, si in carne victi estis, instantia animi victoriam reportate. Ipsis vero magnum ululatum facientibus in multam horam, et projectis super pavimentum et terram amplexis, tanta facta est trepidatio circumstantibus, ut non modo christiani condolerent ipsis, sed vel ipsi græci. Habitantes enim Nicænam urbem attoniti clamore facto et ululatu, congregati sunt in loco, viri ac mulieres et omnis ætas, Judæi et græci et christianorum multitudo qui erant occulti, ita ut non caperet eos omnes forum et plateæ.

confirmat ;

10. Iratus ergo propter ista proconsul, jussit amplius laniari Christi martyrem et lampades ignis afferri ipsi circa latera. Et exardescens ira procidit in sede sua, inhumane jubens inferri sancto tormenta. Fortissimus vero Christi martyr Codratus, quasi nihil omnino sentiens malorum, adhortabatur pœnitentes, dicens : *Ardenter, fratres, atque intense invocate Dominum.* Ipsis vero dicentibus non esse se dignos nominare sanctum nomen Christi, quod injuria affecerant, dixit ad eos : *Appropinquate ad me.* Ipsis autem procedentibus et in dolore cordis lugentibus valde atque ipsi procidentibus, attollens

Χριστοῦ μάρτυς, μετὰ δακρύων ἐβόησε, λέγων· Ὁ ἀγαθὸς Θεός, ὁ τὸν μονογενῆ σου Υἱὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀποστείλας, καὶ δι αὐτοῦ σεαυτὸν ἡμῖν καταλάξας ἐχθροῖς οὖσι, δι ὑπερβολὴν φιλανθρωπίας· ὁ πᾶσαν τὴν κτίσιν δημιουργήσας δια τὸν κατ εἰκόνα σὴν γενόμενον ἄνθρωπον, ἵνα ἀπολαυῃ τῶν ὑπὸ σοῦ γενομένων κτισμάτων, καὶ νῦν, δέσποτα, τὸν σατανᾶν ἐξόριστον ποίησον ἀπὸ τῶν δούλων σου τούτων· δέξε, φιλάνθρωπε, καὶ νῦν δι εμοῦ τοῦ δούλου σου τοὺς συστρατιώτας μου· παγιδευθέντας μὲν τῷ ἐνέδρῳ τοῦ διαβόλου, καταφυγόντας δὲ πάλιν τὴν σὴν φιλανθρωπίαν· μὴ οὖν ὀργισθεὶς αὐτοῖς ὡς λειποτάκταις· εἰ καὶ βραδύ, ὅμως ἑστήκασιν ἀμετάβλητοι· δέξαι μου τὸ δῶρον τοῦ ἀναξίου· καὶ καταξίωσον αὐτοὺς οἰκειωθῆναι τῇ ἐπουρανίῳ σου στρατιᾷ· ποίησον ἐν αὐτοῖς σημεῖον εἰς ἀγαθόν, ἵνα γνῶσιν ὅτι ἠλέησας αὐτοὺς καὶ οὐκ ἐβδελύξω μετανοήσαντας· ναί, δέσποτα Κύριε, εἰσάκουσόν μου τοῦ δούλου σου, καὶ ἀντίψυχον αὐτῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχήν· ὅτι σοι πρέπει ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

11. Καὶ ἀναπεμψάντων πάντων τὸ ἀμήν, αἰφνίδιον αἱ λαμπάδες ἐσβέσθησαν· καὶ αἱ χεῖρες τῶν δημίων παρελύθησαν· καὶ νεφέλη φωτεινὴ ἐγένετο ἐπὶ πάντας τοὺς ἁγίους· σκότος δὲ καὶ γνόφος ἐπι τὸν ἀνθύπατον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ἕλληνας ἐξεχύθει, ὥστε ἐκστῆναι αὐτοὺς καὶ τρέμειν ἀπὸ τοῦ φόβου, πρὸσδοχῶντας μέλλειν καταπίπτειν τὴν πόλιν. Σιγῆς δὲ

vocem Christi martyr cum lacrymis clamavit, dicens : *Deus bone, qui unigenitum tuum Filium, Jesum Christum, misisti, et per eum teipsum nobis reconciliasti inimicis, propter excessum in homines dilectionis, qui totam creationem fabricatus es propter eum qui secundum imaginem tuam factus est, hominem, ut frueretur a te factis creaturis, et nunc, Domine, satanam extorrem fac a servis tuis his. Suscipe, hominum amator, etiam nunc per me servum tuum commilitones meos illaqueatos quidem insidiis diaboli, liberatos vero denuo per tuam caritatem. Haud ergo iratus ipsis ut desertoribus ordinis (etiamsi tarde, tamen constiterunt immutabiles), suscipe meum munus indigni, et dignare eos adscisci cœlesti tuo exercitui; fac in ipsis signum in bonum, ut cognoscant te misereri ipsorum et non spernere resipiscentes. Ita, dominator Domine, exaudi me servum tuum, et pro animis ipsorum sume meam animam, quoniam te decet gloria in secula. Amen.*

11. Et emittentibus omnibus *amen*, repente lampades extinctæ sunt, et manus carnificum viribus solutæ sunt, et nubes lucida facta est super omnes sanctos; caligo vero et tenebræ in proconsulem et circumstantes ipsi græcos effusæ sunt, ita ut raperentur extra se et

qui post cœlitus immissum lumen martyrium subeunt.

γενομένης, ἦχος ἠκούσθει φωνῶν ἀγγελικῶν, αἰνούντων τὸν Θεὸν καὶ δοξαζόντων. Ὡρῶν οὖν δύο διαγενομένων, ἐλύετο κατὰ μέρος τὸ σκότος, καὶ ἤρξαντο οἱ ἕλληνες ἀτενίζειν καὶ βλέπειν τὸ περὶ τοῖς ἁγίοις φῶς· μόλις δὲ γενόμενος ἐν ἑαυτῷ ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν τοὺς ἁγίους εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐνεχθῆναι, καὶ τηρεῖσθαι αὐτοὺς ἀσφαλῶς. Καὶ καταγαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου τὸν τοῦ Χριστοῦ ἀθλητὴν, τῷ προτέρῳ ἠσφαλείσαντο τόπῳ. Καὶ τῇ ἑξῆς καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν παραστῆναι αὐτῷ τοὺς μετατεθέντας ἀπὸ τὰ εἴδωλα καὶ πρὸς τὴν ἀληθεῖ πίστιν παλινδρομήσαντας· ἐπερωτήσας δὲ αὐτοὺς, καὶ πᾶσαν μηχανὴν ἐνδειξάμενος, ἐπεὶ ἔγνω τὴν ἀκλινῆ αὐτῶν καὶ ἀμετάθετον πίστιν, καὶ ὡς ἀδύνατόν ἐστι μετάπεῖσαι αὐτῶν τὸν λογισμὸν, ἐκέλευσεν ἕνα ἕκαστον ἀπαχθῆναι εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν καὶ χῶραν, κἀκεῖσε ζῶντας αὐτοὺς τῷ πυρὶ παραδοθέντας τελειωθῆναι· τὸν δὲ μακάριον Κοδράτον ἅμα καὶ ἄλλοις τισὶν ἁγίοις ἐπὶ τὴν Ἑλίσποντον προάγειν. Πάντες δὲ οἱ ἅγιοι ἀπιῶντες εἰς τὰ ἴδια μετα πλείστης χαρᾶς πρὸς τὸ τελειωθῆναι, ἐδόξαζον τὸν Θεὸν τὸν δεξάμενον φιλανθρώπως τὴν αὐτῶν μετάνοιαν δια τοῦ γνησίου αὐτοῦ δούλου· καὶ οὕτως ἅπαντες ἐν Χριστῷ ἐτελειώθησαν.

12. Παραγενομένος δὲ ὁ ἀνθύπατος ἐν τῇ Ἀπαμαίων πόλει καὶ θύσας τοῖς εἰδώλοις, κελεύει εὐθὺς παραστῆναι αὐτῷ τοὺς ἁγίους μάρτυρας·

tremerent præ timore, exspectantes fore ut urbs concideret. Silentio autem facto, sonus auditus est vocum angelicarum laudantium Deum ac glorificantium. Horis ergo duabus præterlapsis, solvebatur passim caligo, et cœperunt græci videre atque aspicere quod super sanctis erat, lumen. Vix autem sui compos factus proconsul, jussit sanctos in carcerem duci, et custodiri ipsos firmiter. Et abductum a ligno Christi athletam priori incluserunt loco. Et sequenti die sedens pro tribunali proconsul, jussit sisti sibi conversos ab idolis et ad veram fidem reversos. Interrogatis autem ipsis et omni machina adhibita, postquam cognovit inflexibilem eorum et incommutabilem fidem, et fieri non posse ut aliud persuadeatur deliberato ipsorum animo, jussit unumquemque deduci in propriam urbem ac regionem, ibique vivos ipsos igni traditos consummari ; beatum vero Codratum una cum aliis quibusdam sanctis in Hellespontum præmitti. Omnes autem sancti abeuntes in propria cum plurimo gaudio ut consummarentur, glorificabant Deum qui receperat misericorditer ipsorum pœnitentiam per genuinum suum servum. Et sic omnes in Christo consummati sunt.

S. Codratus **12.** Cum autem advenisset proconsul Apameam in urbem et sacri-

καὶ φησὶ πρὸς τὸν μακάριον Κοδράτον· Θύεις κἂν νῦν τοῖς θεοῖς, μάγε καὶ ἐπιθέτα, ἢ οὔ; Ὁ ἅγιος εἶπεν· Τὸν πατέρα σου λέγε ταῦτα· ἐγὼ γὰρ οὔτε μαγείαν οὔτε ἐπιθεσιαν ἐπίσταμαι· ἀλλ' οὐδὲ δαίμοσὶν θύω. Ὁρῶν δὲ ὁ ἀνθύπατος ὅλον τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου κατεξεσμένον, εἶπεν τοῖς φίλοις αὐτοῦ· Ποῖαν βάσανον προστάξω τῷ βιοθανάτῳ τούτῳ, οὐκ οἶδα. Τῶν δὲ ἀπορησάντων καὶ μὴ ἀποκρινομένων· ἑώρων γὰρ τὸ σῶμα τοῦ μάρτυρος μηκέτι δύνασθαι ὑποφέρειν βασάνους· ἐκέλευσεν ὁ ἀνθύπατος ἐνεχθῆναι σάκκον καὶ βληθῆναι αὐτὸν ἐν αὐτῷ, καὶ τεθῆναι ἐν ὀρύγματι, καὶ οὕτως τύπτεσθαι αὐτὸν σφοδρῶς ἔξωθεν. Ἐπι πολλὰς δὲ ὥρας τοῦ ἁγίου τυπτομένου, νομίσας αὐτὸν τεθνηκέναι, ἐκέλευσεν ἐκϐληθῆναι τοῦ σάκκου· τοῦ σάκκου δὲ ἀνοιχθέντος, ἀναπηδήσας ὁ ἅγιος ἔστη ὀρθός. Ὁ δὲ ἀνθύπατος εἶπεν· Οὔπω ᾔσθου τῶν βασάνων; Ὁ ἅγιος Κοδράτος ἀναϐλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπεν· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ὅτι βέλος νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν· ἐξησθένησεν γὰρ ἐμὲ αὐτοῖς ἡ ἰσχὺς αὐτῶν· ἐμὲ δὲ ἐνεδυνάμωσας καὶ ἐνίσχυσας. Καὶ φησὶν πρὸς τὸν ἀνθύπατον· Μάταιε, ὁρᾷς καὶ ἐξετάζεις; Εἴ τι οὖν δύνασαι ποιεῖν, ποίει. Θυμωθεὶς δὲ ὁ ἀνθύπατος ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἀρκέσθητι λοιπὸν αἷς ὑπεδέξω βασάνοις, καὶ προσέλθὼν θῦσον τοῖς θεοῖς. Ὁ ἅγιος εἶπεν· Ἔπαιξας μετεμοῦ δια τῶν βασάνων σου τούτων. Καὶ θυμωθεὶς ὁ

ficasset idolis, jubet statim sisti sibi sanctos martyres, et dicit ad beatum Codratum : *Sacrificas vel nunc diis, mage atque impostor, an non?* Sanctus dixit : *De patre tuo dic ista; ego enim neque magiam neque imposturam scio. Sed nec dæmonibus sacrifico.* Videns autem proconsul totum corpus sancti dilaniatum, dixit amicis suis : *Quale tormentum inferam furcifero isti, haud scio.* Ipsis vero hæsitantibus nec respondentibus, videbant enim corpus martyris non jam posse ferre tormenta, jussit proconsul afferri saccum et mitti eum in illum, et poni in scrobe et sic cædi ipsum vehementer a parte exteriori. Per multas vero horas sancto cæso, opinatus ipsum obiisse, jussit emitti e sacco. Sacco autem aperto, exsiliit sanctus, stetitque rectus. Proconsul vero dixit : *Nondum sensisti tormenta?* Sanctus Codratus suspiciens in cœlum, dixit : *Gratias tibi, Domine Jesu Christe, quod sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Infirmata enim est iis virtus ipsorum; me autem corroborasti ac validum fecisti.* Et dicit ad proconsulem : *Vane, vides et comprobas? Si quid ergo potes facere, fac.* Iratus autem proconsul dixit ad eum : *Sufficiant in posterum quæ accepisti tormenta, et procedens sacrifica diis.* Sanctus dixit : *Lusisti mecum per hæc tormenta tua.* Et iratus proconsul, jussit seponi

Apameæ varie cruciatus,

ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν ἀποταθῆναι αὐτὸν εἰς τὸ λιθόστρωτον· καὶ ὑπὸ τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς πόδας ὑποστυλα γενέσθαι· καὶ βουνεύροις εὐτόνως τύπτεσθαι αὐτὸν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι. Τυπτόμενος δὲ ὁ μακάριος, ἐδόξαζεν τὸν Θεὸν λέγων· Πλεονάκις ἐπολέμησάν με ἐκ νεότητός μου, καὶ γὰρ οὐκ ἠδυνήθησάν μοι· ἐπὶ τῶν νώτων μου ἐτέκταινον οἱ ἁμαρτωλοί, ἐμάκρυναν τὴν ἀνομίαν αὐτῶν. Ὡς δὲ ετέλεσεν τὸν ψαλμόν, εἶπεν ὁ ἀνθύπατος· Τυπτέσθω εὐτόνως· ὡς γὰρ ὁρῶ αὐτόν, οὐκ ᾔσθετο ἀκμὴν τῶν βασάνων. Ὁ δὲ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ ἔφη· Τύπτετε, τύπτετε· σάρκα μὲν γὰρ ἀδικήσητε, τὴν ψυχὴν δὲ μεγάλας προξενήσηται παρὰ Κυρίου τὰς ἀμοιβάς. Ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Πανάθλιε, κακοῦ δαίμονος ἐκυρίευσας. Ὁ ἅγιος ἔφη· Μὰ τὸν Κύριόν μου Ἰησοῦν Χριστόν, κακοῦ πάνυ· καὶ οὐ μόνον ἑνός, ἀλλὰ καὶ πάσης αὐτοῦ τῆς στρατειᾶς κύριος γέγονα διατοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

13. Τοῦ δὲ πλήθους τῶν ἀδελφῶν ἀναπεμψάντων τὸ ἀμὴν, ὀργισθεὶς σφόδρα ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν συλληφθῆναι δύο τινὰς ἐκ τοῦ πλήθους καὶ ἀχθῆναι ἐνώπιον αὐτοῦ. Συλληφθέντων δὲ αὐτῶν, ἐάσας τὸν ἅγιον Κοδράτον, τοῖς περὶ τὸν ἅγιον Σατορνῖνον καὶ Ρουφίνον, ταῦτα γὰρ ἦν τὰ ὀνόματα αὐτῶν, ἐσχόλαζεν. Κρεμασθέντων δὲ αὐτῶν, ἐπὶ τοσοῦτον αὐτοὺς ἐκέλευσεν ξέεσθαι τοῖς ὄνυξιν, ἕως οὗ τὰ ἔγκατα αὐτῶν ἔμελλον πίπτειν

eum in loco lapidibus strato, et subtus manus ejus ac pedes columnis fulciri, et boum nervis acriter verberari ipsum in toto corpore. Verberatus autem beatus glorificavit Deum, dicens : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non prævaluerunt mihi ; super dorsum meum fabricaverunt peccatores, extenderunt iniquitatem suam.* Ut autem terminavit psalmum, dixit proconsul : *Verberetur acriter. Sicut enim video ipsum, non sensit vim tormentorum.* Martyr autem Christi dicebat : *Verberate, verberate ; carnem male mulctate ; animæ autem magnas conciliabitis a Domino retributiones.* Proconsul dixit : *Miserrime, malo dæmoni dominatus es.* Sanctus dicebat : *Per Dominum meum Jesum Christum ! malo valde ; et non solum unius sed et totius ejus exercitus dominus factus sum per ipsum Dominum meum Jesum Christum, cui gloria in secula. Amen.*

et post necem Saturnini et Rufini

13. Multitudine vero fratrum acclamante *amen*, iratus vehementer proconsul, jussit corripi duos quosdam ex multitudine et duci coram se. Correptis illis, relicto sancto Codrato, sancto Saturnino et Rufino, hæc enim erant nomina eorum, operam dedit. Suspensos illos in tantum jussit laniari ungulis, ut intestina eorum in eo essent ut deciderent in terram. Beati autem torti exhortabantur sanctum Codra-

ἐπὶ τὴν γῆν. Οἱ δὲ μακάριοι βασανιζόμενοι, παρεκάλουν τὸν ἅγιον Κοδράτον καὶ τοὺς συν αὐτῷ ὄντας ἀδελφοὺς εὔχεσθαι ὑπὲρ αὐτῶν· καὶ ἀναβοήσας μετὰ δακρύων ὁ ἅγιος Κοδράτος εἶπεν· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, Υἱὲ τοῦ ἀοράτου Πατρὸς, ἐξαπόστειλον τὴν βοήθειάν σου ἐπ αὐτοὺς καὶ ὑπεράσπισον αὐτῶν· ναὶ, ὁ Θεὸς τῶν ταπεινῶν, ἐλέησον τοὺς δούλους σου· καὶ δὸς αὐτοῖς τὴν ὑπομονὴν καὶ τὸ νῖκος μέχρι τέλους. Πολλῆς ὥρας διαγενομένης καὶ μηδὲν αὐτῶν ἀποκρινομένων· ἀπὸ γὰρ τῶν πολλῶν βασάνων οὐδὲ λαλεῖν ἴσχυον· τότε ἐκέλευσεν ὁ ἀνθύπατος κατενεχθέντας αὐτοὺς, κατὰ τὴν ὁδὸν Ἑλισπόντου ἀποτμηθῆναι τὰς κεφαλὰς αὐτῶν. Τούτων δὲ οὕτως μακαρίως τελειωθέντων, ἄνδρες θεοφιλεῖς καὶ φιλόχριστοι συνοδεύσαντες αὐτοῖς, ἔλαβον τὰ πολύτιμα αὐτῶν σώματα, δεδωκότες χρυσίον ἱκανόν· κομίσαντες δὲ αὐτὰ ἐν ταῖς ἰδίαις πόλεσιν, κατέθεντο εντίμως.

14. Τὸν δὲ μακάριον Κοδράτον ἐκέλευσεν ὁ ἀνθύπατος ἀκολουθεῖν ἅμα τοῖς ἄλλοις ἐν τῇ Ἀπολλωνίᾳ. Εἰσελθὼν οὖν ὁ ἀσεβὴς εἰς τὸν ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι τὸν ἅγιον καὶ τοὺς λοιπούς. Εἰσαχθέντων δὲ αὐτῶν, ἠνάγκαζεν αὐτοὺς θύειν τοῖς ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, καὶ λέγει πρὸς τὸν μακάριον Κοδράτον· Ἀπόστηθι τῆς μανίας σου, ἄνθρωπε· ἱνατί τὸ γένος σου καὶ τὴν ἀξίαν ὑβρίζεις; Ἐπίγνωθι τοὺς θεοὺς καὶ σώθητι· ἐγὼ δὲ ποιήσω τοὺς ἰατροὺς τάχειον σε ἐπιμεληθέντας ποιῆσαι ὑγιεῖ.

tum et qui cum eo erant fratres, ut orarent pro se. Et exclamans cum lacrymis sanctus Codratus, dixit: *Domine Jesu Christe, Fili invisibilis Patris, emitte auxilium tuum in ipsos et clypeo tege eos. Ita, Deus humilium, miserere servorum tuorum, et da ipsis patientiam et victoriam usque in finem.* Multa hora dilapsa et nihil ipsis respondentibus, præ multis enim tormentis nec loquendi compotes erant, tunc jussit proconsul depositis illis, juxta viam Hellesponti amputari capita eorum. His autem ita beate consummatis, viri Deum amantes Christique amici comitati ipsos, sumpserunt pretiosa eorum corpora, dato auro multo. Portantesque ea in proprias urbes, composuerunt honorifice.

cum aliis in fano Apollinis frustra tentatus,

14. Beatum vero Codratum jussit proconsul sequi una cum aliis in Apollineum. Ingressus igitur impius in templum Apollinis, jussit adduci sanctum ac reliquos. Postquam introducti sunt, coegit eos sacrificare impuris dæmonibus, et dicit ad beatum Codratum: *Absiste a furore tuo, o homo; utquid genus tuum ac dignitatem contumelia afficis? Agnosce deos et salvus esto. Ego autem faciam ut medici citius te curantes faciant sanum. Time majestatem deorum, maximum Apollinem et Æsculapium, heroem Herculem, omnium regem Jovem,*

Φοβήθητι τὴν μεγαλοπρέπειαν τῶν θεῶν, τόν τε μέγιστον Ἀπόλλωνα, καὶ Ἀσκληπιόν· τὸν ἥρωα Ἡρακλῆν, τὸν πάντων βασιλέα Δίαν· τὸν τρισμέγιστον Ἄρεα· τὸν Ποσειδόνα· ἄρα οὐδέποτε ἔπλευσας καὶ ἔγνως αὐτοῦ τὸν φόβον; Πρόσκύνησον δὲ καὶ τῷ λάμποντι εἰς τὴν οἰκουμένην ἡλίῳ· μὴ καὶ οὗτος ἀπέθανεν ὡς σὺ βλασφημων λέγεις; μὴ οὐκ ἔστιν ἐν οὐρανῷ; Ὁ δὲ μακάριος Κοδράτος εἶπεν· Ἐγὼ προσκυνῶ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ· καὶ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ Υἱῷ Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· νεκροῖς δὲ εἰδώλοις οὐ προσκυνῶ, δαίμονας ὄντας, οὐδὲ φοβοῦμαι αὐτούς, ἔργα χειρῶν ὄντας. Ἔτι γὰρ μικρὸν, καὶ ἀπελεύσομαι πρὸς τὸν Κύριόν μου· σὺ δὲ κακεγκάκως οἰμώξεις· δι ὅτι οὐκ ἠθέλησας γνωρίσαι τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, τὸν ζωὴν σοι χαρισάμενον. Υἱὲ τοῦ σατανᾶ καὶ ἀκάθαρτε καὶ μαινόμενε κύων· αἱμοπότα δράκων· ἀγριώτερε τῶν θηρίων, καὶ σαρκοφάγε ρομφαία· οὐκ αἰσχύνει θύων τοῖς λίθοις δημοσίᾳ ἐπι τοσούτου πλήθους τοῖς μηδενὸς μεταλαμβάνουσιν; Οἱ μάγιροι σεμνότεροι ὑμῶν ὑπάρχουσιν οἱ δοκοῦντες δοῦλοι εἶναι ἀνθρώπων· καὶ γὰρ κατ οἴκων σεμνῶς θύουσι· εἰς μετάληψιν τῶν ἀνθρώπων· ὑμεῖς δὲ οὐκ αἰσθάνεσθαι δημοσίᾳ δαίμοσιν θύοντες ἀναισθήτοις. Ἐλθέτω, ἄφρονες ὡς ἀληθῶς, ὁ δεχόμενος τὴν θυσίαν· ὀφθήτω· ζητησάτω ἀφεαυτοῦ· δεξάσθω· φαγέτω· εἰπάτω ὁ λίθινος ὑμῶν θεὸς τί θέλει τυθῆναι αὐτῷ· αἶγα ἢ βοῦν· ἢ ὄρνεον τιμιώτερον αὐτοῦ. Αἰσχύνθητε, τέκνα αἰσχύνης· ὑμεῖς γὰρ μανιώδεις

ter maximum Martem, Neptunum. Numquamne navigasti et cognovisti ipsius timorem? Adora autem et lucentem universæ terræ solem; num et iste mortuus est, ut tu blasphemans dicis, numquid non est in cœlo? Beatus autem Codratus dixit : *Ego adoro verum Deum et unigenitum ejus Filium Jesum Christum et sanctum Spiritum; inanima idola non adoro; dæmones sunt, neque timeo eos; opera manuum sunt. Adhuc enim modicum, et abibo ad Dominum meum. Tu autem pessime lugebis; quia noluisti agnoscere verum Deum vitam tibi largitum. Fili Satanæ et impure ac furiose canis, sanguinem bibens draco, sævior feris, et carne vescens gladie, non pudet sacrificantem lapidibus publice coram tanta multitudine, iis qui nihil accipiunt? Coqui mactantes graviores vobis sunt, quamquam videntur servi esse hominum. Etenim per domos graviter immolant ad susceptionem hominum. Vos autem non habetis sensum, publice dæmonibus immolantes sensu carentibus. Veniat, o vere amentes, qui suscipit victimam, aspiciatur, quærat sponte sua, accipiat, manducet; dicat lapideus vester deus quid velit sacrificari sibi, capram, an bovem, an volucrem honorabiliorem ipso. Pudeat vos, filii confusionis; vos enim furore pleni nos sapientes furere opinamini.* At hæc dicente martyre, stomachatus proconsul, jussit aceto irri-

ὄντες, ἡμᾶς τοὺς σωφρονοῦντας, μαίνεσθαι νομίζετε. Καὶ ταῦτα λέγοντος τοῦ μάρτυρος, θυμωθεὶς ὁ ἀνθύπατος, ἐκέλευσεν ὀξάλμῃ καταβρέχεσθαι αὐτοῦ τὰς πληγὰς, καὶ τριχίνοις τρίβεσθαι. Ὡς δὲ ἡσύχασεν ὁ ἅγιος, κελεύει ὁ ἀσεβὴς πεπυρωμένα σίδηρα πρὸσφέρεσθαι αὐτοῦ τὰς πλευράς· ὁ δὲ ἅγιος μακροθύμως φέρων τὴν ἀλγηδόνα, ἡσύχως πρὸσηύχετο· ἀτονησάντων δὲ τῶν δημίων, ἐκέλευσεν κατενεχθῆναι αὐτὸν καὶ ἐγκλεισθῆναι εἰς τὴν φυλακήν.

15. Τῇ ἑξῆς πάλιν ἐκέλευσεν ὁ ἀνθύπατος προάγειν αὐτοῦ τὸν ἅγιον ἐπὶ τὴν Ἑλίσποντον νῆσον· καὶ διαβὰς τὸν Ῥύνδακα ποταμὸν καὶ ἀπαντηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἐκεῖσε ἡγεμόνος, καὶ τῶν ὄχλων τῶν ἀπὸ βωμῶν τῶν ἐκεῖσε συναχθέντων, εὐφημεῖν αὐτὸν δῆθεν θελόντων, τῇ δὲ ἀληθείᾳ ἐπιθυμούντων ἰδεῖν τὸν τοῦ Χριστοῦ ἀθλητήν· ἦν γὰρ ἡ φήμη αὐτοῦ ἤδη διαδραμοῦσα κατὰ πᾶσαν οὐ μόνον τὴν Ἀσίαν, ἀλλὰ σχεδὸν καὶ τὴν οἰκουμένην, ὡς ὑπὲρ φύσιν ἀγῶνας ἐνεδείξατο ἐν τῇ μαρτυρίᾳ αὐτοῦ· ἐκέλευσεν δὲ πάντας ὁ ἀνθύπατος εἰς τὴν ἔμπροσθεν κώμην προάγειν τὴν λεγομένην Σερούκωμην· δια τὸ εἶναι ἐκεῖ πολλὰ εἴδωλα ἡδρυμένα. Καὶ μείνας ἐκεῖ, τῇ ἕωθεν καθίσας πρὸσέταξεν ἀχθῆναι αὐτῷ τὸν ἁγιώτατον μάρτυρα Κοδράτον. Ὁ δὲ πᾶς ὄχλος συνήχθη ἐπὶ τὸ θεωρεῖσαι τὴν ἄθλησιν τοῦ μακαρίου ἀνδρός. Ὁ ἅγιος οὖν ἐλθὼν ἀσκοῦ δίκην ἐμπιπραμένος καὶ τῷ αἵματι περιρεώμενος, ὅμως ἱλαρὸν τὸ ἑαυτοῦ πᾶσιν ὑπεδείκνυεν πρόσωπον· καὶ μειδιῶν ἦν, ἐν τῷ αὐτὸν ἕλκεσθαι ὑπὸ τῶν

gari ejus plagas et pannis e pilis factis fricari. Ut autem requievit sanctus, jussit impius ignita ferramenta admoveri ipsius ad latera. Sanctus vero longanimiter ferens dolorem, tranquille orabat. Defatigatis autem carnificibus, jussit deponi eum et includi in custodiam.

crate ignita in insula Hellesponti fortior, ibi decollatur.

15. Sequenti die iterum jussit proconsul duci ante se sanctum in Hellespontum insulam, trajectoque Rhyndace fluvio obvius illi factus est illius loci rector et turbæ ab aris eo collectæ, acclamare eum scilicet volentes, re autem vera desiderantes videre Christi athletam: erat enim fama ejus jam perlapsa per totam non modo Asiam verum ferme et terram, ut qui supra naturam certamina exhibuisset in confessione sua. Jussit vero omnes proconsul in objectum vicum procedere, dictum Serivicum, propterea quod erant ibi multa idola constituta. Et moratus ibidem, inde a diluculo considens præcepit ut duceretur sibi sanctissimus martyr Codratus. Tota autem turba coacta est ad videndum certamen beati viri. Sanctus itaque utris ad instar inflammatus et sanguine manans, nihilominus lætum suum omnibus ostendebat vultum, et subridens erat, cum traheretur a carnificibus. Nam propter illata ei infinita tormenta jam non valens

δημίων· δια γὰρ τὰς ἐπενεχθήσας αὐτῷ ἀπείρους βασάνους μὴκέτι ἰσχύων περὶπατῆσαι, ἐπι ἁμάξης ἐκομίζετο ὑπὸ τῶν δημίων. Ὡς δὲ παρέστη ἐνώπιον τοῦ ἀνθυπάτου, ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἐσωφρόνησας τὸ λοιπὸν, Κοδράτε, ἢ οὐδέπω; Ὁ δὲ ὑπὲρ δύναμιν χρησάμενος φωνὴν, ἔφη· Ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων σωφρονῶ· ἐκ κοιλίας μητρός μου χριστιανός εἰμι· καὶ ἄλλον Θεὸν οὐκ οἶδα, πλὴν τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τότε ὀργισθεὶς ὁ ἀνθύπατος ἐκέλευσεν πυρὰν ἀναφθῆναι μεγάλην, καὶ ἐπιτεθῆναι τὴν ἐσχάραν· τῶν δὲ ὑπηρετῶν ἁψάντων τὴν πυρὰν, οὕτως ἐπυρώθη ἡ ἐσχάρα ὥστε γενέσθαι αὐτὴν ὁμόχροον τοῦ πυρός· καὶ ἐκέλευσεν ἐπιτεθῆναι τὸν ἅγιον ἐπ αὐτῆς. Ὁ δὲ μακάριος Κοδράτος εἶπεν· Ἐγὼ ἀφ' ἐμαυτοῦ ἐπιβαίνω τὴν ἐσχάραν καὶ οὐ μέλλω· καὶ ποιήσας τὴν ἐν Χριστῷ σφραγίδα, ἐπέθηκεν ἑαυτόν· επέβαλλον δὲ οἱ διάκονοι τοῦ διαβόλου ἐπὶ τὴν ἐσχάραν πίσσαν καὶ ἔλαιον καὶ στιπῦον. Ὁ δὲ ἅγιος ἔψαλλεν· Ὁ Θεὸς εἰς τὴν βοήθειάν μου πρόσχες· Κύριε, εἰς τὸ βοηθῆσαί μοι σπεῦσον· αἰσχυνθήτωσαν καὶ ἐντραπήτωσαν οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχήν μου· ἀποστραφήτωσαν εἰς τὰ ὀπίσω καὶ καταισχυνθήτωσαν οἱ βουλόμενοί μοι κακά. Καὶ πληρώσας τὸν ψαλμὸν, ὡς ὡρῶν δύο διαγενομένων, χλευάζειν ἤρξατο τὸν ἀνθύπατον, λέγων· Τὸ πῦρ σου τοῦτο ψυχρόν ἐστιν· καὶ τὰ σίδηρα τῆς ἐσχάρας ἁπαλώτερά ἐστι τῆς καρδίας σου· καλῶς οὖν ἐποίησας κεκοπομένον με ἀπὸ τῆς ὁδοῦ διαναπαύσας ἐπὶ ταύτης τῆς τρυφερᾶς.....

ambulare, in curru vehebatur a carnificibus. Ut autem astitit coram proconsule, dixit ad eum : *Sapiens factus es in posterum, Codrate, an nondum?* Hic vero ultra vires usus voce, dixit : *A teneris unguiculis sapiens sum, ab utero matris meæ christianus sum, et alium Deum non novi præter Dominum meum Jesum Christum.* Tunc iratus proconsul jussit rogum incendi magnum et imponi craticulam. A ministris autem accenso rogo, sic candefacta est craticula ut fieret ipsa concolor igni. Et jussit imponi sanctum in ea. Beatus autem Codratus dixit: *Ego mea sponte ineo craticulam, et non hæsito.* Factoque quod in Christo est, signaculo, imposuit seipsum. Injiciebant autem ministri diaboli in craticulam picem et oleum ac stuppam. Sanctus vero psallebat : *Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina; erubescant et revertantur qui quærunt animam meam; avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala.* Et completo psalmo, quasi horis duabus dilapsis, irridere cœpit proconsulem, dicens : *Ignis tuus hic frigidus est et ferramenta craticulæ molliora sunt corde tuo. Bene igitur fecisti, fatigato mihi ab itinere data hac requie in hoc molli.....* (reliqua in codice desunt, et sequuntur

in latinum conversa ex editione slavonica :).....*lectulo. Jam sat quievi, viresque cœpi.* Atque hæc dicens, sanctus martyr sese in craticula vertebat, ac si in lecto molliter strato jaceret. Multo autem tempore præterlapso, cum ignis eum nullatenus attigisset, jussit eum præfectus a craticula deponi et extra urbem ductum in colle vicino capite plecti. Qua sententia percepta, beatus Condratus cœleste regnum appetens, canebat : *Benedictus Dominus, qui non dedit me in captionem dentium eorum.* Quidam etiam ex fratribus qui eum sequebantur, concinebant ei. Ubi vero pervenit ad locum in quo erat obiturus, absolvit psalmum longamque fudit precem. Qua peracta, gratiisque Deo persolutis, genuflexus collum tetendit et capite truncatus est in bonam confessionem Domini nostri Christi, cui gloria et laus nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

ACTA S. STEPHANI I

PAPÆ ET MARTYRIS

EDITA SECUNDUM VERSIONEM ARMENIACAM

STUDIO ET OPERA

PAULINI MARTIN

LECTORIS SCRIPTURÆ SACRÆ

IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI.

De his Actis satis fuse disseruimus in Periodico *Revue des Questions Historiques*, tom. XXI (1877), p. 569-582; ubi ostendimus illa, quamvis, præsertim quod ad formam scribendi et ad notitiam locorum spectat, non eas antiquitatis notas præ se ferant quas Acta latina edita a Bollandianis ad diem 2 Augusti, nævis tamen carere quibus hæc fœdata, præter alios ipsi Bollandiani (1) et recentius doctissimus vir Joannes Baptista de Rossi (2) agnoverunt. Elaborata censeri possunt, nostro judicio, secundum textum quemdam græcum, seculo X vel XI, quo tempore multam operam posuerunt Armenii in hoc genere scribendi, immo ante seculum X seu ante tempora Simeonis Metaphrastæ (3). Sed et Patres Mechitaristæ, qui textum eorum armeniacum ex codice Veneto (cujus nec numerum nec ætatem indicarunt) in sua collectione de Vitis et Martyriis Sanctorum Venetiis anno 1874 edita, publici juris fecerunt, eadem referunt ad auream ætatem litteraturæ armeniacæ, id est ad seculum V vel VI: et certe nihil in iis legitur unde hæc opinio falsa demonstrari queat.

Eumdem textum armeniacum reperimus Parisiis in codice Bibliothecæ Nationalis, qui inter Armeniacos notatus est numero 46, C. miræ amplitudinis, quippe qui altitudine metri 0,60, latitudine 0,30 excedat. Tota illius codicis scriptio triplici columna exarata est, charactere illo quem Armenii quadratum seu *polorquir* appellarė consueverunt. Acta S. Stephani folia 128, 129, 130 et 131 ac proinde columnas viginti quatuor occupant. Ea, quantum fieri potuit, ad verbum latine reddita hic exhibemus. Quasdam voces in lacera summa parte foliorum minus distincte apparentes ex conjectura supplere oportuisset, nisi præ manibus habuissemus Venetam editionem. Quum autem hæc editio præsto

(1) *Act. SS.*, Commentarius prævius ad Acta S. Stephani, num. 65, tom. I Aug., p. 126. — (2) *Roma Sotterranea*, tom. II, p. 90. — (3) Cfr. *Revue des Quest. Hist.*, tom. cit., p. 574-578.

nobis esset, res omnino facilis evasit, neque amplius conjicere necesse est an hoc vel illud vocabulum legendum sit. Has tamen voces uncinis inclusas diligens lector advertet. Indicandum etiam duximus, litteris crassioribus item uncinis inclusis, quæ singulis codicis columnis Actorum pars contineatur.

Porro, præter textum armeniacum editionis Venetæ supra citatæ, contulimus cum nostra versione diversa acta latina SS. Stephani, Xysti et Tertullini, quæ exhibent codices Parisienses latini 9728, 9739, 9742 (acta a Bollandianis edita), 10365, 10872 et 14363, et codicem 251 Supplementi Græci, in quo legitur recensio Simeonis Metaphrastæ.

P. Martin.

Die trigesima octobris (1) martyrium sancti Stephani, patriarchæ Romani, et eorum qui cum eo passi sunt.

Indicta persecutione, clerum animat S. Stephanus

1. Tempore quo Romanorum potestatem suscepit Oulerianus (2) cum Gallieno filio suo, ab initio se christianis adversarium non ostendit; quin imo illis multam benevolentiam præstitit, ob suam perfidiam (3). Attamen paulo post ab ariolis deceptus, malitiam quam astute occultaverat, revelans, cœpit excitare persecutionem adversus Ecclesiam Christi, sanctosque et justos exagitavit. Primum christianis qui capti fuerant, varia promissa sunt proposita; sed postea grandia tormenta trucesque minæ fuerunt objectæ, crudeliterque a carnificibus vexati sunt (4) (qui in vinculis detinebantur). Tunc beatus Stephanus, patriarcha Romanus, cujus pugnam enarrat sermo proxime sequens — quoniam nullo modo impar erat legi sedis suæ, similis factus Petro apostolorum principi virtute atque martyrio, vigesimus et tertius post apostolos existens, successor Elie-

(1) *Omittit editio Veneta, prout exhibetur in opere cui titulus* Vitæ et martyria sanctorum ex armeniacis codicibus, *t. I, p. 340 sqq.* — (2) *Ita armeniaca versio effert nomen* Valeriani, *sicut pro* Valerio *ponit* Oulerium. — (3) *Cfr. in hæc primordia imperii Valeriani, quæ dicunt Dionysius Alexandrinus (Migne, P. L., t. IV, col. 1083), Trebellius Pollio (ibid., col. 1082), Cyprianus (ibid., col. 429-430), Eusebius,* Hist. eccl., *VII, 10, et alii.* — (4) *Verba subinde in parenthesi ( ) posita, ea sunt quæ adjicienda duximus ob nimiam armeniaci sermonis brevitatem. Alia uncinis inclusa [ ], ea sunt quæ in codice Parisiensi minus apparentia, reddidimus ex editione Veneta, ut diximus in Præfatione.*

ghioci (1) et antecessor beati Xysti — quum adunasset omnem ecclesiam, dixit : *Hoc ne vos lateat, scilicet per labia violentum ipsum fraudulentum* (2) *loqui, et adducere* [**fol. 128a, col. 2**] *super christianos ineluctabiles pœnas et tormenta. Illis quos decepit, quotidie honores et gloriam quibus molles multi vincuntur, proponit. Vos autem, carissimi mei, utpote evangelicæ prædicationis spiritualisque regenerationis filii, foras terrena super terram excutite, animoque sursum volantes, cœleste regnum petite. Nolite pertimescere corporalia tormenta, quæ temporaria sunt, sed eum qui animam et corpus torquere potest in æternum.* Bonus, presbyter, os multitudinis factus, pro omnibus vocem elevans, dixit : *Nos, o domine, foras genus, gloriam, honores et omnia mundana projicientes, exinde, Christo nos confortante, libenter fundemus sanguinem nostrum propter nomen ejus, quoniam propter nos peccatores effudit ipse sanguinem sanctum suum. Tuis tantum precibus, tuaque doctrina amica Christo* (3) *ne cesses confirmare nos.*

et quosdam ordinat ; plurimos baptizat,

2. Hæc quum dixisset, cleri ordo universus a pontifice Dei expostulavit ut qui in populo imperfecti (4) sed tamen edocti [**fol. 128a, col. 3**] existebant, ipsius ministerio digni haberentur perfectione et regeneratione. Tunc sanctus pontifex præcepit congregare sine mora omnes et sacri baptismi officium perficiens, spiritualis piscinæ generatione eos illuminavit ; atque post baptismum fidelis doctrinæ verbo eos consolidans, christianos plus centum et octo benedixit. Quadam porro die, pontifex Dei eos qui ordines suscepturi erant, ordinavit, nempe tres presbyteros, septem diaconos, et alios qui in aliis gradibus stabant sexdecim. Post hæc multi ex græcis (5) qui hic habitabant et qui catechizati erant in verbis pietatis, baptizati sunt a pontifice Dei.

et inter hos Nemesium tribunum,

3. Inter quos vir quidam, demarchus (6) potestate — quod interpretatur populi dux — cujusque nomen Nemesius (7).

(1) *Ita Armenii, nominum pessimi corruptores, vocare solent beatum Lucium, sancti Stephani antecessorem.* — (2) *Diabolum nempe,* omni astutia (pansargoun) *plenum.* — (3) *Ad verbum* Christophila. — (4) *Id est, vel* non baptizati *vel* non confirmati. — (5) *Ita ethnicos seu paganos vocat interpres armeniacus.* — (6) *Inde colligere licet versionem armeniacam factam esse ex græco archetypo.* — (7) *Cod. noster Parisiensis hic legit* Nestorius ; *sed manifesto erravit scriba, ut ex sequentibus liquet.*

Hic veniens ante (pontificem) cum filia sua, cui nomen erat Lucilla, expostulavit sanationem illuminationemque sancti baptismi. Tunc pontifex dixit ei : *Si credis toto corde tuo in omnisanctam Trinitatem, in tribus personis existentem,* **[f. 128b, col. 1]** *in una vero natura et divinitate confessam, et* (1) *[si] post hæc [credis] in salvificam incarnationem Christi, et quidem in hanc non specie nescio quocumque modo [factam] sed vere ex massa nostra [constantem], duobus in unum convenientibus, [et si credis in Christum] Patri et Spiritui sancto æqualem, accipies quod postulas* (2). Porro vir ille sapiens [promisit] servare ipsam illam fidem (3) quam a sancto pontifice didicerat. Illius autem filia, cæca a nativitate existens, oculos habebat luce privos. At quum ambo (pater nempe et filia) sanctæ piscinæ appropinquassent et sacramentalia verba dicta fuissent, illuminati sunt sancto baptismate.

4. Sed quum Nemesius et filia ejus ex piscina sublati fuissent, filia elevata voce viriliter (4) dixit : *Ecce ego video hominem rutilantem qui appropinquans oculis meis, cœlestibus radiis qui eum circumdant, permisit mihi omnia videre visibilia.* Porro beatus pontifex ipse manibus suis sustulit eos de piscina et bis paternum affectum ostendit eis (5). Multi etiam alii eadem die sancto baptismate atque remissione peccatorum digni sunt habiti; unde postea innumerabilis facta est multitudo credentium. (Sanctus autem pontifex Dei) beatum Nemesium ordinavit (6) **[f. 128b, col. 2]** diaconum, ut inserviret sanctæ Ecclesiæ.

cujus filiam Lucillam cæcitate liberat.

5. Porro, quum vir spectabilis et notissimus (7) esset (ille Nemesius), non potuerunt latere duces exercitus ejus fides, baptisma diaconatusque ministerium : unde isti hoc retulerunt imperatori (8). Rex vero convocans Oulerium (9) et

Maximi consulis idolomania punitur, orante Nemesio.

(1) *Quædam verba sunt pene erasa, sed absque difficultate restitui queunt.* — (2) *Armeniaca versio* quod vis. — (3) *Armeniace legitur* confessionem. — (4) *Armen.* zaIrmart. — (5) *Armen. legitur* confirmavit in eis. — (6) *Ad litteram* manum imposuit, *quod græce dici solet* ἐχειροτόνησε. — (7) *Armen.* manifestus. — (8) *Armen.* regi, *et sic ubique deinceps.* — (9) *Ita codices armeniaci. Significatur hic tempus quo simul consules erant* L. Valerius Maximus *et* M. Acilius Glabrio. *Vide* J. Klein, Fasti consulares, *Lipsiæ 1881. Cfr.* Act. SS., *Commentarius prævius ad Acta S. Steph., num. 58 (t. I Aug., p. 125).*

Maximum, qui erant exercitus duces, quique capti erant errore idolorum Martis, præcepit eis ut apprehenderent Nemesium, atque alapis primum cæsum ad tribunal judicis eum deducerent. Ipse autem Nemesius divina confortatus gratia, egenos invisebat christianos, ipsis bona sua distribuens secundum uniuscujusque necessitates. Porro quadam nocte, dum iret via quæ vocatur Appia et solitas eleemosynas egenis distribueret, propinquus factus est cuidam templo idolorum, et vidit Oulerium Maximumque idolis fœda offerentes sacrificia. Unde cœlesti confortatus zelo, genua ad universorum Deum humilians, rogavit ut impii qui impietatis suæ opera exercebant, pœnas luerent juxta iniquitatem suam. At quum preces ejus **[f. 128b, col. 3]** in labiis essent — seu potius in cœlo quam in labiis — Maximum arripuit dæmonum caterva, atque eum ad terram conterens, vexavit multum. Quapropter impius (1) ille, factus os atque lingua impuri dæmonis, clamabat dicens : *Christianus quidam nomine Nemesius, transit foris juxta templum, orationibusque suis me torquet. Apprehendite* (2) *illum, antequam discedat; apprehendite illum atque alapis cædite.* Tunc igitur dæmonum ministri arripuerunt (Nemesium) juxta consilium dæmonum, atque alapis eum petiverunt. Beatus (3) autem diaconus et martyr Christi resistebat tormentis. Maximus vero impius, juxta id quod merebatur audacia ejus, strangulatus ab impuro dæmone cui sacrificia offerebat, occubuit. Unde meritas dedit pœnas juxta orationem sancti diaconi, atque inde ad futura et numquam cessatura tormenta cum suis ministris (transiit).

qui captus et fidem professus detruditur in carcerem,

6. Mortuo impuro Maximo, extemplo deduxerunt milites sanctum Nemesium ad Oulerianum judicem. Qui quum eum vidisset, dixit ei : *Quomodo sapientia tua ita imprudens facta est? Tu qui nobis præ omnibus aliis inter consiliarios electus eras, stultus factus es, deorumque amorem in odium commutasti! Quomodo in tantam incidisti iniquitatem* **[fol. 129a, col. 1]** *et stultitiam ut [Deos deserens] quos ab incu-*

(1) *Armeniace* non sanctus. — (2) *Armen.* attingite. — (3) *Editio Mechitaristarum ponit* spectabilis.

nabulis adorabas, alios sequaris, majoribus tuis ignotos? Quod si festinanter non revertaris huc unde excidisti, vesaniam relinquendo tuam, talibus ministris paratam legum animadversionem inducis super te. Has leges tu optime nosti. Beatus porro Nemesius illi primo non dedit responsum; sed torrentem lacrymarum effundebat, quia recordabatur prioris erroris sui errorisque parentum suorum, qui in cultu deorum mortui erant. Deinde vero fletus cohibens, dixit : *O judex, quomodo tu mihi in mentem revocas* (1) *priores mores meos moresque parentum meorum, sapientiam habendo ut stultitiam? Ego flens doleo perditionem meam, perditionemque parentum meorum qui in cultu idolorum mortui sunt. (Doleo errorem) meum, quoniam ignorantia peccans multos sanctos condemnatos cruciavi. Quare validius Christi amore inflammor, sciens eum esse impietatis meæ purificatorem. Quod si nunc priorem meam impietatem ita expio, quanto magis vera scientia donatus omnem* [**fol. 129a, col. 2**] *vilitatem impietatisque dementiam tanquam nugas foris ejicio? Hoc amplius sit tibi notum quod nihil me poterit separare ab amore Christi, neque honores* (2), *neque gloria, neque judicum minæ, neque carnificum tormenta. Hoc etiam fidenter assero — confidens in virtute Christi — quod nemo poterit separare filiam meam a Christo, quoniam a tenebris mentis et corporis liberata est* (3) *secunda sanctæ piscinæ generatione, per manum pontificis Dei sancti Stephani.* Hæc quum audivisset violentus (judex), intolerabili plenus ira dixit : *Non obliviscor — etsi te affectu complexus sim — quod magiis tuis meum in exercitus moderamine collegam* (4) *cruciasti, terribili plaga eum afficiens atque crudeli morte vitam illi auferens. Scio quod etiam nunc contra salutem meam scientiam exerces tuam et infestiores prioribus sermones profers.* Tunc præcepit judex bona Nemesii vendere (5), filiamque ejus tradidit impiæ cuidam et impuræ mulieri.

7. Deinde jussit adducere Serapionem (6), qui erat procurator domus Nemesii, et tradidit eum in manus cujusdam

uti et
Lucilla
et

(1) *Ad litteram* coram me affers. — (2) *Ad litt.* magnitudines. — (3) *Ad litt.* spoliata. — (4) *Ad litt.* conducem. — (5) *Ad litt.* foras emittere. — (6) *Cod. Bollandianorum* Symphronium. *Baron. Metaphr.* Sempronium.

Symphronius ejus œconomus;

viri qui vocabatur Olympius et erat tribunus exercitus (1), jubens ut [**f. 129a, col. 3**] illum fideliter scrutaretur. Porro Olympius cum apprehendisset Serapionem, dixit ei : *Duo sunt coram te, ex præcepto judicis, posita; quod mavis, perfice, antequam tradaris tormentis : scilicet in medium adducere debes res domini tui Nemesii, et deinde idolis sacrificandum est.* Responsum dedit Serapion dicens : *Bona domini mei, o judex, jam pridem Christus recepit, quoniam in manus pauperum omnia divisit dominus meus. Quod spectat sacrificium lignis et lapidibus præstandum, rogo ne tu hoc illis præstes, neque cuipiam alicui rei quæ est creatura et imago Dei.*

cujus precibus idolum defluit

8. Tunc Olympius præcepit Serapionem (2) virgis nodosis cædere, super faciem trahere, atque ad impurum Martis templum deducere; eumque rogabat ut cum thure victimas idolis auro coopertis offerret. Beatus autem martyr Christi in oratione perseverans, a Deo poscebat ut virtutem suam ostenderet, idolorum simulacra conterendo. Unde extemplo corruentia facta sunt idola. Quod videns Olympius, admiratione perculsus est, multumque mirabatur virtutem Christi. Sanctum igitur martyrem Serapionem dedit Tertullo cuidam, qui erat præpositus domui suæ, (3) [**f. 129b, col. 1**] [et ipse domum festinanter rediens, mirabilia ista narravit uxori suæ, cujus nomen erat Pieria (4)], et filio suo, cui nomen Theodulus. Porro istorum Deus illuminavit (5) mentem, ut intelligerent quisnam esset verus Deus.

et convertitur Olympius tribunus, cum uxore et filio

9. Unde noctu accersito seorsum in interiora domus sancto Serapione, cœperunt ignorantiæ errorem confiteri, et pœnitentia capti amare flebant, expiationem curantes, ut salute digni evaderent. Quare intrantes in locum ubi erant idola atque ornatus præparata, illa foras ejicientes posuerunt ante Serapionem, quem ut vitæ suæ dominum

(1) *Armeniace* Dripoun. *Monuisse sufficiat ab Armeniis generatim litteras* B *loco* P, D *loco* T *atque vice versa adhiberi. Unde codices nostri ubique legunt* Ponus, Pasilius, Pessus, Bieria, Serabion, etc. — (2) *Codex Paris. legit* Nemesium. — (3) *Quæ sequuntur uncinis inclusa, ex edito Mechitaristarum supplevimus, quum in codice Parisino hic locus laceratus esset.* — (4) *Ita Armenii legunt nomen* Exuperia. *Cfr. infra, num. 12* Bieria. *At num. 14* Exuperantius. — (5) *Ad litt.* aperuit.

habebant. Tunc Serapion Olympio præcepit ligneos, lapideos testaceosque (deos) suis manibus frangere, aureos autem et argenteos comminuere et dare pauperibus. Hocque velocius factum est. Porro, quum idola fracta fuissent, dum adhuc isti erant in domo, vox e cœlo audita est : *Ex hoc deinceps super vos requiescet Spiritus meus, et perfectam accipietis salutem novæ regenerationis.*

a Stephano baptizatus.

10. Quod audiens Olympius cum domesticis suis, amplius in fide confirmati sunt. Unde rogabant (1) [**fol. 129b, col. 2**] [Serapionem ut digni haberentur sancto baptismate. Serapion de his certiorem fecit Nemesium], Nemesiusque magnum pontificem Stephanum, qui lætitia plenus et sine mora domum petens Olympii, illorum fide perspecta idolorumque considerata strage, eos continuo baptizans filios effecit Patris cœlestis. Neque eos tantummodo (baptizavit) sed et omnes illos qui, in domo Olympii existentes, digni habiti sunt audire vocem cœlestem quæ in domo Olympii ante baptismum ejus insonuit.

Nemesii et Lucillæ martyrium ; et S. Stephani caritas.

11. Porro, tribus elapsis diebus, harum rerum fama pervenit ad Oulerianum judicem, (2) [qui hæc nuntiavit Gallieno imperatori, filio imperatoris Valeriani]. Iste autem jussit beatum Nemesium cum filia quæ visum recuperaverat (3), occidere. Quum autem beatum deducerent ad locum cædis inter duas vias quæ vocantur via Appia et via Latina, consilio habito, primum voluerunt occidere filiam ejus, dicentes fore ut affectu viscera Nemesii commoverentur, et tunc iste ad supplicationes converteretur. Beatus autem martyr, mortem filiæ summum gaudium reputans, quum occisam eam vidisset, lætatus est lætitia magna, exclamans et dicens: *Accipe, Christe, rationale sacrificium quod tibi libens offero, primum fructum ventris mei.* [**f. 129b, col. 3**] Simili modo eum occiderunt in eodem loco. Quod audiens magnus pontifex Dei Stephanus, venit de nocte et sancta immolatorum corpora elevans, in decenti loco posuit, super ea benedictiones

(1) *Locus qui sequitur in uncinis, abrasus etiam erat vetustate codicis.* — (2) *Quod sequitur uncinis inclusum, deest in codice Parisiensi.* — (3) *Ad litt.* cum illuminata filia sua.

perficiens, secundum honorem martyribus debitum, atque adveniente aurora ivit in locum suum.

Symphronius Olympiue cum conjuge et filio sistuntur tyrannis;

12. Extemplo igitur præcepit violentus (tyrannus) beatum apprehendere Serapionem (1) atque eum adducere coram se. Tunc carnifices, jubente judice, eum ligarunt ferreis vinculis, et ponentes machinam aliquam super collum ejus, eum ita deduxerunt ad tribunal Ouleriani judicis. Pium magistrum suum sequebatur miles Christi Olympius cum uxore sua Pieria et filio suo Theodulo. Quum igitur stetissent coram (judice), dixit judex : *Cur adversus deos nostros salutiferos rebellastis, et cur alium quemdam illis prætulistis, eum adorando?* Beatus igitur Serapion (2) quum appropinquasset, dixit : *Nos, o judex, non ita agimus, sed illi qui tibi similes existunt. Isti enim, relicto solius veri Dei servitio et famulitio, dæmonibus impuris dæmonumque simulacris inserviunt, lignea, lapidea* **[fol. 130a, col. 1]** *figulinaque vasa adorantes. Nos autem non possumus nostram salutem destruere, sanctitatemque nostram immundis idolorum sacrificiis commaculare. Vos autem vosmetipsos constituitis divinarum legum violatores, quoniam derelinquentes verum, absque initio et æternum Deum, temporaria et proxime peritura adoratis. Dii enim qui cœlum et terram non fecerunt, proxime peribunt.* Tunc imperator Gallienus, quum altiori throno sederet in tribunali et per Oulerianum judicem judicium perficeret, conversus ad Olympium, dixit : *Tu qui sæpe pietatem erga deos exhibuisti, quique multos, etiam non jubente me, ad illorum cultum adducebas, quomodo nunc eos non agnoscis?* Olympius dixit : *Ego me valde impuris et vilibus rebus* (3) *sacrificasse scio. Scio etiam a me condemnatos tortosque fuisse viros sanctos nullo peccato infectos: maculavi animam meam animamque eorum qui me audierunt. Hoc plane scio. Quapropter supplex et flens rogo Deum ut me ab infandis prioribus peccatis quibus ignorans commaculavi animam meam, purificare dignetur. Nunc autem, quoniam verum cognosco Deum ipsiusque* **[fol. 130a, col. 2]** *misericordiam,*

(1) *Codex Parisiensis perperam legit* Stephanum. — (2) *Cod. Paris. rursus ponit* Stephanum. — (3) *Armeniace* rebus anima privis.

nullum verbum, nulla tormenta, nulla amara mors poterit me separare ab amore ejus et in abyssum perditionis projicere.

tum flammis enecti sepeliuntur a S. Stephano.

13. Tunc imperator, ut fera campi ferociens, consilio cum Ouleriano inito, adversus eos sententiam tulit, præcipiens ut igni traderentur; jussumque illius velociter exsecutioni mandatum est (1). Porro quum in ignem cecidissent fortes Christi milites, Serapion, Olympius, Pieria et Theodulus, cœperunt laudare Deum qui eos dignos effecit ut cursum suum absolverent et ad immarcessibilem coronam pervenirent. Porro in laudatione sua sic loquebantur : *Gloria tibi, æqualis Trinitas, quæ nos dignos habuisti ut tibi omnem fructum suscipienti nos offerremus, rationali igne salvos effectos. Nunc igitur suscipe animas nostras.* Hoc dicentes, animas exhalarunt suas. Beatus igitur pontifex Dei, quum nox adventasset — quoniam vigilanti oculo gregis sui curam gerebat — pios de clero Ecclesiæ viros secum assumens, victorum martyrum corpora secreto sustulit, perfectisque canonicis laudationibus, ea deposuit in loco tribunali vicino (2).

Clerici 12 S. Stephani martyrium faciunt.

14. [**fol. 130a, col. 3**] Post hæc autem generalis persecutio excitata est adversus christianos. Quapropter requisierunt Stephanum episcopum et quotquot erant clericali ordini adscripti, omnibus qui eos indicarent, immensa bona promittentes. Quare post paucos dies de sanctis clericis capti sunt viri duodecim, qui gladio perempti, martyrum morte coronati sunt in Christo. Horum nomina sunt hæc: Bonus, Faustus, Mœbius, Promidius, Gamisius, Joannes, Exsuperantius, Cyrillius, Theodulus, Basilius, Bessus, Castus. Horum athletarum corpora elevans fidelis quidam (3) cui nomen Tertullus (4), cum magno honore sepelivit in loco qui vocatur via Latina (5).

(1) Ante statuam Solis juxta amphitheatrum, *addunt Acta latina.* — (2) Juxta viam Latinam milliario primo septimo Kalendarum Augustarum, Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus, *ferunt Acta Bollandiana, omittuntque* in loc. trib. vic. — (3) *Acta latina de Tertullo ita perhibent :* Quorum corpora collegit Tertullinus, licet adhuc gentilis. *Versio armeniaca fert :* fide perfectus. — (4) *Cod. Paris.* Tilius. — (5) Eadem die Kal. Augusti *addunt Acta latina.*

Tertullinus captus

15. Porro ille martyrum amans (1) erat œconomus Olympii, quocum illuminatus fuerat sancto baptismate. Unde se gerebat ut servus sanctorum martyrum. Quapropter non post multos dies secutus est et ipse (laudatos martyres). Marcus (2) enim quidam in eparchali dignitate constitutus, apprehensum Tertullum deduxit ad Oulerianum judicem. Quem quum vidisset violentus (judex), mutato vultu, eum ita allocutus est : *Bona domini tui* (3) [**fol. 130b, col. 1**] *[Olympii redde libenter, ne tormentis amarisque cruciatibus crucieris]*. Tertullus dixit : *Si bona domini mei serio quæris, beatus es si vis ea tibi propria facere. Talem thesaurum, invisibilis quum sit, nisi unusquisque libens tradat, nemo potest eum ipsi demere. Ille possidet in cælo thesaurum quem latro furari non valet* (4); *qui postquam bona sua in manus pauperum distribuit, semetipsum deinde per ignem obtulit Deo in sacrificium. Et nunc, o judex, si dolores pauperum solatus fueris* (5) *nefandumque dæmonum cultum respueris, extemplo domini thesaurum in manibus reperies*. Quare iratus Oulerianus jussit Tertullum viridibus virgis acriter cædere. Iste vero ac si nihil essent, hæc tormenta subiens, maximo gaudio laudabat Deum, et quanto magis addebant tormentis, tanto magis in pietate invalescebat. Impius (6) judex super vulnera faces accendebat, sed beatus (Tertullus) adeo inflammatus erat amore Dei et plenus Spiritu sancto, ut facies ejus non mutaretur, etiam quum (7) [**fol. 130b, col. 2**] [violentus (judex) partes quæ vulnera passæ non erant, magis torqueret, quia (martyris) mentem immutatam videbat].

et sæpe tortus,

16. Eum igitur misit (judex) ad Sapricum, qui erat eparchus civitatis, ut eum per intolerabilia scrutaretur tormenta, et eum sive promissis sive tormentis ad sacrificandum idolis et ad bona domini sui tradendum adigeret. Sapricus (8)

(1) *Armeniace* V'gaïasser, *i. e. philomartyr, quod præclarum cognomen sortitus est Gregorius ille patriarcha (1064-1105), dictus* V'gaïasser *ob curam quam ostendit in colligendis, interpretandis et evulgandis actis martyrum.* — (2) *Editio Veneta ponit* Eparchus quidam, *sed perperam, ut nobis videtur.* — (3) *Quæ sequuntur in uncinis, fere erasa sunt in cod. Paris.* — (4) *Ad verbum* infurabilem. — (5) *Ad verbum* solveris. — (6) *Ad verbum* Dei pugnax. — (7) *Quæ sequuntur in uncinis, erasa sunt in cod. Paris.* — (8) *Codex Paris. hoc loco scribit* Apricus.

igitur, alto constitutus in tribunali, jussit coram omnibus ante se Tertullum sisti. Qui quum stetisset coram eo, cœpit eum interrogare de nomine et statu. Tertullus vero coram omni populo respondens, dixit: *Si vis nomen meum cognoscere, christianus sum; si vis statum, peccator sum et servus servorum Dei.* Cui iterum eparchus: *Servus es an liber?* Respondit beatus: *Jam semel dixi me servum esse servorum Dei. Si prius responsum in mente servasti, quid amplius simulas?* Sapricus dixit: *Sacrifica diis et da mihi bona domini tui, ut tormenta effugiens gloria et honore dignus habearis.* Beatus autem verba ejus spernens, dæmones appellavit (deos) fallacemque illorum cultum insimulavit. Quare [**fol. 130b, col. 3**] inflammatus ira eparchus, jussit lapidibus os (martyris) contundere. Hic vero tormenta ac si nihil essent, curans, Deo soli laudes offerebat, eo quod dignus habitus fuerat propter nomen ejus tormenta sustinere.

post insigne martyrium ab eodem pontifice sepelitur.

17. Postea præcepit (eparchus) eum extendere super lignum, atque nervos ejus fortiter fustibus cædere. Fortis autem athleta Christi hæc tormenta irridens, ne semel quidem aspicere violentum (eparchum) dignatus est. Unde Sapricus videns se a beato vinci, præcepto Ouleriani judicis adversus eum tulit sententiam, gladioque occidi jussit. Atque extemplo amputatum fuit fortissimo Christi martyri Tertullo caput, in ipsomet loco ubi dominus ejus, beatus Olympius, consummatus fuerat, via Latina (1). Illius autem corpus sanctus Dei pontifex Stephanus cum honore debito sepelivit, non longe a loco ubi consummatus fuerat (2).

Ipse S. Stephanus judici sistitur;

18. Non post multos dies (3) captus est et ipse beatus Stephanus, magnus Dei pontifex, beati Stephani cognomen gerens; et quoniam multos deduxerat ad cœlestem coronam, quorum ductor [**fol. 131a, col. 1**] fuerat factus secutor, illos tanquam suum olim Deo sacrificium offerens, eorum et ipse vestigia pressit. Porro quum stipatus multi-

(1) Secundo milliario *addunt Acta latina, omissis* in ipsomet loco ubi... — (2) *Addunt hic etiam Acta latina:* in crypta arenaria, pridie Kal. Augusti. — (3) Alia die, *aiunt Acta latina.*

tudine sacerdotum, diaconorum aliorumque Ecclesiæ famulorum ad tribunal judicis Ouleriani ductus fuisset, eum aspiciens violentus (judex), furore incensus, dixit: *Tu es Stephanus, qui Romanorum civitatem commoves, et deorum cultum labefactans populos multos ad perditionem ducis?* Respondit beatus patriarcha, et dixit: *Ego, o judex, non solum non concito Romanorum civitatem, sed contra qualibet hora eam consolido, juges ad Deum preces offerendo, excitatas a dæmonibus commotiones placando, omnibus unum verum Deum ipsiusque Filium unigenitum et Spiritum sanctum Patri Filioque æqualem* (1) *prædicando. Et hanc fidem nunquam cessavi neque cessabo omnibus proponere et prædicare. Imo in hac fide consolidatus, etiamsi decies mille mortes super me adducas, omnes absque difficultate sufferam.*

et, corruente Martis fano, liberatus,

19. [**fol. 131a, col. 2**] Tunc impius (2) Oulerianus jussit beatum vi adducere ad infandum idolorum templum, ibique eum violenter tractare, si forte sacrificaret: quod si vi non persuaderetur, tunc gladio vita privaretur. Porro quum (beatus Stephanus) accessisset ad idolorum simulacra, erexit oculos suos ad cœlum, omnibusque audientibus ita oravit: *Domine Deus, qui Chalane turrim evertisti eorum qui una mente Deum expugnare superbe meditabantur, illorumque consilium inane reddidisti, ipsorum confundendo linguas, tu idem ipse vanum fac et nunc diabolicum errorem istorum, omnipotentem potentiam tuam manifestando et idola perdendo illorum qui non solum omni potestati resistunt, sed et manifesto Deum oppugnant, creaturas loco Creatoris adorantes. Erubescere nunc fac eos inscrutabili sapientia tua, ut forte cognoscant te solum esse verum Deum.* Porro, quum ita locutus fuisset, fragor terribilis factus est tonitruum, strepitus et commotio violenta cum tremendis fulguribus et igne. Unde magna pars templi idolorum cum [**fol. 131a, col. 3**] diabolicis simulacris corruit, et milites terribili commotione tremefacti, relinquentes (beatum Stephanum) foras fugerunt.

quum suos

20. Tunc pius Christi martyr sanctus pontifex inde abiens,

(1) *Ad verbum* compotentem. — (2) *Ad verbum* Dei pugnax.

oratione et Sacrificio muniret,

petivit martyrium (1) sanctæ Lucilæ (2), quæ erat ex eadem civitate; et congregans omnes christianos qui erant in civitate, piis eos verbis consolabatur, eorum auribus divinum verbum repetendo : *Ne timeatis,* aiebat, *eos qui corpora occidentes, nihil amplius facere possunt. Illum autem timete qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.* Hæc et his multo plura dicebat ad gregem suum. Verum inde (exiens), in (quodam) loco cœpit peragere mysticum sacrificium, ministrantibus ei sanctis presbyteris diaconisque qui cum eo erant. Non enim spiritualibus tantum doctrinis suorum corda discipulorum confirmabat, sed vivificis, salutaribus orbemque recreantibus corpore et sanguine Jesu Christi unumquemque mundabat firmabatque in fide.

a supervenientibus militibus capite truncatus est.

21. Porro, dum sacrificium offerret, multi milites supervenientes circumdederunt [**fol. 131b, col. 1**] [templum Dei armis multis stipatisque catervis, attollentes vocem et gladios] agitantes, ita ut qui intus erant, crederent sanctuarium Dei commoveri. Beatus vero Stephanus clamorum vocibus non attendens et toto corde sacrificium prosequens, sese communicabat, dividebatque omnibus christianis mysterium quod peccata abluit. At dum forti animo sacrificium perficeret, milites fregerunt ecclesiæ portas, intrantesque gladio amputarunt caput ejus. Quare statim commixtus est martyris sanguis incorruptibili sanguini Christi. Unde hic etiam completum est mirum aliquod mysterium, maximorum bonorum pignus, quoniam omnibus manifestum evasit eos qui propter Christi nomen tormenta mortemque sustinent, non solum ipsi Christo similes, verum et cum eo unum fieri, secundum verbum Domini ipsius, qui tempore vivificorum suorum tormentorum dixit ad Patrem : *Quemadmodum tu, Pater, in me et ego in te, ita et ipsi in nobis sint.* Itaque quum sanctus vir Dei defunctus fuisset tali morte, milites reliquam multitudinem exire siverunt, qui tantummodo mandatum

(1) *Id est,* templum supra corpora martyrum constructum, *quod armeniace vocatur* V' gaĭaran. — (2) *Cod. Paris. ponit* Roughilossi, *quod interpretari potes* Lucinæ, *aut etiam* Cæciliæ. *Editio Veneta ponit* Loughiossi, *id est* Lucii, *sancti Stephani antecessoris. Acta latina legunt* ad cœmeterium sanctæ Lucinæ.

occidendi (Stephanum) acceperant. [**fol. 131b, col. 2**] [Tunc beati victoris elevato corpore, voce flebili sanctum pontificem luxit multitudo], atque ei dignum faciens monumentum, secundum honorem martyribus debitum, sepelivit eum in eodem martyrio sanctæ Lucinæ (1). Locoque illius, de placito totius multitudinis et de electione Spiritus sancti, ordinatus est super thronum pontificatus sanctus Xystus, qui vere erat dignus sancti Stephani discipulus.

Martyrium S. Tharsicii acolythi illustre miraculo.

22. Homo quidam, beatus Tarsicius nomine, clam corpori sancti Stephani famulabatur (2). Porro, quibusdam diebus transactis post mortem sancti (pontificis), consilium ineuntes idolorum cultores quidam, volebant auferre sanctum ejus corpus. Quare apprehendentes beatum Tarsicium, eum adigere tentabant ut illis corpus revelaret. Hic autem indignum putabat projicere reverendam margaritam ante porcos. Quare violenti sanguinisque avidi idolorum cultores eum fustibus percusserunt et lapidibus obruerunt, donec inter eos deficiens Christo tradidit spiritum. Verum hic mirum aliquid accidit : nam licet mortuus, non secus ac vivus, sanctum custodivit, nec illud tradidit manibus impuris eorum. Terror enim impios invasit; unde eum relinquentes aufugerunt. Quidam autem christiani martyrum amici [**fol. 131b, col. 3**] venerandum corpus Tarsicii elevantes, illudque psalmis, benedictionibus et canticis spiritualibus prosequentes, sepelierunt in digno loco. Ita martyrium passus beatus Stephanus sacerdotali martyrum decus consociavit honori, non solum seipsum ut acceptabilem hostiam Deo offerendo, sed eloquentia et doctrina sua multos alios ad Deum adducendo dum viveret, et etiam quum mortuus fuisset. Hujus igitur memoriam celebrant omnes Romanorum Ecclesiæ ipso die quo defunctus est, nec non et illorum qui per eum oblati sunt, in honorem sanctissimæ Trinitatis, in secula seculorum. Amen.

Octobris die trigesima festum sancti Stephani Romani patriarchæ (3).

(1) *Editio Veneta :* sancti Lucii. — (2) *Mirum est quam male intellexerit interpres armeniacus aut græcus quæ narrantur in Actis sancti Tharsicii de SS. Eucharistia quam pius martyr secum gerebat.* — (3) *Hæc ultima phrasis deest in editione Veneta.*

CATALOGUS
CODICUM HAGIOGRAPHICORUM
BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ
CIVITATIS NAMURCENSIS.

MONITUM GENERALE.

Nemo non videt quantum ad scopum Analectorum nostrorum collatura sit descriptio codicum hagiographicorum. Quid enim supplendis aliquando et emendandis quæ jam edita sunt Actis Sanctorum, vel adhuc ineditis eruditorum studio exhibendis utilius cogitari potest quam si maxima diligentia quidquid in hoc genere servant singulæ bibliothecæ, sive publicæ sive etiam, ubi ad eas aditus patebit, privatæ, recensere et describere contigerit? Itaque speciminis gratia proferimus jam Catalogum codicum hagiographicorum bibliothecæ publicæ Civitatis Namurcensis, in quo præter singulorum codicum notas, si ita loqui fas est, exteriores, singula quæ iis continentur documenta accuratissime recensenda suscepimus : et ita quidem ut simul indicemus an et ubi jam edita sint, quantumque ab editis recedant, immo et ubi operæ pretium visum fuerit, quænam præcipue lectiones variantes notandæ sint. Quæ vero nusquam adhuc typis expressa reperire licuerit, ea fere omnia, sed nullo adjecto commentario exhibebimus in Appendice, quam tamen non uno Analectorum fasciculo ipsi statim Catalogo subjectam concludere, sed per singulos sequentes fasciculos per partes distribuere visum est.

Eamdem deinceps rationem in aliarum bibliothecarum codicibus hagiographicis describendis observare propositum est nobis, nisi forte experientia vel eruditorum consiliis melius edocti quædam addere aut corrigere necessarium aut convenientius fore perspexerimus. Jam ad Catalogum Namurcensem.

I. Codex signatus n° 2.

Codex membranaceus formæ majoris ($0^m,47 \times 0^m,32$) foliorum olim circiter 315, nunc autem, quibusdam excisis, 310, duplici columna linearum 29, litteris gothicis admodum amplis seculo XIV exaratus;

emendationibus nonnullis et supplementis adjunctis manu seculi XVII. Lectiones et homilias continet de sanctis et de quibusdam festis, ut aiunt, fixis. Tituli et indicia quælibet præter textum lectionum minio scripta. Initium cujusque sententiæ litteram capitalem atramento quidem exhibet, sed fere lineola rubra a summo ad imum deducta notatam; initia vero singularum lectionum litteris capitalibus majoribus alternatim rubri et cærulei coloris distincta, admodum paucis exordio totius alicujus tractationis variis figuris aliquantulum exornatis.

Fuit olim iste codex monasterii S. Huberti in Arduenna : quod indicant et sigillum exterius in anteriori parte tegmenti pellicei impressum et nota in fronte folii primi adjecta manu seculi XVII: *Mnrii S. Huberti in Ard. catal. inscriptus* et formula professionis quæ legitur in fine folii ultimi versi manu seculi XV vel XVI exarata (1).

Porro in describendo codice hanc normam secuti sumus ut, prætermissis homiliis et aliis lectionibus quæ nullam *actorum* seu historiæ sanctorum speciem referunt, sed ex Scripturis sacris et sermonibus Patrum compilatæ sunt, solum hoc genus documentorum quod ad rem nostram hagiologicam spectat, distincte recenseremus. Illorum tamen festorum, quibus sanctorum *acta* adnexa non leguntur, indicem hic exhibere non pigebit. Sunt igitur hæc, servato codicis ordine : Octava Visitationis beatæ Mariæ, Vigilia Epiphaniæ, Conceptio B. Mariæ, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Thomæ episcopi et martyris, Dedicatio ecclesiæ, Conversio S. Pauli, Purificatio B. Mariæ, Cathedra S. Petri, S. Mathiæ, Annuntiatio B. Mariæ, SS. Philippi et Jacobi, Inventio S. Crucis, S. Joannis ante Portam Latinam, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Commemoratio S. Pauli, Visitatio B. Mariæ, Divisio apostolorum, Assumptio B. Mariæ, Decollatio S. Joannis Baptistæ, Nativitas B. Mariæ, S. Matthæi, S. Michaelis, S. Lucæ et Omnium Sanctorum.

1° De S. Andrea (fol. 7r-9r).

Fragmentum Passionis editæ apud Migne, P.G., tom. II, p. 1217 sqq. — Codicis lectio, nonnullis in locis interpolata, abrumpitur ad hæc verba *cum excitatus fuerit evanescit* (tom. cit., p. 1230, lin. 5 a fine).

2° De Sta Barbara (fol. 10r-13r).

Eadem, quoad res narratas, cum Passione edita apud Mombritium,

(1) " Ego Sancolus Galteri de Bastonia promitto stabilitatem et conversacionem (*sic, pro* conversionem) morum meorum et obedienciam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo et sanctis ejus in hoc monasterio quod constructum est in honore beatorum Petri apostoli et Huberti confessoris atque pontificis, in presencia domni Egidii de Villeirs custodis sede abbaciali nunc (?) vacante atque subprioris tociusque (?) conventus. "

tom. I. — Sepulta hic dicitur beata virgo *a Valencio in loco Solis in habitaculo modico.*

3° De S. Nicolao (fol. 13r-15r).

Fragmentum Vitæ editæ apud Nicolaum Carminium Falconium, *Sancti Nicolai Acta primigenia* (Neapoli 1751), p. 112 sqq., quod scilicet ibidem continetur numm. 14-18, ubi abrumpitur codicis lectio ad hæc verba *in œvum manere non desinunt.*

4° Passio Stæ Luciæ (fol. 22r-25r).

Edita apud Surium ad d. 13 Decemb. — In codice adjungitur hæc clausula :

> florent et beneficia largiuntur omnibus contingentibus. Passa est autem sancta Lucia in civitate Syracusana sub die idus decembris præstante D. N. J. C., cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

5° Passio S. Nychasii episcopi cum sociis suis (fol. 25r-28v).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

6° De S. Thoma apostolo (fol. 28v-30r).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. I.

7° De S. Joanne evangelista (folia 3) (1).

Ex Apocalypsi cap. I et II, 1-16, adjuncta historia de juvene converso quæ legitur ap. Eusebium, *Hist. eccl.*, III, 24.

8° De S. Silvestro papa (folia 2 3/4).

Fragmentum Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II. — Quædam tamen hic leguntur a Mombritio prætermissa. Vid. Append.

9° De S. Mauro abbate (folia 2 1/2).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050, scilicet numm. 8-14.

10° De S. Sulpitio episcopo Bituricensi (folii 7/8).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 167-174, scilicet capp. I, II.

11° De S. Sebastiano (folia 3).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265 sqq., scilicet cap. I, II et cap. III, numm. 8, 9; hic vero abrumpitur medius post hæc verba *inter fratres scandala,* et adnectitur num. 23.

12° De Sta Agnete (folium 1 7/8).

Fragmentum Passionis auctore S. Ambrosio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-353, scilicet numm. 1-6, cujus ultimi prima tantum phrasis refertur.

(1) Notatio foliorum desinit in codice in folio XXXII nec resumitur ante folium CCLXXXXIIII.

13° De S. Vincentio martyre (folia 2 1/2).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 seqq., scilicet numm. 1-8.

14° De S. Blasio (folium 1 7/8).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 3 Febr., t. I, p. 336 sqq., scilicet numm. 1-3 cum num. 4 sed contracto. Quædam non parum discrepant in num. 3. Vid. Append.

15° De Sta Agatha (folia 2).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 5 Febr., tom. II, p. 615 sqq., scilicet numm. 1-7. Hic abrumpitur medius post hæc verba *incendiis subjacebis*. Incipit vero totum fragmentum a verbis *Decio ter consule*.

16° Vita S^tæ^ Scholasticæ (folium 1 1/8).

Vita auctore S. Gregorio, edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Feb., tom. II, pp. 401, 402. At in codice tres priores phrases omissæ sunt.

17° De S. Gregorio papa (fol. 2 1/4).

Fragmentum Vitæ S. Gregorii auctore Joanne diacono, editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 137 sqq., scilicet lib. I, numm. 1-11.

18° De Sta Gertrude (folia 2 1/2).

Fragmentum Vitæ editæ apud Josephum a Ryckel : *Vitæ S. Gertrudis* (Lovanii 1632), p. 35 sqq., scilicet cap. I-IV. Capitis IV ultima pars desideratur a verbis *Primum ergo maternis jussionibus*.

19° De S. Benedicto abbate (folia 3 7/8).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 277 sqq., scilicet num. 1, num. 32 præter tres ultimas phrases, num. 33 præter tres ultimas phrases, num. 35 usque ad hæc verba post med. *cognovit ascensum*.

20° De S. Ambrosio (folia 2 1/4).

Fragmentum Vitæ auctore Paulino, editæ apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27 sqq., scilicet numm. 3-11. Excisum est folium.

21° De S. Georgio (fol. 2).

Ineditum, ut videtur. Vid. Append.

22° De S. Marco (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis editæ sub titulo Apostolatus Alexandrini in *Act. SS.*, ad d. 24 April., tom. III, p. 347-349, scilicet numm. 1-4 cum prima phrasi num. 5.

23° Sermo Rabbodoni sanctæ Trajectensis Ecclesiæ famuli de gemina felicitate confessoris Christi Servatii episcopi (folia 2).

Fragmentum sermonis editi in hoc Analectorum nostrorum tomo,

p. 104 sqq., scilicet numm. 1-5 præter duas ultimas phrases. — Refert codex singulas lectiones variantes codicis ibi notati num. 2, præterquam quod in lectione variante 3, p. 105, omittit *cum Domino* et *discipulis*, ac pro lectione 5, p. 106, legit *jam summopere exorans*. Insuper p. 104, lin. 24, legitur *præcipuus;* p. 105, lin. 3, *dignum non* om., et post *duxerit* addidit manus recens *indignum;* lin. 10, *posse* om.; p. 106, lin. 3, *fuerit sanctitas quantaque ei* om.; lin. 13 legitur *tempestate;* lin. 16 *a* om.; lin. 20 legitur *ovium;* lin. 21 post *posset* additur *saltem;* p. 107, lin. 3, pro *eum* legitur *cum;* lin. 16, pro *pene* legitur *quippe;* lin. 30 *ea* om.; lin. 31 *ulli* om.

24° De SS. Achatio et decem milibus sociis ejus (folia 2 3/8).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 182-187, scilicet numm. 2-7 ad medium *(examinatio istorum sanctorum)*, et a num. 20 med. *(Data autem sententia)* ad finem. Codex habet lectionem memoratam ibidem p. 187 ad annotatum *f*.

25° Translatio S. Benedicti (folia 2).

Fragmentum relationis editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302 sqq., scilicet a penultima phrasi num. 9, quæ in codice sic incipit : *Deferente venerabili viro Aigulfo corpora sanctorum Benedicti et Scholasticæ sororis ejus agmina monachorum*, usque ad med. num. 11, *membris locandis*.

26° De Sta Margaretha virgine et martyre (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

27° Vita S^tæ^ Mariæ Magdalenæ (fol. 2).

Vita edita apud Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de Ste Marie Madeleine*, tom. II, p. 433-436. Prologus omittitur, sed annectitur ex Translatione edita ibidem p. 745 sqq. paragraphus secunda cum parte paragraphorum primæ et tertiæ, scilicet a verbis *Nunc ergo largiente* usque ad verba *consecrari fecit*.

28° De S. Jacobo apostolo (folium 1 7/8).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

29° De S. Petro ad Vincula (folia 2 1/8).

Legenda partim desumpta ex Actibus apostolorum et ex narratione cujus aliqua pars edita est in *Act. SS.*, ad d. 29 Junii, tom. V, p. 451, num. 112. Reliquam partem vide hic in Append.

30° Inventio S. Stephani (folia 2 1/8).

Fragmentum relationis editæ apud Surium ad d. 3 Augusti, scilicet capp. III, IV, V (præter duas ultimas phrases), VIII a med. *(Eadem vero nocte)*, IX, X.

31° De S. Laurentio (folia 2 1/8).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II, initium scilicet et finis.

32° De S. Bartholomeo apostolo (folium 1 7/8).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34 sqq., scilicet numm. 1-9, admodum paucis omissis.

33° De S. Augustino (folia 2 7/8).

Fragmentum Vitæ auctore Possidio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427 sqq., scilicet numm. 3-12 præter ultimam phrasim.

34° De S. Ægidio (folia 2 7/8).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Septemb., tom. I, p. 299 sqq., scilicet numm. 1-8 ac tres priores phrases num. 9.

35° De S. Remaclo (folium 1 7/8).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692 sqq., scilicet numm. 1-6 cum duabus prioribus phrasibus num. 7.

36° De S. Theodardo episcopo (folia 2 1/8).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 10 Sept., tom. III, p. 588 sqq., scilicet num. 3 a medio *(Sancti martyres per Spiritum sanctum in interiore homine)*, numm. 4-11, num. 12 usque ad *Sub his fragilis mulier.* Codex multas refert lectiones variantes quarum hæc præcipue notanda est, num. 9 :

Jamque diœcesis suæ vicum excesserat et in pago alienæ sedis quem Sich nomine dicunt...

37° De SS. Cornelio et Cypriano (folia 2 3/4).

Lectio codicis constat initio Passionis B. Cornelii editæ apud Mombritium, tom. I, numero 3 Epistolæ xxxviii S. Cypriani Presbyteris et diaconis et plebi universæ (*Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum*, Vindobonæ 1881, tom. III, part. ii, p. 583) et Actis proconsularibus editis in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, pp. 322, 323.

38° De S. Lamberto (folia 3).

Fragmentum Passionis auctore Sigeberto Gemblacensi, editæ in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 589 seqq., scilicet (nonnullis omissis) numm. 1-4, prima phrasis num. 5, numm. 46, 47, numm. 49-51.

39° De S. Mauritio (folia 2).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 345 seqq., scilicet numm. 1-6. Sed adverte sequentia :

Num. 1, codex lectionem habet memoratam ad annotatum *d*.

Num. eodem post *ferus animo* additur :

Avaritia crudelis, libidini deditus, ceterisque vitiis obsessus, severitatem...;

Num. 3, post *resederunt* additur :

O quanta reverentia excolendus est sacer locus in quo tot pro Christo martyrum milia ferro Cæsaris puniuntur. Maximianus...

Ad finem ejusdem num. post *obedienda præciperent* additur :

Viri in rebus bellicis strenui et virtute nobiles, sed fide in Deo nobiliores, erga imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Evangelici præcepti sub armis custodes, reddebant quæ Dei erant, Deo, et quæ Cæsaris, Cæsari restituebant. Requirunt...

40° Translatio corporis beati Huberti a Leodio ad Andagium (folia 2 3/4).

Brevi edenda ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov.

41° De S. Remigio (fol. 2 1/4).

Fragmentum Vitæ auctore Hincmaro, editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 135 seqq , scilicet numm. 1-6 præter duas ultimas phrases, numm. 11, 12, 13 usque ad *super eum ceciderit.*

42° Vita S. Beregisi confessoris (fol. 8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 520-529. Sed adverte sequentia :

Prologus deest.

Num. 7 pro *Ansgisi* legitur *Ansegisili.*

Num. 14 ad fin. additur :

Neque ulli perferendum committens potius redeundum et per seipsam ei innotescendum decernit.

Num. 21, lin. 6, post *nonaginta annis* insertæ leguntur hæ voces *sedecim ex iis.* Præterea post *nonaginta* addita est supra lineam manu recentiori vox *octo.*

Eod. num. post *primordio sumpserat*, inserta sunt quædam de significatione vocis *Andainæ.* Vid. Append.

Num. 22 post primam phrasim hæc interposita leguntur :

Jure quoque in eo consistunt qui formæ illius morum qualitate discrepare nolunt.

43° De S. Fide (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis rebus narratis haud diversæ ab edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823 seqq.

44° De SS. Dyonisio, Rustico et Eleutherio (folia 2 3/8).

Fragmentum Passionis editæ apud Surium ad d. 9 Oct., scilicet cap. XVIII-XX usque ad *Domino ducente pervenit;* cap. XXVII (exceptis duabus prioribus phrasibus) -XXIX.

45° De SS. Nichasio cum sociis suis (folia 2).

Ineditum, ut videtur. Vid. Append.

46° De SS. Undecim milibus virginibus (folia 2 1/2).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157 sq., scilicet numm. 8 (a tertia phrasi) -15.

47° De S. Severino episcopo (folium 1 7/8).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56 sqq., scilicet numm. 7-10.

48° De SS. Symone et Juda (folia 2 3/8).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

49° De S. Foillano (folium 1 1/8).

Fragmentum Passionis editæ in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, tom. V (1868), p. 414 sqq., scilicet §§ 1, 2, 3.

50° De S. Quintino (folii 7/8).

Fragmentum Passionis editæ apud Colliette, *Mémoires pour servir à l'histoire du Vermandois*, tom. I, p. 144-149, scilicet §§ 2, 3 et 4 ad medium.

51° Vita S. Huberti (folia 26 3/4).

Edenda brevi ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3 Novembris.

52° Vita S. Martini (folia 13 5/8).

Vita auctore Sulpitio Severo, edita in *Corp. scriptorum ecclesiasticorum*, tom. I (Vindobonæ 1866), p. 109 seqq. Sed omissa est epistola Severi ad Desiderium. Præterea omissi numm. 21 (præter duas priores lineas), 23, 25 cum sequentibus. Sed et loco num. 4 ponuntur epistolæ tres Sulpicii editæ ibidem p. 147-149; cum tribus ultimis phrasibus capitis IV et capite V ex libro S. Gregorii Turonensis *de Miraculis S. Martini* (Migne, P. L., t. LXXI, pp. 918, 919). Denique Vitæ annexum ex eodem Gregorii opere (ibid., p. 919) cap. V de translatione corporis sancti Martini.

53° Vita S. Brictii (folium 1 7/8).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov. Sed cap. II, pro *trigesimo tertio* legitur *trigesimo*.

54° De Sta Cæcilia (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

55° De S. Clemente (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

56° De Sta Catharina (folia 2 3/4).

Fragmentum Passionis editæ in libello typis dato, ut videtur, Coloniæ Agrippinæ ad finem seculi XV. Cfr. infra Cod. 15, 69°.

II. Codex signatus n° 12.

Membraneus, foliorum nunc 259, formæ mediæ (0^m, 34 × 0^m, 245), columna duplici, exaratus seculo XII. Tituli minio designati, itemque litteræ majores initio singulorum capitum. Litteræ initiales singularum tractationum, si excipias Vitas S. Radegundis et quinque sequentes, non ineleganter ornatæ plantarum et animalium figuris, nullis tamen aliis adhibitis coloribus præter nigrum et rubrum. Foliorum series numeris notata est manu recentiori usque ad folium 131.

Codicem fuisse olim monasterii S. Huberti, indicant ejusdem monasterii sigillum et præterea voces *Monasterii-S.-Huberti-in-Arduenna. cathalogo. inschriptus* a compactore in anteriore parte plana tegmenti pellicei impressa.

Continet, præter Vitas Sanctorum inferius describendas (fol. 47^v-193^v), multa ex iis quæ edidit Heribertus Rosweydus in opere cui titulus *Vitæ Patrum,* Antverpiæ in lucem dato anno 1615; videlicet, etsi identidem ordine inverso ac nonnullis sive additis sive prætermissis, magnam partem librorum II et III atque Appendicis (op. cit., p. 978 sqq.), et integros lib. V et VI. Præterea (fol. 222^r—259^v) opus Smaragdi abbatis quod inscriptum est *Diadema monachorum,* editum ap. Migne, P. L., tom. CII, p. 594 sqq., et (fol. 259^v) fragmentum epistolæ Matthæi cardinalis episcopi Albanensis editæ P. L. tom. CLXXIII, p. 1266-1267.

1° Vita S. Pachomii (fol. 1^r-17^v).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 112-138. Ob excisum folium desideratur prologus Dionysii Exigui præter tres ultimas phrases. Deest etiam caput LIII præter primam phrasim.

2° Vita S. Antonii abbatis (fol. 18^r-35^r).

Vita auctore S. Athanasio, edita ibid., p. 35-60. At epilogus Evagrii prætermissus est.

3° Vita S. Pauli eremitæ (fol. 35^r-37^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 17-20.

4° Vita S. Hilarionis (fol. 37^v-45^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 75-85.

5° Vita S. Malchi captivi monachi (fol. 45^v-47^v).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 93-96.

6° Vita S^tæ^ Radegundis reginæ (fol. 193^r-197^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Aug., tom. III, p. 67-74. Prologus deest.

7° Vita S^tæ^ Bathildis reginæ (fol. 197^v-200^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Jan., tom. II, p. 739-742. At prologus

deest. Præterea pro illis quæ leguntur num. 17 (post primam phrasim) et num. 18, substituta sunt in codice posterioris Vitæ numm. 20 extr. *(Qui dum*, etc.), 21, 22, 23 ac prima phrasis num. 24 (tom. cit., p. 746).

8° Vita S[tæ] Euphrosynæ virginis (fol. 200ᵛ-204ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Feb., tom. II, p. 537-541.

9° Vita S[tæ] Eufraxiæ virginis (fol. 204ʳ-211ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Martii, tom. II, p. 265-274; sed multis lectionibus variantibus et nonnullis hinc inde phrasibus prætermissis.

10° Vita S[tæ] Mariæ Ægyptiacæ (fol. 211ʳ-217ᵛ).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 382-392.

11° Vita S. Symeonis reclusi Trevirensis (fol. 217ᵛ-221ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom, I, p. 89-95; sed omissis num. 29 cum reliquis.

III. Codex signatus n° 15.

Membraneus, filiorum nunc 272 (quorum 50 solummodo priora numeris notata sunt), formæ mediæ (0^m, 335 × 0^m, 24), duplici columna, exaratus seculo XIII ineunte, præter duodecim ultima folia quæ debentur manui seculi XIV. Tituli minio designati, sicut et litteræ initiales præcipuorum capitum. Initio singularum Vitarum littera capitalis major plantarum et animalium effigies ornamentorum loco exhibet. Præcipue ornatæ sunt littera C exordio epistolæ dedicatoriæ ante Vitam S. Huberti auctore Jona (29°) et littera **P** in capite primæ vocis *(Post)* ipsius Vitæ : hæ etiam solæ litteræ in toto codice cærulea tinctura supposita distinctæ sunt.

Præter Vitas Sanctorum et epistolas Sulpitii Severi (36°) infra indicatas, nihil continet codex nisi (fol. 40ʳ) fragmentum epistolæ Balduini IX Comitis Flandriæ, postea Imperatoris CPani de expugnata secundo urbe CPoli, edita in tomo XVIII *Scriptorum Rerum Gallicarum*, p. 520 et quosdam hymnos et alios cantus ecclesiasticos notis musicis signatos (1).

Folio 1 recto inscriptus est index Vitarum, quem supplevit manus seculi XVI quoad Vitas S. Catharinæ, S. Thomæ Cantuariensis et

(1) Scilicet fol. 40ʳ-40ᵛ Invocationem ad S. Hubertum *(Alleluya. Egregie presul Huberte rabie toxicatis et demoniacis remedium ora pro nobis Dominum), Sanctus, Sanctus*, etc., *Agnus Dei*, etc.; post Vitam S. Quintini (25°), *Lauda Sion*, etc.; post Miracula S. Huberti (30°), hymnum in ejus honorem *(Laudes Christo personemus)*; post Passionem S. Catharinæ (69°) item hymnum in Sanctæ honorem et antiphonam de SS. Sacramento; ac denique alterum hymnum de S. Huberto *(Vox in cœlo exultat)* post legendam qua clauditur codex.

S. Huberti, quæ scilicet duodecim ultimis codicis foliis continentur. Eadem manus in margine inferiori post indicem hanc notam subjunxit: *Conventus S. Huberti in Ard. cat. Insertus.* In fine etiam codicis legitur : *Liber monasterii sancti Huberti in arduena.*

1° Passio S. Piatonis martyris (fol. 1v-3r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 22-24. Sed nonnulla in codice leguntur quæ Actis editis prætermissa sunt. Vid. Append.

2° Vita S. Remigii auctore Hincmaro (fol. 3r-17r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. Sed omissus est Index capitulorum (tom. cit., p. 133-135). Præterea omissus num. 6 extr. *(singularis autem meriti,* etc.), item numm. 7-9, numm. 16-26, num. 28 præter duas primas phrases, num. 33 præter primam phrasim, num. 36 præter tres primas phrases, numm. 37 et 38, numm. 42 et 43, numm. 45 et 46, num. 61 ultima phrasis, num. 65 ultima phrasis, num. 70 med. *(suscitatum convivio)*-72 post med. *(et ut erat)*, num. 75 med. *(quatinus nemo)* - 77 extr. *(Obiit itaque)*, numm. 78 et 79, numm. 83-85, num. 87, lin. 4 *(bonum exemplum)* ad fin., num. 89 ultima phrasis, num. 90, num. 95, num. 99 secunda phrasis, num. 102 post med. *(cunctis qui aderant)*- 105, num. 108, numm. 112-114, num. 124 ultima phrasis, num. 129 præter duas primas phrases, num. 130, num. 131 prima phrasis, num. 132 præter tres primas lineas. — Post num. 138 addita est sequens clausula :

Ceterum nemo fidelium de hujus patroni nostri meritorum in cœlis virtute dubitet, cui adhuc mortali carne in terra degenti Dominus dedit potestatem ligandi ac solvendi mortuosque suscitandi, omnem languorem et infirmitatem curandi. Ad cujus corporis sepulchrum sicut multis indiciis frequenter est demonstratum, ægri veniunt et sanantur, perjuri veniunt et a demonio vexantur, demoniaci veniunt et liberantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Explicit vita sancti Remigii episcopi et confessoris.

3° Vita S. Nicetii episcopi Trevirensis (fol. 17r-18v).

Vita auctore Gregorio Turonensi, edita inter ejus opera et apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I, p. 191-194. Deest proœmium *(Si fides dictis- relator exorsus est)*.

4° Vita S. Bavonis (fol. 19r-20r).

Edita ex hoc ipso codice in *Analectes pour servir à l'Histoire ecclésiastique de la Belgique*, tom. V (1868), p. 420-425. — Eadem, sed prolixior, nonnullis subinde adjunctis, in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 230-235.

5° Vita S. Beregisi abbatis (fol. 20v-25r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 520-529. — Ante ultimam phrasim num. 21 *(Non immerito)* inserta est dissertatio illa de nomine Andaini quam jam offendimus supra, Cod. 2, 42°.

6° Passio S. Leodegarii episcopi Augustodunensis et martyris (fol. 25r-35v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 463-481. Prologus deest.

7° Vita S. Eloquii confessoris (fol. 35v-38r).

Edita ex hoc ipso codice in *Analectes pour l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V, p. 344-354.

8° Passio SS. Ewaldorum presbyterorum et martyrum (fol. 38r-39r).

Ex Bedæ *Historia Anglorum*. Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Oct., tom. II, p. 205-206. Sed exordium diversum, et in fine quædam subjuncta de historia S. Willibrordi. Vid. Append.

9° Passio S. Demetrii martyris (fol. 39r-40r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 87-89. Prologus deest.

10° Passio Stæ Fidis virginis et martyris (et SS. Caprasii, Primi et Feliciani) (fol. 40v-44r).

Eadem, quoad res narratas, cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825, sed subinde discrepans verbis et prolixior. Procemium (Vitæ editæ num. 1) omnino diversum est et, ut videtur, iis qui hactenus hanc Passionem ediderunt, omnino incognitum. Vid. Append.

11° Miracula Stæ Fidis (fol. 44r-48r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Oct., tom. III, p. 303-318, numm. 5-18, 33 et 34, 46, 63, 64 med.- 67. Sequitur clausula quæ legitur ibidem p. 324, num. 87-89, non paucis tamen in codice prætermissis.

12° Passio SS. Sergii et Bacchi martyrum (fol. 48r-52v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Oct., tom. III, p. 863-867, paucis prætermissis ex numm. 9, 10 et 28.

13° Vita et passio SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii (folia 11).

Inc. Post beatam nativitatem ac salutiferam Domini nostri Jesu Christi passionem.

Acta prolixiora edita apud Surium ad d. 9 Oct.

14° Passio S. Victoris et sociorum ejus ccc.xxx (folium 1 1/2).

Discrepat ab editis in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept. et 10 Oct. Vid. Append.

15° Passio SS. Nichasii episcopi, Quirini presbyteri, Scuviculi diaconi (folia 2 1/4).

Eadem ac Passio quæ legitur in Cod. 2, 15° (cfr. supra, p. 492), sed nonnullis adjectis, quæ vide in Append.

16° Passio S. Callisti papæ et martyris (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441. In fine pro *die XII Kalendarum Novembris* legitur in codice *die quarto decimo Kalendarum Novembrium.*

17° Vita S. Galli abbatis (folia 11).

Vita auctore Walafrido Strabo, edita apud Mabillon, *Act. SS. O.S.B.*, sec. II, p. 228-250. Desunt versus in fine prologi. Præterea capp. 31 et 32, cum initio cap. 33. Denique pro capite 35 legitur in codice conclusio hujusmodi :

frequentaretur a populis. Tanta autem est miraculorum copia quæ Dominus apud tumulum ejus diversis temporibus ostendit, ut non facile scribendi studio comprehendi possit. Ex quibus propter abundantiam multa omittuntur. Præter mortuorum enim resuscitationem corpoream ceterarum infirmitatum remedia creberrima inibi largiente Domino præstita sunt et præstantur. Siquidem et demoniaci ibidem curati et languentes sunt recreati. Aurium claustra reserata, oculorum detersæ caligines, mutorum exclusa silentia, paralyticorum eliminata defectio. Sed et quicunque animæ vel corporis necessitate coactus, fide integra apud sepulcrum ejus, scilicet beati Galli, instantiam orationis exequitur, Domino confessoris sui merita comprobante, precum suarum nullatenus fructu privatur, verum sine tarditate divinæ largitatis sentiens dona lætatur, præstante Domino qui in sanctis suis est semper mirabilis.

18° Passio S. Mononis martyris (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. VIII, p. 367-368, et ex ipso hoc codice in *Analectes pour l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V (1868), p. 110-114.

19° Vita S. Sindulfi confessoris (folium 1).

Contracta, sed fere non mutatis verbis, ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 892-895. Videlicet prætermissa sunt num. 1 ultima phrasis, num. 2 phrases 3ª, 4ª, 5ª et 6ª *(Studebat-Christi)* et duæ ultimæ *(Quem Christus*, et cetera), num. 3 post med. *(Nam quoties*, etc. usque ad finem), num. 4 phrasis 2ª *(Placuit-constituit)* et ante fin. phrases duæ *(Lucebat-videbant)*, num. 5 a med. *(Sic est virtus*, etc. usque ad finem), num. 6 præter phrasim 1ªm, num. 7 a lin. 6ª *(obsecrantique*, etc. usque ad finem), num. 8, num. 9 a lin. 8ª *(reliquit*

parietes, etc. usque ad finem), num. 10 a lin. 6 extr. ad lin. 14 (scilicet epitaphium), et numm. 11-13.

20° Passio SS. Undecim millium Virginum (folia 5).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. Desunt ultima verba *Passæ sunt anno 238*.

21° Vita et translatio S. Severini episcopi Coloniensis (folia 4 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-63.

22° Passio SS. Chrysanthi et Dariæ martyrum (folia 5).

Versio latina edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484.

23° Passio SS. Crispini et Crispiniani martyrum (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

24° Passio S. Foillani martyris (folia 2).

Edita ex ipso hoc codice in *Analectes pour l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V (1868), p. 414-420. Videsis de hac Vita *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., in Commentario prævio ad acta S. Foillani, n. 12 (tom. XIII, p. 373).

25° Passio S. Quintini martyris (folia 3 1/2).

Edita apud Colliette, *Mémoires pour servir à l'histoire du Vermandois*, tom. I, p. 144-149.

26° Passio SS. Juliani presbyteri, Cæsarii diaconi, Felicis presbyteri et Eusebii monachi (folia 2 1/4).

Brevi edenda ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 1 Novembris.

27° Passio et inventio S. Benigni martyris (folia 2 1/4).

Prior pars (Passio) edita est apud Surium ad d. 1 Nov., sed stylo mutato. — Pars posterior (Inventio) desumpta ex Gregorio Turonensi, *De Gloria Martyrum*, cap. 51 (P. L., tom. LXXI, p. 752-754). — Inter utramque partem inserta est notitia de Aureliano imperatore. Vid. Append.

28° Passio SS. Eustachii martyris sociorumque ejus (folia 4 3/4).

Versio latina edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VI, p. 123-135. Prologus deest.

29° Vita S. Huberti auctore Jona (folia 10).

Edenda ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov. Edita apud Surium ad eumdem diem.

30° Miracula S. Huberti (folia 5 1/2).

Edita apud Roberti, *Historia S. Huberti* (Luxemburgi 1621), p. 72-102. Brevi edenda in *Act. SS.*

31° Vita S. Willibrordi episcopi (folia 3 1/2).

Conscripta ab Alcuino. Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 603-616. Sed in codice prætermissi numm. 22, 23, 24 usque ad med., 25-31. Præterea subinde quædam contracta.

32° Passio SS. Quatuor Coronatorum Claudii, Castorii, Simproniani et Nicostrati (folia 3 1/4).

Edita apud Mombritium, tom. I.

33° Passio S. Theodori martyris (folium 1 3/4).

Edita apud Mombritium, tom. II.

34° Passio S. Mennæ martyris (in Phrygia) (folia 2).

Edita apud Mombritium, tom. II.

35° Vita S. Martini (Turonensis) auctore Sulpitio Severo cum epistola præfatoria ad Desiderium (folia 7).

Edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-176. Inter epistolam ad Desiderium et Vitam insertum est elogium Sulpicii Severi ex Gennadii libro *de Scriptoribus ecclesiasticis*.

36° Epistolæ tres Sulpitii Severi (folia 3).

Editæ ibidem, p. 175-184.

37° De obitu S. Martini, ex Gregorio Turonensi (folium 1 1/2).

Collectum ex Gregorii Turonensis *Hist. Franc.*, lib. I, cap. 43 et *De miraculis S. Martini*, lib. I, cap. 4-6 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 185-186, p. 918-920).

38° Dialogi tres Sulpicii Severi de vita et virtutibus Eremitarum (folia 15 1/4).

Editi apud Migne, P. L., tom. XX, p. 183-222. Prætermissa in Dialogo II prior pars numeri 14 (usque ad med.).

39° Vita S. Briccii episcopi Turonensis (folii 3/4).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov. Num. II initio pro *Trigesimo tertio* legitur *Trigesimo ordinationis suæ anno*.

40° Passio S. Eugenii martyris (folia 3).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

41° Vita S. Bertuini episcopi et confessoris (folium 1 1/2).

Edita ex ipso hoc codice in *Analectes pour l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V (1868), p. 426-431.

42° Vita S. Maclovii episcopi Alethensis (folia 5 1/4).

Edita apud Surium ad d. 15 Nov., sed in codice prætermissus est num. 20, et præterea nonnullæ breves sententiæ non pertinentes ad historiam sancti.

43° Vita S. Aniani episcopi (folia 2 3/4).

Edita a R. Hubert in *Antiquitez historiques de l'église royale de Saint-Aignan d'Orléans* (Orléans 1661, in-4°), Preuves, p. 1-4. Sed in codice quædam leguntur in Vita edita prætermissa. Vid. Append.

44° Passio S. Romani monachi et martyris (folia 3).

Eadem quoad res cum Passione edita apud Mombritium, tom. II, sed versione (ex græco, ut videtur) passim plus minus diversa et sermonibus præsertim, sive præfecti sive martyris, subinde brevioribus.

45° Passio Stæ Cæciliæ virginis et martyris (folia 6 1/4).

Edita ibidem, tom. I, versione diversa ab ea quæ edita est apud Surium ad d. 22 Nov.

46° Passio S. Clementis papæ et martyris (folia 2 3/4).

Edita ibidem, tom I. Sed in codice prætermissa tum quæ leguntur in Passione edita fol. penult. verso, lin. ult., usque ad fol. ult. rect. col. 2, lin. 8 *(quibus etiam- præcipitatus est.)*, tum paulo inferius oratio mulieris.

47° Vita S. Columbani abbatis (folia 10 3/4).

Conscripta a Jona Bobiensi. Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 5-29. Sed deest prologus seu epistola dedicatoria (numm. 1-4), et prætermissi numm. 22-26. Præterea non paucæ notari possunt lectiones variantes satis insignes.

48° Vita S. Clementis primi episcopi Metensis (folium 1 1/2).

Edita apud Fr. Bosquet, *Ecclesiæ gallicanæ historia* (Paris. 1636), part. II. Cfr. *Hist. litt. de la France*, tom. XII, p. 439.

49° Passio Stæ Felicitatis cum septem filiis suis (folii 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, p. 12-13.

50° Vita S. Trudonis confessoris (folia 7 1/2).

Edita ex ipso hoc codice in *Analectes pour l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. V (1868), p. 431-459.

51° Passio SS. Chrysogoni, Anastasiæ, Agapes, Irenes et Theodotæ (folia 6 3/4).

Omnino sicut in cod. Casinensi 139, p. 330 sqq. Vid. *Bibliotheca Casinensis*, tom. III (1877), p. 255, et ibid. *Florileg.* p. 179.

52° Passio S. Antidii episcopi et martyris (folia 3 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Junii, tom. V, p. 42-47. Sed nonnulla passim in codice prætermissa sunt, nimirum num. 1 a lin. 11 *(neve prudentiam...)*, num. 3 præter duas primas phrases et ultimam, num. 4 fere totus, num. 5, lin. 5-11 *(culmina- pandendum est)*, num. 8 extr. *(O mira- dierum jejunia)*, num. 12 med. *(O Deus omnipotens- voca-*

bula), num. 15 prima phrasis. Et passim non paucæ voces omissæ vel mutatæ.

53° Passio S. Petri Alexandrini episcopi et martyris (folia 2).

Edita apud Surium ad d. 25 Nov., sed prætermissis nonnullis initio et in fine. Vid. Append.

54° Passio S. Saturnini Tolosani episcopi (folium 1 1/2).

Edita apud Ruinart, *Acta martyrum sincera* (Amstelædami 1713), p. 129-133. Sed nonnulla in codice prætermissa sunt, et præter lectiones variantes minoris momenti plura leguntur quæ desiderantur in Vita edita. Vid. Append.

55° Passio S[tæ] Barbaræ virginis (folium 1).

Edita ex codice Vercellensi apud Zaccaria, *Dissert. lat.* (Fulginiæ 1781), tom. I, p. 137-142.

56° Vita S. Nycolai episcopi Myrensis (folia 4).

Auctore, ut videtur, Reginoldo Eichstettensi (cfr. *Mon. Germ.*, Script. tom. VII, p. 257 med.). Vid. Append.

57° Assumptio ejusdem (folium 1 1/4).

Pars actorum editorum apud Nic. Falconium *Sancti Nicolai Acta primigenia* (Neapoli 1751, in fol.), p. 112 sqq., videlicet numm. 14-19.

58° Miracula S. Nicolai (duo) (folia 2).

Inedita, ut videtur. Posterius compendio refertur in *Legenda Aurea* (1) et alibi, paulo fusius italice apud Antonium Beatillo, *Historia della Vita*, etc. *di S. Nicolò* (Roma 1701, in-4), lib. v, cap. 15. — Vid. Append.

59° Passio S. Sabini episcopi (folium 1 3/4).

Edita apud Stephanum Baluzium, *Miscellanea* (ed. J. D. Mansi), tom. I, p. 12-14. Sed multas præbet codex noster lectiones variantes.

60° Vita S. Eucharii episcopi Trevirensis (et SS. Valerii et Materni successorum ejus) (folia 3 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922. Sed in codice prætermissa sunt : num. 1, num. 4 finis *(dicens*, etc.), num. 7 ultima phrasis, num. 15, num. 18 ultima phrasis, num. 19 præter ultima verba *(Quique salutaria*, etc.), num. 21 initium (- *visceribus incitaret)*, num. 22 finis *(Quique inter cetera*, etc.), num. 23 prima phrasis, num. 24 ultimæ voces *(XVIII Kal. Octobris)*, num. 25 prima phrasis.

(1) *Legendæ Aureæ* codices non pauci in Bibliotheca Namurcensi occurrunt : quos tamen omnino negligendos duximus, quum illorum descriptio ad rem nostram nihil conferre videatur.

61° Passio S^{tæ} Luciæ virginis (folium 1 1/2).

Edita apud Mombritium, tom. II, et paulo liberius apud Surium ad d. 13 Decembris.

62° Passio SS. Nicasii episcopi et sociorum (folia 2).

Eadem cum Passione quæ legitur in Cod. 2, 5° (cfr. supra, p. 487), sed additur clausula quam vid. in Append.

63° Passio S. Gregorii Spoletani (folium 1 1/4).

Edita apud Surium ad d. 24 Dec., stylo subinde paulisper immutato.

64° Passio S^{tæ} Victoriæ virginis (folium 1 1/2).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

65° Vita et passio S^{tæ} Eugeniæ (folia 5).

Edita ab Heriberto Rosweydo, *Vitæ Patrum*, lib. I (Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 605-621). Sed subinde nonnulla in codice prætermissa sunt, ut cap. 8 ultima phrasis, cap. 12 duæ ultimæ phrases, cap. 15 pars media et pars ultimæ phrasis, cap. 17 una phrasis, cap. 19 duæ phrases, cap. 21 totum præter primam phrasim et ultimam, et cap. 25 posterior pars. — Post cap. 21 in codice inseritur : *Explicit vita sanctæ Eugeniæ virginis. Incipit passio ejusdem.* — Pro *Basilla* ubique (a cap. 20) legitur *Basilissa.*

66° Passio S^{tæ} Columbæ virginis (folium 1 3/4).

Eadem quoad res cum actis editis apud Mombritium, tom. I, sed passim prolixior verbis.

67° Vita S. Silvestri papæ (folia 16).

Edita apud Mombritium, tom. II, paucis nullius momenti paulo post initium prætermissis. Præterea prætermissa est a Mombritio in fine narratio translationis corporis S. Silvestri anno 753. Vid. Append.

68° Passio S. Edmundi regis (folia 3 1/4).

Edita apud Surium ad d. 20 Nov. Deest in codice prologus, itemque num. 11 tres primæ phrases. Abrumpitur Passio num. 14 medio *(jejuniis et oratio)*, excisis sequentibus foliis.

69° Passio S^{tæ} Catharinæ virginis (folia 5 3/4).

Edita in libro antiquissimo musei nostri (s. l. et a. Coloniæ cca 1480?) Sed multa passim in codice prætermissa sunt. Desiderantur etiam titulus et prologus.

Inc. **Tradunt annales historiæ quod Constantinus qui gubernacula imperii a patre Constantio (*cod.* Constantino) suscepit...**

Des. **Passa est ergo beata Katerina mense Novembris, vicesima die v^{ta}, feria sexta, hora tertia, servans videlicet diem et horam qua Christus pro redemptione mundi ad passionem properavit, cui est gloria, virtus et imperium per immortalia secula seculorum. Amen.**

70° Passio S. Thomæ archiepiscopi Cantuariensis (folia 4 1/4).

Edita apud Martene et Durand, *Thes. nov. Anecd.*, tom. III, p. 1737 1746. Sed in codice prætermissa quæ leguntur p. 1741 med.- 1742 ante med. *(tamquam ipsius animam- convenit inter eosdem reges ut)*, p. 1744 lin. 14 a fin.- 1745 lin. 8 *(sciens nimirum indignum- in orientem fulgurat accendit)*, p. 1745 lin. 14-16 *(et subsecutus adjunxit- causam ecclesiæ. Quo dicto)* et lin. 29-31 *(quibus patratis- crudelitate superior)*, pro quibus in cod. *Quintus enim e capite.* Adjecta vero in cod. ante Passionem Prologus ex Joanne Saresberiensi (in *Materials for history of archbishop Thomas Becket*, ed. J. C. Robertson, tom. II, London 1876, pp. 301, 302) et in fine duo miracula eidem Passioni subjuncta in codice Harleiano (ibid., p. 287 lin. ult.- p. 288, lin. 5 a fine), ac denique quæ de sepultura sancti martyris leguntur apud memoratum Joannem Saresberiensem, numm. 27, 28 (ibid., pp. 321, 322).

71° Legenda S. Huberti episcopi et confessoris (folium 1 1/2).

Inc. Vitam et martyrium beati Lamberti Tungrensis episcopi describentes, dignum duximus paucis interserere...

Magna ex parte excerpta ex Nicolai, canonici Leodiensis, Vita S. Lamberti, cap. 13, cap. 16 initio et cap. 17 fine. Brevi edenda in *Act. SS.*, tom. I Nov.

IV. Codex signatus n° 31.

Chartaceus, foliorum nunc 84, formæ mediæ seu mediocris (1) (0^m,272 × 0^m,20), columna duplici, exaratus seculo XV. Tituli minio descripti, sicut et litteræ initiales singularum tractationum vel capitum, una tantum cærulea et altera rubro et cæruleo coloribus intermixta.

Nulla sive initio sive in fine codicis sive etiam in corpore legitur adnotatio unde colligi possit cujus cœnobii olim fuerit.

Præter Vitas sanctorum infra recensitas, codex post Vitam S. Anto-

(1) Jam adverterit diligens lector nos cum cl. Delisle (École des Chartes, 5e série, tom. III, p. 280) formam codicum mss. distinguere, eorumdem longitudine seu altitudine definitam, videlicet:

Maximam, ubi folia 0^m,50 altitudine superant;
majorem, eorum qui infra hos ultra 0^m,37 porriguntur;
mediam seu *mediocrem*, inter 0^m,37 et 0^m,27;
minorem denique, infra 0,27.

nii (1°) quædam refert virtutum exempla ex Vitis Patrum desumpta, quorum nonnulla leges apud Rosweydum (Cfr. supra, p. 493), pp. 458, 469, 475, 479, 480, 536-542; præterea post Vitam S. Brendani (6°), narratiunculam descriptam ex libro *Apum* seu *De bono universali* auctore Thoma Cantipratensi, et quamdam adhortationem ad sanctimonialem ut Deo ferventer deserviat.

1° (Vita S. Antonii abbatis) (folia 12 1/2).

Vita auctore S. Athanasio, edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 35 sqq. In codice initio mutila. Incipit a cap. XVIII post medium.

2° Vita S. Pauli primi eremitæ (folia 3 1/4).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 17-20.

3° Vita S. Hilarionis monachi (folia 9 1/2).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 75-85.

4° Narratio de captivo monacho nomine Malcho (folia 2 3/4).

Narratio auctore S. Hieronymo, edita ibidem, p. 93-96.

5° Vita S. Mauri abbatis (folia 15 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039-1050. In cod. post prologum inserta est divisio capitulorum, et post finem Vitæ subjunguntur quædam de translatione corporis S. Mauri ad cœnobium Fossatense et de hujus cœnobii historia. Vid. Append.

6° Vita S. Brendani (folia 14 3/4).

Edita paucis diversis in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 411-427. In codice adjecta est brevis clausula prætermissa in Vita edita. Vid. Append.

V. Codex signatus n° 48.

Chartaceus, formæ mediæ ($0^m,297 \times 0^m,214$), exaratus seculo XV. Solam continet Passionem S. Mauri martyris, illa scilicet acta de quibus in *Act. SS.*, in Commentario de hoc sancto ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 517, num. 11. — Codicem fuisse olim monasterii de Gardineto ex similitudine cum aliis ejusdem cœnobii (cfr. infra, Codd. 73, 76, 159) facile colligitur.

VI. Codex signatus n° 49.

Chartaceus, formæ mediæ ($0^m,286 \times 0^m,214$) exaratus seculo XV. In fine Vitæ S. Mariæ Ogniacensis legitur : « Sic est finis hujus hystorie » crastino octavarum epyphanie Domini in anno 1429 ». — Deinde : « Iste

» liber pertinet monasterio de Gardineto beate Marie virginis juxta » Walcuriam. » — Superius vero, post homilias S. Gregorii M. : « Finite sunt hee omelie penultima Julii 1438. »

Præter epistolas et homilias S. Gregorii et alia quædam ad rem hagiologicam non spectantia, reperiuntur in eo codice :

1° In festivitate S. Malachiæ sermo beati Bernardi abbatis (folia 2). Editus apud Migne, P. L., tom. CLXXXIII.

2° Vita S. Mariæ Ogniacensis, ad Fulconem Tolosanum (folia 29). Conscripta a Jacobo de Vitriaco, edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Junii, tom. IV, p. 636-666.

3° Miraculum in die Conceptionis B. V. Mariæ.

VII. Codex signatus n° 53.

Membraneus, foliorum nunc 262, formæ mediocris (0m,35 × 0m,25), plerumque duplici columna, raro lineis plenis (1), exaratus seculo XII. Litteræ initiales singularum Vitarum ornatæ plantarum et animalium figuris, et non paucæ quidem satis eleganter, solo tamen minio præter atramentum adhibito (bis vel ter etiam levi tinctura viridi. Tituli singulorum Prologorum et Vitarum minio designati, et etiam tituli capitum in Miraculis S. Goaris (54°), in Vita et Miraculis S. Germani Parisiensis (80° et 81°) et in Vita S. Germani Autissiodorensis (82°), sicut etiam præcipuarum partium in Passione SS. Nerei, Achillei et sociorum (13°), in Relatione Pastoris de S. Praxede (63°) et in Passione S. Christinæ (70°). In iisdem Vitis modo distinctius recensitis littera initialis singulorum capitum minio descripta est, et præterea etiam in Vitis S. Walburgis (4°) et S. Servatii (16°).

Nihil continet codex præter Vitas sanctorum quorum memoria celebratur mensibus Maio, Junio, Julio et Augusto.

In margine superiori folii 2 rect. (2) legitur hæc nota manu recentiori scripta : *Monasterii S. Huberti in Arduenna catalogo inscriptus.* In latere etiam plano anteriori tegmenti pellicei impressum est sigillum monasterii S. Huberti.

1° Passio B. Quiriaci episcopi qui antea Judas dictus est et Annæ matris ejus (folia 2 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 449-450 (Prologus p. 445), variantibus subinde lectionibus.

(1) Videlicet in Vitis SS. Quiriaci (1°), Sigismundi (2°), Andeoli (3°), Servatii (16°), Bonifacii (17°), Petri et sociorum (18°), Mutii (19°) et initio Vitæ S. Pontii (20°).

(2) Folium 1 rect. indicem refert Vitarum in codice exscriptarum. In eodem folio verso descriptum est diploma donationis pro monasterio S. Huberti datum anno 1109, quod edidit Aub. Miræus, *Diplom. Belg.*, tom. IV, p. 510 (cap. IX).

2° Passio S. Sigismundi regis (folia 2 1/2).

Hujus narrationis prima pars refert historiam matrimonii Clodovei I cum Clotilde, quale eam habent *Gesta regum Francorum*, cap. 11-13 (Ap. Bouquet, *Script. Rer. Gallic.* tom. II, p. 548-550). — Secunda pars, cladem ab eodem Clodoveo illatam Gundebaldo regi Burgundionum hujusque subjectionem, ut legitur ibidem cap. 16. — Sequitur denique, post pauca de obitu Gundebaldi et Clodovei, historia Sigismundi, ubi nihil quidem novi reperitur quoad res ipsas, sed alio verborum tenore concepta quam in editis hactenus. Vid. Append.

3° Passio S. Andeoli (folia 4).

Edita ope hujus codicis, ut videtur, in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 35-39. Sed singula discrimina non fuerunt notata, nam num. 11 post vocem *manum* in fine annotati *d* (p. 38), codex hæc addita habet:

« ... tuam et tange ignem hunc et extingue eum diligenter, qui exsurgit super me, ne quando supergaudeat mihi tyrannus iste. » Hæc dicente sancto Andeolo, exivit ignis subito, et interfecit animas idola colentium numero quingentas sexaginta. Et erat sanctus Andeolus repausans super rotam, quasi super lectum stratum. Erant autem angeli Domini assistentes ei, et mittentes in eum manus sanaverunt totum corpus ejus. Tunc impius cæsar jussit eum deponi de rota, et dixit ministris suis...

Deinde omissæ sunt duæ ultimæ phrases num. 12, num. 13 prima phrasis præter has voces *Orantibus vero eis ac discedere cupientibus*, ac tres ultimæ num. 15.

4° Vita B^tæ Walburgis virginis (folia 3 1/4).

Vita auctore Adelbodo, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 542-546. Sed omissi sunt num. 18 præter duas priores phrases, et numm. 19, 20.

5° Inventio sanctæ Crucis ab Helena regina (folia 2 7/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 446-448, inter Acta apocrypha S. Judæ-Quiriaci, part. I, num. 3 ante med. (*Perrexit Helena...*) usque ad fin. Sed quæ huic narrationi in codice præmissa sunt, multum discrepant a procemio quod legitur in editis (ibid. num. 1-3 init. Vid. Append.

6° Victoria Constantini imperatoris sanctæ Crucis inventoris (folia 3 1/4).

Historiæ Constantini Magni compendium ex antiquis auctoribus collectum. Vid. Append.

7° Passio SS. Alexandri, Eventii et Theoduli (folia 2 3/4).

Diversa ab edita apud Surium ad d. 3 Maii, et in *Act. SS.*, ad eumdem diem, tom. I, p. 371-375.

8° Passio B. Floriani (folium 1 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 462, 463. Sed quædam satis diversa in codice notanda ad num. 4-5. Vid. Append.

9° Translatio S. Nicolai episcopi (folia 5).

Edita apud Nic. Carminium Falconium, *S. Nicolai Acta primigenia* (Neapoli 1751), p. 131-139. In codice tamen hæc notatu digna :

In prologo tres primæ phrases omissæ sunt.

Numerus 1 ita incipit :

Igitur millesimo octogesimo septimo anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi, indictione decima, in Argolicis partibus imperante sanctissimo Dei cultore domno Alexio, in Italicis vero ac Calabritidis atque Siculis regnante domno Roggerio magnifico duce una cum genetrice sua domna Sichelgaita, sub temporibus domni Ursonis venerabilis ac Deo dilecti archiepiscopi Canusinæ et Varensis sedis, divina providentia actum est ut quidam Varensium sagaces...

Eodem numero post ista verba : *munierunt rates*, ita codex :

Statimque salubri accepto consilio quadraginta et septem quorum nomina ista sunt, suis stipata carinis devotissime ad sanctum festinarunt scandere corpus. De prima nave, Albertus nauclerus, Urso, Benedictus, Helias, Topatius, Desigius, Milo, Churiscius, Nicholaus, Bonus Homo, Stephanus, Johannatius, Dalphus. De secunda nave, Petracca, et Leo, Germanus, Mundus Tranensis, Sere, Grimoaldus presbiter, Johannocari, Moraldus, Johannes, Anastasius Tranensis, Johannes Malo, Petracca. De tertia nave, Siphandus, Matheus, Leo, Nicholus, Petronus, et duo Nicholai Monopolitani, Maraldicius, Leo, Lupus presbiter, Melciaca, Pandolfus, Bisantius, Johannes, Eustasius Tranensis, Stephanus, Stephanus Gittanta. Ceteri vero non dissimiliter suis muniti carinis remanserunt ad custodiendas naves propter metum Turcorum, qui illas invaserant regiones, crudeliter depopulantes, quorum vocabula non minus ista esse probantur, Summissimus et Johannocari naucleri, Eustasius, Petrus, Lupulus, Major, Bisantius, Barida, Faracus, Summus, Mel, Symeon, Romanellus, Melciacca, Mel, Lidemannus, Johannes, Alefantus, Demetrius, Lupus, Johannes, Petrus, Andreas. Qui sic sagaciter...

Num. 4 ultima phrasis omissa.

Num. 8 med., pro *tunc vero quinque ex nautis ipsis* ita codex :

Tunc quidam Bisantius, et Romoaldus, et Sere, Varenses, et Nicholaus Monopolitanus, et Eustasius Tranensis...

Num. 13, post verba *habentis principium* ita codex :

Translatum est in Varim die dominico hora vespertina, depo-

situmque e navi receptum est in basilica sancti Benigni, ut jam relatum est. Nunc autem si Dominus voluerit, referam.

Tandem initio num. 15 hæc addita :

Quid multa? Cotidie undecunque ad suas fideliter concurrentibus reliquias quacunque infirmitate gravatis, idem Dei confessor invisibiliter obvians in viis vel plateis seu silvis atque ruribus, in civitatibus eorum ac oppidis, celerem præstare dignatur sanitatem. Fratres carissimi...

10° Passio SS. Gordiani et Epimachi (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, tom. II, p. 552-553. Sed pro ultima phrasi num. 5 hæc leguntur in codice :

Hic Epimachus apud Alexandriam cum collega suo Alexandro multo tempore et vinculis et cruciatibus carceris tortus, cum etiam frequentibus et diversis suppliciis confectus perdurasset in fide, ignibus ad postremum consumitur. Cujus reliquiæ deinde Romam translatæ sunt et positæ in supradicto loco. Cum quo, ut diximus, sanctus Gordianus postea quietem accepit. Et a fidelibus constitutum est, ut quos unius loci diversorium continebat, unius diei celebritas ulterius veneraretur et honoraret. In quo etiam loco beneficia eorum et virtutes florent usque in hodiernum diem. Dies autem passionis sancti Epimachi agitur pridie idus decembris; recensetur autem ejus commemoratio cum martyrio sancti Gordiani martyris, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

11° Conversio Faltoni Piniani et passio SS. Antimi, Maximi, Bassi, Fabii, Diocletiani, Sisinnii et Florentii (folia 3).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 616-619. Sed non paucas exhibet codex lectiones variantes, et loco ultimæ phrasis num. 10. et primæ num. 11 in eo legitur :

De quorum martyrio habens gratulationem magnam, Pinianus illustrissimus imo et christianissimus vir cum bona fide perrexit ad Dominum.

Præterea huic Passioni præfigitur prologus de quo in *Act. SS.*, tom. cit., p. 614, num. 1. Vid. Append.

12° Passio S. Gengulfi (folia 3 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644-648. Prologus in hunc modum contrahitur :

... virtutibus illustrat. Cujus conversatio et vita tota fuit sancta, innocua, cælebs, gratiosa; de qua quia nihil est...

13° Gesta SS. Nerei et Achillei (et sociorum) (folia 5 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6-13.

14° Passio S. Pancratii (folii 7/8).

Aliquantum diversa ab edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 21. Vid. Append.

15° Sermo Rabbodi sanctæ Trajectensis ecclesiæ famuli de genuina felicitate confessoris Christi Servatii (folium 1 7/8).

Editus in *Analect. Boll.*, tom. I, p. 104-111, variantibus lectionibus omnino sicut in cod. Brux. (notato ibid. 2; cfr. tom. cit., p. 104), præter paucas sequentes :

P. 104, *in titulo* et episcopi *om.*
P. 107, lin. 16 *extr.* (pene), *corr. pro hac voce fere deleta substituit* quippe.
— l. 32 (arcana), *add.* verba *prima manu.*
P. 109, l. 17 armoniæ *prima manu.*
— l. 23 membro sub hoc capite *prima manu.*
— l. 32 ΑΠΩCΤΡΟΦΑ.
P. 110, l. 7 ΚΝΟΤΙ CΕΑΥΘΟΝ, *et supra hæc verba :* Knotis. eliton.
— l. 22 improperabit *prima manu.*
— l. 28 porrigebat *om.*
— l. 31 ecclesiæ *om.*
— l. 32 exhibebat *prima manu.*

16° Vita, translationes et miracula S. Servatii episcopi (folia 31 1/4).

Vita fabulosa, cujusmodi cum jam non paucas, sive solas sive simul cum historia translationum et miraculorum, et earum quasdam satis prolixas, passim in manu scriptis codicibus reperire contigerit, omnes simul aliquando examinandas et conferendas in Analectis nostris reservamus. Quare visum non est nunc singularum rationem distinctius explicare.

17° Passio S. Bonefacii (folia 3).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 280-283.

18° Passio SS. Petri, Andreæ, Pauli et Dionisiæ (folium 1 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Maii, tom. III, p. 452-453. Multas habet lectiones variantes quibus codicis lectio præstare videtur.

19° Passio S. Mutii presbyteri (folia 2 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 622-624.

20° Passio S. Pontii (folia 4 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. II, p. 274-279.

21° Passio SS. Victoris et Coronæ (folia 3 3/4).

Acta prolixiora editis in *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 266-268. Vid. Append.

22° Passio S. Peregrini (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Maii, tom. III, pp. 563, 564. Passio in codice ita exorditur : *Tempore Valeriani et Gallieni cum se pestifera*, et pro *Jovinianum* nominat *Alexandrum etiam lectorem*.

23° Passio S. Calocerii et Partemii (folium 1 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Maii, tom. IV, p. 302-304.

24° Relatio Pastoris tituli de sancta Potentiana ad Timotheum presbyterum (folii 5/8).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 350-351. Sed multæ notari possunt lectiones variantes. Præterea exordio relationis legitur :

> Omnia quæ a sanctis gesta sunt vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere, et sibi et plurimis ædificationis exhibet fructum, et quasi arbor fructifera non sine causa probatur terram occupare dum vivit, cum et ipse suis pomis ornatur et omnis qui ex eo fructum perceperit, saginatur. Scribimus ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti sint, quid passi sint sancti. Ostenditis vos esse catholicos, qui Christi victorias semper libenter legitis, libenter auditis. Et interrogo vos cur tamen inter apocriphas litteras has volvendo censetis, per quas de Pudente legitur fratre nostro et amico apostolorum qui et cultor...

25° Passio S. Cononis (folii 7/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Maii, tom. VII, p. 5-7.

26° Passio S. Urbani episcopi (folia 7 3/4).

Acta majora de quibus in *Act. SS.*, tom. VI Maii, p. 5, num. 3. Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florileg. p. 84-101, præter ultimam partem (de Sta Marmenia), quam habes in *Act. SS.*, tom. cit., pp. 13, 14 (cap. III). Nota præterea in codice sermones subinde aliquantisper contrahi.

27° Passio SS. Donatiani et Rogatiani (folium 1 3/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Maii, tom. V, p. 280-281.

28° Passio S. Carauni (folia 2 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VI, p. 749-752. Sed Prologus ac Miracula ibi post Vitam edita in codice desiderantur.

29° Passio S. Prisci (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Maii, tom. VI, p. 365-367. Sed codex exhibet num. 2 ita contractum :

> Hoc audiens impiissimus Alexander dicit Prisco : « His et tu consentis? » Priscus respondit : « Utique sicut unum Deum colimus... »

30° Passio S. Viti (folia 2 1/2).

Acta paulo fusiora editis in *Act. SS.*, ad d. 15 Junii, tom. II, p. 1021-1026; sed horum ordinem et passim etiam verba servant.

31° Vita S. Maximini episcopi (folia 3 1/4).

Edita apud Surium ad d. 29 Maii. Prologus deest, et ad finem num. I, omissa sunt hæc verba *idibus Januarii.*

32° Passio SS. Cantii, Cantiani et Cantianillæ (folium 1).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Maii, tom. VII, p. 428-430. Sed in codice :

Num. 1 omittitur.

2 : ... vitarent sententiam, prædia sua... decreverunt, qui eodem tempore in urbem Aquileensem repedarunt...

3. Cumque in Aquilegiensem urbem fuissent ingressi... numerari non potuissent; agente scilicet præside una cum Sisinnio comite.

Num. 4, omissa prima phrasi, incipit :

Audientes... tres germani ex urbe Roma uno animo fortiter reluctantes et nescio quem Christum confitentes et contemnentes decreta pietatis vestræ; unde quid...

5 : ... egressi sunt, divinam Scripturam habentes præ oculis, quæ dicit : Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam. Nunciatur...

Num. 6. Post *ad aquas Gradatas* cetera omittuntur.

Num. 7. Præter initium (usque ad *Ita illi sunt a persecutoribus*) omittitur.

8 : ... videntibus apparuit. Quo tempore venerabilis vir Zoilus presbiter in illis locis habitabat : qui colligens... corpora aromatibus condivit et in optimo loco sepelivit. Martyrizati sunt autem sancti martyres, Cantius, Cantianus, Cantianilla, 22 Kl. Junii, imperante Diocletiano, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria et honor in perpetuum in secula seculorum. Amen.

33° Vita B. Symeonis confessoris (folia 3 3/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom. I, p. 89-93. Sed prologus deest, et num. 22 hæc tantum refert codex : *Igitur post horam nonam sepulcrum clauditur.*

34° Passio SS. Marcellini et Petri (folium 1 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173.

35° Passio S. Herasmi folia (2 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 213-216. Sed hic passim paulo fusior est sermo, et multæ lectiones variantes. Desideratur finis (a num. 11 med.), exciso folio.

36° (Vita S. Medardi) (folium 1).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Junii, tom. II, p. 79-81. Desideratur initium (usque ad num. 3 med.) et num. ultimus. In fine adduntur hæc verba : *Fortunatus presbyter composuit hanc vitam vel actus sancti Medardi episcopi.*

37° Passio SS. Primi et Feliciani (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, p. 152-154.

38° Passio S. Vincentii (Aginnensis) (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, pp. 166, 167. Sed nonnulla in codice adjecta. Vid. Append.

39° Passio viri christianissimi beati Gethulii (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Junii, tom. II, pp. 265, 266. Codex multas exhibet lectiones variantes, et Passio in eo ita incipit :

> Adriani imperatoris tempore erat quidam doctissimus in omni lege divina, nomine Gethulius...

40° Passio S. Basilidis (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Junii, tom. II, p. 510, numm. 2-5.

41° Passio S. Barnabæ apostoli (folia 3 3/8).

Edita ex parte in *Act. SS.*, ad d. 11 Junii, tom. II, p. 423-425, et in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 354-357. Præterea codex prologum habet et aliquam mediam partem in editis omissam. Vid. Append.

42° Passio SS. Nazarii et Celsi (folia 2 1/8).

Diversa ab editis apud Mombritium, apud Surium et in *Act. SS.* ad d. 28 Jul., tom. VI, p. 533-534. Vid. Append.

43° Passio SS. Rufini et Valerii (folium 1 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, pp. 796, 797. Sed, initio præsertim, paulo fusiora. Vid. Append.

44° Passio SS. Ferreoli presbyteri et Ferrutionis diaconi (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, p. 7-9. Sed non paucæ in codice notari possunt lectiones variantes, quarum has præcipue hic exhibendas duximus :

1. In diebus Aureliani, sceleratissimi imperatoris, sanctus Hireneus, Lugdunensis Ecclesiæ episcopus, Christi lumen et splendor justitiæ, innumerabilem Lugdunensium sibi commissam plebem publica prædicatione jugiter docebat. Et ad finitimas civitates discipulos suos mittebat, et monebat eos ut sine timore verbum Dei gentibus prædicarent. Inter quos præclaros et catholica fide imbutos viros Ferreolum presbyterum et Ferrutionem diaconum, in confessione veræ fidei persistentes, ad Vesontionensem civitatem misit, ut Ecclesiam Dei supra firmam petram fundarent, et populum verbo Dei replerent. Ipsi vero cum gaudio præceptum sancti Hirenei episcopi complentes, statim ad prædictam civitatem fide armati perrexerunt. Sicut lapides pretiosi vel margaritæ in signis et virtutibus et in sermone Domini gloriose resplendebant, quia Spiritus sanctus in cordibus eorum habitabat. Et per eos nomen...

3 : « ... dignatus es. Quos ergo fecisti tui verbi præcipuos nuntios, da nobis tui muneris gratiam, ut promissionem tuam possimus dinoscere. Nihil est nostrum posse, nisi firmetur tua benedictione et virtute. Quomodo inimici jaculis et hostis insidiis poterimus resistere, nisi subvenerit nobis manus misericordiæ tuæ? »

8 : « ... in eadem crypta ubi manserunt, ibi sepelierunt; ubi semper orationes eorum florent, ubi quotidie Domino gratias agunt post necem sanctorum discipuli eorum. Quos imitari non possumus vel ex parte, eorum martyrium declaramus. Acta...

45° Revelatio S. Ambrosii de inventione corporum SS. Gervasii et Protasii (folium 1 1/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Junii, tom. III, p. 821-822, num. 17-23. Lectiones variantes non paucæ. Ad finem num. 20 adde ex codice :

Martyrizatus est autem in eadem civitate Ravenna sub Paulino consulari sub die IIII Kalendarum Maiarum.

Et ad fin. num. 23 :

Martyrisati sunt autem sancti martyres Gervasius et Prothasius in Mediolanensium civitate XIII Kl. Julii, sub Astasio comite, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

46° Passio S. Theognesti episcopi (folium 1 1/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 345-347. Non paucæ lectiones variantes conveniunt cum codice ibi notato littera B.

47° Passio S. Albani (folium 1).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 147-148. Codex absolute incipit a vocibus *Diocletianus in Oriente*, quæ leguntur in actis editis num. 1, lin. 6.

48° Passio SS. Achatii ac decem milium sociorum ejus (folia 4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 182-187. Sed versus duo in fine prologi desunt. Deinde num. 19 refert lectiones expositas sub annotatis *a*, *b*, *c* (p. 287), et clausula codicis ea est quæ legitur ad annotatum *g* (p. 188).

49° Passio SS. Joannis et Pauli (folia 2 1/8).

Edita apud Mombritium, tom. I, in Actis S. Gallicani.

50° Passio S. Salvii (folium 1 3/8).

Diversa ab edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Jun., tom. V, p. 178-204. In fine mutila, exciso folio. Vid. Append.

51° (Finis Passionis S[tæ] Symphorosæ et filiorum ejus) (folii 1/8).

Ultimæ lineæ Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 358-359.

52° Gesta Septem Dormientium (folia 4 7/8).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 252-259. Sed multæ in codice notari possunt lectiones variantes.

53° Vita B. Tiebaldi confessoris (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Junii, tom. V, p. 592-595. Sed prologus et numm. 14, 15, in codice desiderantur.

54° Passio SS. Processi et Martiniani (folium 1 1/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Julii, tom. I, p. 303-304. Sed rudiori, ut videtur, manu conscripta exhibetur in codice.

55° Vita B. Goaris confessoris (folia 4 7/8).

Edita apud Surium ad d. 6 Julii. In clausula post vocem *paterque venerande* additur *Marcuarde*.

56° De miraculis beati Goaris confessoris (folia 3 1/2).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 6 Julii, tom. II, p. 337-346. Sed in codice numm. 19 et sequentes omissi sunt.

57° Passio S. Kiliani (folia 4 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 614-618. Sed num. 20 prima phrasis omissa est. Post secundam phrasim num. 23 subjungitur in codice :

> Quomodo autem hujus intentionis votum ad dignum effectum perduxerit et quomodo beatus Burchardus ipso annitente ipsam sedem episcopatus primus initiaverit et quomodo

martyrum corpora idem Burchardus de loco ubi indecenter posita fuerant sustulerit, prout potuerimus manifestabimus.

Deinde refert quæ edita sunt in *Act. SS.*, tom. VI Oct., p. 573-575, numm. 2-6, sed ultimi hujus num. 6 non nisi duas primas phrases.

58° Passio S. Procopii (folii 3/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 556.

59° Passio S. Cyrilli episcopi (folii 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Julii, tom. II, p. 687. Sed pro secunda phrasi num. 1 ita codex :

> Offensam humanam qua Deus hominibus indignabatur, in venialem commutavit satisfactionem, et gratiam Dei per quam cognoscitur Deus placari humano errori, obtinuit meritis et precibus populo sibi ad spirituale regimen commisso.

60° Translatio S. Benedicti et Scholasticæ sororis ejus (folia 2 7/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302-305.

61° Passio SS. Hermagoræ episcopi et Fortunati diaconi (folia 2 1/2).

Edita apud Mombritium, tom. I, et in *Act. SS.*, ad d. 12 Julii, tom. III, p. 251-257.

62° Passio S. Focæ episcopi (folia 3 1/8).

Edita apud Mombritium, tom. II.

63° Vita S. Alexis confessoris (folia 2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251-253. Sed ita incipit :

> Temporibus domni Honorii et Archadii erat...

64° Passio S[tæ] Margaretæ (folia 3 1/4).

Edita apud Mombritium, tom. II. Sed narratio certaminis cum diabolo valde contracta est. Præterea passim nonnullæ phrases omissæ sunt.

65° Relatio Pastoris presbyteri tituli de beata Praxede virgine (folium 1).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 300, numm. 5-7. Incipit autem in codice his verbis :

> Virgo venerabilis Praxedis habitavit in titulo supradicto, afflicta propter transitum germanæ suæ Potentianæ, ad quam...

66° Passio S. Victoris (folia 2 1/8).

Diversa ab editis in *Act. SS.*, ad d. 21 Julii, tom. V, p. 142-143 et p. 143-147. Vid. Append.

67° Narratio de S[ta] Maria Magdalena (folium 1 3/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii, tom. V, p. 218-222, numm. 170-

186. Sed in codice post tres primas phrases num. 182 cetera omissa sunt. Sequentes autem versus, prologi instar, narrationi præfixos habet :

Prologus explanat populus quod laude frequentat;
Sydera collucent, aurea regna patent.
Luna per accensus renovat solatia victus,
Ac Tytan speculo conspicitur nimio.
Illustrans terras pellens caligine tetras
Haud segnis radiis irradiare suis.
Lux nova cum claro mundo procedit Olympo;
Lampade phœbea excolitur Maria.
Quæ Christi lacrimis lavit vestigia sanctis,
Cujus in exuviis acta micant studiis.
Acceleret lector verborum pompificator
Obedire Deo judice perspicuo.

68° Vita ejusdem (folium 1).

Edita apud Faillon, *Monuments inédits sur l'apostolat de sainte Marie Madeleine*, tom. II, p. 433-436, seu Num. 1.

69° Translatio ejusdem (folium 1 3/4).

Edita apud Faillon, tom. cit., p. 745-752, seu Num. 57. Cfr. *Act. SS.*, tom. cit. (V Julii), p. 208, numm. 115 sqq. Sed codex ita incipit : *Nunc ergo largiente Domino.* Deinde ex iis quæ leguntur ap. Faillon, p. 750, quædam omissa sunt, ita ut hanc præbeat lectionem : *sicque veloci cursu properantes venerunt ad Nemausiam civitatem.* Tandem post verba ista : *XIII Kl. Aprilis reposuerunt*, additur clausula, quam videsis in Append.

70° Vita S. Wandregisili (folia 4 7/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii, tom. V, p. 272-281. Sed :

Num. 2 omissæ sunt quatuor ultimæ phrases.
Num. 3 penultima phrasis contracta hoc modo :
In quo talis ejus enituit conversatio ut ad declaranda...
Num. 4 a verbis *Exinde cœpit magis magisque* reliqua omissa.
5 ... temporis habitavit. Qui omnes facultates...
6 ... fundator sceptra Francorum... opitulari solebat, licet nolens...
7 ... possessione propria. Monstratur...
Num. 8 ultima phrasis omissa.
9 ... inviseret loca. Qui surgens...
11 ... præbuit obsequium cognovitque...
Ibid., post verba *Domino militavit*, cetera omissa sunt.
Num. 12 omittitur.
13 ... administrans Barbaricas...
14 ... habitare solebant. Quod tam solerti...

Ejusdem num. tres ultimæ phrases omissæ.

15 ... ut consecraret, supplex exorat...

Ejusdem num. ultima phrasis omissa.

16 ... tradidit ad regendum. Quod idcirco adscribendum...

Eodem num. *prædictus autem Christi famulus* et reliqua omissa.

19 ... adforet consolator. His diebus...

Ejusdem num. finis a verbis *celebrataque* omissus.

Num. 21 omissus, itemque num. 22 præter duas ultimas phrases.

Num. 23 tres ultimæ phrases omissæ.

25 ... Ecclesiæ Rotomagensis. Hi successores...

27 ... post paululum conticuit. Cumque hostis conspiceret...

28 ... cœnobii anno ab incarnatione...

71° Passio S. Apollinaris (folia 4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. Quæ in editis sunt inclusa uncinis, in codice ut plurimum non leguntur.

72° Passio S^tæ Christinæ (folia 3 7/8).

Inc. Temporibus Diocletiani imperatoris erat quædam puella de Tyro nobilissima virgo annorum duodecim, nomine Christina, sapiens...

Des. fecitque ei memoriam in templo Apollinis, et ibi collocavit ejus reliquias. Passa est autem sancta Christina sub Urbano patre suo, et Zeon, et Juliano, annorum quatuordecim, sub imperatore Diocletiano, VIIII Kl. Augusti, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria et potestas in secula seculorum. Amen.

Eadem quoad res cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 524-528, sed passim aliis verbis concepta et prolixior.

73° Passio S. Christophori (folia 2 1/4).

Post titulum modo citatum sequitur in codice hoc ejus supplementum item litteris rubris exaratum :

Quod est VIII^vo Kl. Augusti, qui fuit passus sub Dagno imperatore in civitate Samon, qui fuit genere Chananeus et opere christianus, in quo Christus ut palma floruit, qui non noverat Deum, quem Christus ore divino in ymbre baptizavit baptismo salutis, et annunciavit ei per angelum suum quod per eum multæ generationes crediture essent in Christum et vocandi essent filii Dei.

Deinde ipsa Vita :

Inc. Sanctus Dei Christophorus dum intentus esset in oratione, ecce nubes de cœlo descendit super eum, et circumdedit eum, et audivit Dominum dicentem...

Des. ut sicut ego credo et ipsi credant in Dominum Jesum

Christum, quem si quis blasphemaverit, gladio puniatur. Passus est autem sanctus Christophorus VIII^vo Kl. Augusti in Samon civitate, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria et honor in secula seculorum. Amen.

Eadem est, quod ad res spectat, cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 146-149, sed passim diversa verbis.

74° Passio S. Cucufatis (folia 2 1/4).

Edita apud Surium ad d. 25 Julii, identidem mutato stylo. In codice omissi sunt prologus et numerus XI seu ultimus.

75° Vita B^tæ Glodesindis virginis (folia 4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 203-210. Sed omissi sunt numm. 1, 2, itemque num. 3 prima et ultima phrasis, num. quoque 40 et sequentes.

76° Passio S. Pantaleonis (folia 3 1/4).

Inc. Senator quidam Eustorgius morabatur in civitate Nichomedia, habens filium nomine Pantaleonem...

Des. Christiani vero cineres ejus posuerunt in locello argenteo, et collocaverunt occulte sub altari sancti Liberii sancto velamine. Spiculatores autem ad imperatorem non sunt reversi, sed reliquias martyris sunt secuti. Passus est autem sanctus Pantaleon V^to Kl. Augusti in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Versio latina, ut videtur, eorumdem actorum græcorum unde et desumptus fuerit textus editus apud Mombritium, tom. II : hic tamen posterior subinde paulo prolixior est, sed in eo desideratur quod in fine alterius narratur de sepultura sancti (vid. supra).

77° Vita S. Samsonis confessoris (folia 11).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Julii, tom. VI, p. 573-587. Sed in codice legitur tantum liber I, omisso etiam prologo.

78° Passio S. Felicis episcopi (folium 1 1/4).

Inedita, ut videtur. Vid. Append.

79° Passio S. Lupi episcopi (folium 1 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 69-70. Hæ notandæ variantes lectiones :

Num. 1, lin. 5 primus e Perochio genitus; lin. 11 Pimeniola sancti Hilarii Arelatensis...

Num. 3 sic incipit : Post quem fidei calorem emenso anni curriculo regrediens...

Num. 4, lin. 14 admirationi fuere : nam capturam hominum sine cessatione facientes; lin. 17 : omnes etiam ad fidem trinæ confessionis; lin. 19 : Britanniam occupatam liberaverant, cum propriorum ovilium memores ad sua remearunt.

Num. 5, lin. 5 : expositam nec armis munitam nec muris, cum...
Num. 6, lin. 2 : Latisconæ experto sollertior credidit festinandum ut...; lin. 5 : dependerat. Quod perfugium distat quadraginta quinque milibus pro centum quadraginta ab urbe. Ubi...; lin. 7 : venientium raritate suorum; lin. 9 : mulier juxta Alisiam prostrata.
Num. 7, lin. 2 : videtur utcumque vitæ qualitas; lin. 3 : quinque expers lectuli; lin. 5 : non nisi consuetudo semper cilicii fuit.
Num. 10 med. : Gebavultu, Brigonenses.
Num. 11, lin. 5 : Polichronium.

80° Passio Stæ Seraphiæ (folium 1 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 500-504. Num. 1 omissa est hæc pericope : *quæ sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam dedit Romanis.* Deinde totum caput III omissum.

81° Passio SS. Abdon et Sennen (folia 2).

Edita quidem, sed ita ut initium, quod est de S. Polychronio, legatur ex parte in *Act. SS.*, ad d. 17 Feb., tom. III, p. 5-6, num. 3-6, ex integro vero apud Mombritium, tom. II; sequentia vero, quæ sunt de SS. Abdon et Sennen, in *Act. SS.*, ad d. 30 Julii, tom. VII, p. 137-138; sed codex (cfr. ibidem annot. *c*, p. 138) inserta habet de S. Olympiade quæ edita sunt ad d. 15 Aprilis, tom. II, p. 375, num. 2-4.

82° Passio SS. Aceiæ regis et Luciæ virginis (folii 7/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Junii, tom. V, p. 13-14.

83° Vita S. Germani Parisiensis episcopi (folia 7 7/8).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I, p. 234-245. Sed in codice cap. II ultima phrasis et cap. XXII duæ ultimæ phrases omissæ; deinde post cap. LXIII excisum est folium, quare desiderantur capp. LXIV-LXXIV.

84° De ecclesiæ S. Germani constructione (folia 6 3/8) et de miraculis ejusdem (folia 14 1/8).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VI, p. 788-796. Sed in codice omissum est caput IV, præter ultimam phrasim num. 35. Inde codex, nullo novo titulo, transit ad historiam translationis factæ anno 845. Hanc historiam ab Aimoina conscripta ex relatione item scripto consignata duorum testium oculatorum, ediderunt nostri tom. cit., p. 796 sqq. Sed habemus hic ipsam alterius horum testium narrationem, hucusque, ni fallimur, prorsus ignotam. Quam proinde proxime in Analectis nostris edendam censuimus.

85° Vita S. Germani Autissiodorensis episcopi (fol. 8 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 200-220. Codex habet quæ leguntur ibidem p. 201, annot. *b*. Præterea post prologum sequentia addita sunt :

Scripta fratrum monasterii sancti Germani ad Karolum imperatorem.

Sublimitas celsitudinis vestræ agnoscat, domine præcellentissime regum, nos votivos oratores vestros, fratres videlicet monasterii beatissimi Germani episcopi, diem decessionis e seculo vestri serenissimi genitoris III° Kl^rum Octobrium speciali orationum officio devotissime omni anno recensere. Sed et sanctæ memoriæ genitricis vestræ anniversariam agendam nichilominus sedula devotione annis singulis frequentamus; at vero nostri per omnia memores pro vestra incolumitate et pace atque statu regni vestri pias aures Domini attentissima prece propulsare studemus.

Num. 18 omissus; num. 21 conceptus est sicut in aliis nonnullis codicibus (vid. ibidem annot. *k*, p. 208); num. 36 duæ tantum leguntur ultimæ phrases. Omissi et numm. 53, 54; item prior pars num. 55, num. 60 ultima phrasis, num. 61 pars prior, num. 62. Post num. 63 nihil superest nisi mutilum fragmentum, ultimo codicis folio per medium lacero.

VIII. Codex signatus n° 73.

Chartaceus foliorum 207, formæ mediocris (0m,284 × 0m,205), columna duplici, exaratus seculo XV. Quatuor continet partes, totidem manibus scriptas.

Pars I complectitur folia 92, numeris notata præter tria ultima. Totam complet *Liber apum qui dicitur bonum universale* (1).

Pars II, foliis 36, sola ad nostrum scopum pertinet. Duodecim exhibet Vitas sanctorum, distinctius infra describendas. Litteræ initiales singularum Vitarum (et etiam capitulorum proœmialium de origine nominis, in Vitis ex Legenda Aurea excerptis) satis magnæ, minio exaratæ sunt et plantarum figuris atramento delineatis ornatæ. Similes litteras depinxit librarius initio singulorum sermonum in parte quarta. In ceteris vero partibus illæ figuræ desiderantur.

Pars III, foliis 24, refert sermones in festivitate S^tæ Catharinæ, S. Bernardi de duodecim gradibus humilitatis et de duodecim gradibus superbiæ et ejusdem alios sermones tres, ac demum Richardi de Sancto Victore tractatum ad Novitios.

Pars IV, foliis 55, complectitur sermones cujusdam Vimonis, quorum titulos hic proferre non pigebit :

Sermo [in] dominica 1ª Adventus Domini.

Sermo de beato Nicholao factus a m[agistro] Vimone in sacro palacio.

(1) Cfr. supra, ad Cod. 31.

Sermo factus de sancto Thoma in capella Vice-cancellarii.

Sermo de nativitate Domini.

Sermo de nativitate Domini in capitulo sancti Bavonis Gandensis.

Sermo de sancto Stephano factus coram papa Clemente anno M°CCC°.

Sermo de beato Stephano.

Sermo de sancto Johanne evangelista factus a Vimone coram papa et cardinalibus.

Sermo factus a Vimone coram papa Innocentio 6° in epiphania Domini anno Domini 1362.

Sermo factus a Vimone in vice cancellario (sic) *dominica in sexagesima.*

Sermo factus coram papa Clemente VI° in capella ipsius in die cinerum.

Sermo factus in capitulo sancti Bavonis in die cinerum (mutilus).

Toti codici præmittitur folio 1 recto index contentorum, et ipsi indici hæc nota : *Liber de Jardineto* (1). Eadem repetitur in fine folii ultimi post quartam partem. In hoc ultimo folio hæc præterea scripta sunt :

Infrascripti libri concessi sunt ad usus fratrum nostrorum in monasterio de Lobiis causa reformationis ejusdem monasterii residentium diversis vicibus ipsis fratribus nostris illic transmissi.

Duo antiphonarii hyemalis videlicet ab adventu usque ad pascha quorum unus est major altero et materiæ pretiocioris tam de tempore quam de sanctis.

Item unus alius antiphonarius estivalis videlicet a pascha usque ad adventum etiam de tempore et de sanctis | usus ordinis Cisterciensis.

Item tres libelli processionales.

Item libellus in quo est officium pro mandato.

Item psalterium magni voluminis continens hymnos totius anni de tempore et sanctis.

Collectaneus antiquus.

Libellus quorumdam extractorum ex hubertino.

Liber fratris Egidii socii sancti Francisci.

Item alius libellus similis præscripto.

Item volumen continens quædam opuscula beati Bernardi.

Item vita sancti Gregorii pulcræ litteræ et pretiosæ materiæ.

Libellus consolationum Bonaventuræ.

Ailredus de spirituali amicitia cum pluribus aliis.

Item volumen continens sermones domni Guerrici cum pluribus aliis.

Unum Qui pridie *affixum asseri.*

Unum parvum missale.

(1) *Jardinetum* seu *Hortulus B. Mariæ* prope Walcuriam in comitatu Namurcensi, abbatia Ordinis Cisterciensis, olim sanctimonialium, postea virorum. Cfr. *Gallia christiana,* tom. III, p. 595.

Expositio Rabani super regulam Benedicti.
Item breviarium impressum in duobus voluminibus concessum abbati.
Plura breviaria quibus utuntur fratres.

1° Vita B. Roberti abbatis (Molismensis) (folia 2 1/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 April., tom. III, p. 668-676, sed in codice passim contracta, et in fine (a num. 14) ordine aliquantum inverso. Prologus deest.

2° Vita S. Gregorii (Magni) papæ (folia 3 7/8).

Ex Legenda Aurea, duplici inserto additamento, videlicet A) paulo post initium (ed. Th. Graesse, Dresdæ 1846, p. 191, lin. 5) ante hæc verba *Cum igitur Deum*, oratione Gregorii ad populum habita, occasione supplicationis ad luem avertendam institutæ; B) nota temporis conversionis Anglorum (cf. ibid., p. 192 med.).

3° Vita S. Ambrosii (episcopi Mediolanensis) (fol. 2 1/4).

Ex Legenda Aurea.

4° Passio S. Georgii martyris (folium 1 3/8).

Ex Legenda Aurea.

5° Vita S. Marci evangelistæ (folium 1).

Ex Legenda Aurea (ed. Lovan. 1485).

6° Passio S. Petri martyris ex Ordine Prædicatorum (folia 3 1/2).

Ex Legenda Aurea.

7° Vita S. Petri archiepiscopi (Tarentasiensis) (folia 7 1/2).

Vita auctore Gaufrido abbate Altæcumbæ, edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Maii, tom. II, p. 323-338. Sed in codice deest prologus. Præterea in libro I omissa sunt pars numeri 11 et totus numerus 14; numerus vero 24 paucis verbis contractus. In libro II omissa initium numeri 1, præterea numeri 2-5, numeri 7-9, finis numeri 11, et ex septem miraculis narratis numero 12 leguntur tantummodo primum, tertium et sextum. Reliqui vero numeri 13 et 14 item omissi, et horum loco legitur hæc clausula :

> Multa alia ad sepulcrum ejus facta sunt; et claudi gressum, cæci visum, surdi auditum, aliisque incommodis præpediti et morbis gravati salutem et sanitatem receperunt. Explicit vita sancti Petri Tharentasiensis archiepiscopi, edita a venerabili Gaufrido abbate monasterii Altæcumbæ, quem sanctum Cœlestinus papa tertius canonizavit.

Notandum etiam non pauca nomina locorum aliquantum diverse esse scripta.

8° Vita S. Servatii episcopi (Trajectensis) (folia 2 1/2).

Inc. Ad illuminandum humanum genus multas in hoc mundo

spirituales lucernas..... *Des.* Ad sepulcrum autem hujus sancti ac Deo dilecti Servacii crebra facta sunt miracula, ad laudem Jesu Christi qui est Deus benedictus in secula. Amen.

Vita fabulosa, inedita.

9° Vita S. Yvonis presbyteri (Trecorensis) (folia 2 1/2).

Hanc Vitam edidit Surius ad d. 19 Maii, sed stylo admodum mutato et omissa relatione miraculorum post mortem. Vid. Append.

10° Translatio S. Benedicti (folii 1/2).

Inc. Translatio sancti Benedicti et Scholasticæ virginis sororis ejus facta est circa annum Domini sexcentesimum septuagesimum..... *Des.* Et reversi ad regem narraverunt quæ passi fuerant, addentes quod non deberet Gallia tam sanctis reliquiis viduari.

Compendium historiæ translationis corporis S. Benedicti Floriacum (cfr. *Act. SS.*, tom. III Martii, p. 302 sqq., num. 1-11) et irriti conatus ad illud Floriaco Cassinum referendum (cfr. *Miracula S. Benedicti in Gallia*, auctore Adrevaldo, num. 15-17, apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 373-375).

11° Vita et miracula S. Ludovici regis (folia 3 3/8).

Edita in *Rer. Franc. Script.* tom. XXIII, p. 160-167. Circa finem Vitæ, post voces *efficaciter adimplenda* (tom. cit., p. 164, lin. 3 a fin.), inserta est *Instructio beati Ludovici ad filium*, versione diversa ab utraque edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 546, num. 18-22 et p. 756, num. 259-262. — Miraculis post mortem præmittitur hæc narratio quæ desideratur in editis :

Hinc nuper ad designandum meritum devoti regis Franciæ Ludovici quiddam accidit, quod subjungo, illis mirantibus qui viderunt. Quam gratum autem Deo ipsius regis Franciæ exemplum altissimæ humilitatis existat, rex omnium Christus tam evidenti miraculo in Brabantiæ partibus demonstravit. Comes Ghelriæ cursorem suum cum litteris Parisius miserat, cursu propero rediturum. Quem redeuntem comes interrogans quæsivit si regem vidisset Franciæ Ludovicum. At ille more subsannantis contorquens collum, Vidi, inquit, illum miserum papillardum, capucium habentem super scapulam ex adverso suspensum. Statim illius facies contorta hæsit ex adverso, et sic contorta remansit. In die sepulturæ... (*Rer. Franc. Script.* tom. cit., p. 165, lin. 9).

12° Vita S. Edmundi archiepiscopi Cantuariensis (folia 5 1/4).

Inc. Excellentis ingenii et fecundæ facundiæ oratores avos et

atavos..... *Des.* Nec hoc solum sed plura alia, quorum quædam sunt in littera ejusdem summi pontificis exarata ad laudem, etc.

Contracta ex Vita edita apud Martene et Durand, *Thes. nov. Anecdotorum*, tom. III, col. 1775-1826.

IX. Codex signatus n° 76.

Chartaceus, foliorum 200, formæ mediocris ($0^m,283 \times 0^m,206$), duplici columna exaratus seculo XV.

Post indicem generalem codicis sequitur Regestum S. Gregorii M., præfixo indice particulari ejus regesti, deinde tractatus S. Augustini *Quare caro concupiscit adversus spiritum*, etc. Hæc prior pars eadem manu scripta est. — Pars posterior codicis continet Vitas sanctorum, diligentius infra recensitas.

In folio 1° recto indicis regesti adscripta est hæc nota : *Iste liber pertinet monasterio beate Marie virginis de Jardineto juxta Walcuriam in comitatu Namurcensi Leodiensis diocesis*, et in fine regesti hæc altera : *Explicit registrum beatissimi Gregorii pape scriptum et finitum anno Domini* 1493 *in die S. Marcelli martyris post epiphaniam Domini per manum cujusdam fratris cujus nomen sit in libro vite scriptum. Deo gratias. Orate eumdem pro me peccatore.*

1° Vita S. Gisleni presbyteri (folia 4 1/4).

Conscripta a Philippo Bonæ Spei, edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1337-1350.

2° Vita S. Gerardi Broniensis (folia 10 3/4).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Oct., tom. II, p. 300-319. In codice alterum priori subjungitur hoc procemium :

Item prohemium. Virtus Domini tanto gloriosius prædicatur quanto mirabilius in sanctis operatur. Operatur quippe Deus in istis ut per eos et in eis ostendatur mirabilis. Hinc admirativa vox prophetæ clamantis : Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis. Laus ergo cujuslibet sancti procul dubio laus creditur Dei. Oportet igitur sanctos collaudari, ut magis ac magis amplietur laudatio Dei. Unde et hunc de quo agimus sanctum laudando veraciter extollimus et extollendo veraciter laudamus, ut per eum et in eo laudetur, magnificetur, mirificetur laudabilis et mirabilis Deus.

3° Passio Undecim millium Virginum (folia 12).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 173-185 (Lib. I). Adjectum est capitulum de sancta Cordula. Vid. Append.

4° Vita et miracula S. Guillelmi ducis (folia 14).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Feb., tom. II, p. 450-472. Deest prologus. Insuper hæc notanda videntur :

Num. 4 (Partis I) ad med. omissa sunt : hoc est dicere- commendetur clementia, ac post med. : Ibi conceptus- imbecillioris infirmitate.

Num. 5, omissa prima phrasi, ita legitur : Nobilior, eo honoratior quo fortior universis, denique ex parentela generosus et ex natura virtuosus, ex opifice extitit speciosus. Genus clarum... humana videbatur. Nusquam enim se per totam... ad certamen. Extraneis...

Num. 6 ab initio- post medium *placuit operari*, omittitur.

Num. 7 : ... fratribus suis est beatus Bernardus abbas ordinatus. Hic est qui... extirpabat, et erroneos instruebat, principes arguebat... Sed quid ageret, penitus ignorabat. Cum autem placuit ei qui segregavit... cuncta complectens ut abbas sanctus in quodam monasterio ordinis sui constructo de novo in Pictavia moraretur. Qui de misericordia Domini confisus nuntium direxit ad comitem intrepidus, supplicans ut ad se necessariæ locutionis gratia dignaretur properare. Quem mox comes ut audivit, deposita quodammodo ferocitate leonina, in auditu auris obedivit... — Vid. num. 10 ad finem.

Num. 11 qui sequitur in cod., nisi quod in eo prima et ultima phrasis omissæ sunt, ita conceptus est : ... præmiis bonorum, ardenter tepidum instruebat. At quoniam nondum... desiderium complebatur. Interim tyrannus esurire compellebatur, quia ei cibus assuetus denegabatur, cui assueta relinquere difficile videbatur. Quid plura... abire permisit. Sine modo... recedere. Veniet dies et non tardabit...

Tunc in cod. sequuntur numm. 8 et 9, 12 et reliqui ad num. 18 ita exscriptum : ... cœlum appetentes, a communi... segregabant semetipsos. Sed in regione eadem... viri spirituales qui ne cum... vivebant eremo. Non longe erat a loco... meditabatur, quidam de numero talium sed miræ... donec inveniret. Ille vero replebatur... Dominico. Audierat enim a multis... fecisset, et nesciebat... electionis. Dicebat ergo : « Recede, recede... quiesce et nihil tibi et loco isti. » Reliqua omissa.

Num. 19 incipit ab his verbis : « Verumtamen, si vera sunt quæ exponis, ad quemdam... consulo, qui in discretione... seculo. » Auditis sermonibus, timidus heros ivit... (ultima phrasi omissa).

Num. 20 : ... rutilabat sanctitate. Ad hunc solitarium... celeriter. Revelaverat autem Deus... beatus Guillelmus. Postquam igitur adventasse... suscepit. Cui ille... enucleare. At vir Domini viso

eo non præterivit... illius egit. (Cetera cum num. 21 omittuntur.)

Num. 22. Nam post multa salutis documenta fabrum ad se de vico proximo clam accivit, cum circulis, cathenis et vinculis ferreis vincire paratum, quem nesciebat si reciperet. Videns autem Guillelmus fabrum cum dictis, obstupuit, ut dicere... vincienda. Nec mora audivit patrem... irrefragabilis quia modus puniendi... extendi. More igitur perfecti... nudus Christum sequi possis. Deinde quia hæc omnia... ad carnem nudam portabis omnibus diebus vitæ tuæ. (Ceteris omissis.)

Num. 23, omissis duabus prioribus phrasibus, ita : ... succenditur ut Christum... sine confusione et lorica... militis imponitur. (Cetera omissa sunt.)

Num. 25, omissis duabus prioribus phrasibus : ... se recepit. Inter cetera sententiam... aurum non vellet. Intravit ergo...

Num. 35 ultima phrasis omissa est.

Inde a num. 36 prioris ad num. 12 posterioris partis major occurrit ordinis inversio. Etenim post num. 35 partis prioris continuo subsequitur num. 2 alterius partis, ita incipiens : *In Tusciam revertitur*, usque ad finem num. 3, cui subjunguntur numm. 36, 37 prioris partis cum num. 1 partis posterioris. His annectuntur : Ubi cum aliquamdiu apud quasdam personas religiosas eum detinentes demoratus fuisset, cessit et abiit in silvam Lyvalliam ubi prius hospitale... (quæ leguntur post med. num. 8 ejusdem partis), cum numm. 9, 10, 11. Tunc ita prosequitur codex in margine : in Tusciam revertitur pii (?) partes ingreditur, et in silva quæ Livallia nuncupatur, speluncam horribilem repperit. Quadam igitur nocte cum solus esset in cella sua et suo solito modo oraret, contigit ut eidem sathanas invideret. Prima ergo vigilia noctis cum effudisset sicut aquam cor suum ante Dominum et audivit subito advenientium exercitum demonum, et quasi totam vallem occupantes cum phaleris equorum et sonitibus volarum (*sic*) audiebantur resonantes. Accedentes (Parte II, n. 4, lin. 22)... ceteris præclarior apparuit... cœpit : Cerne... rogante tuo. Jam patrem sequere... mota gere. Quærere... sordent. Hæc et similia princeps demoniorum suadebat (num. 6, lin. 2)... parvi pendebat. Videns igitur jam suam nihil prævalere industriam, se convertit... apertam militiam. Nam subito effractis... corporis membris ejus, tandem semivivo relicto abierunt. Recedentibus malitiæ satellitibus, subito missæ sunt (num. 7, lin. 7)... puellæ, secum... ceteris facie venustior rutilabat. Hæc erat .. virgo Maria. Prædictæ... sauciatum suc-

cenderunt... celeritate pristina sanitate recepta, incolumitati... discesserunt.

Continuo in codice sequitur num. 12 cum reliquis.

Notandum tandem quo ordine miracula post mortem meritis B. Guillelmi patrata referantur. Scilicet numm. 27, 32, 35, 39, 43, 53, 54, 55, 56, 41, 44, 45, 46, 47, 48, 50, 42, 36, 52.

5° Vita S^tæ Waldetrudis (folia 3 1/2).

Vita auctore Philippo Bonæ Spei, edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1375-1386.

6° Sequuntur aliqua ex Speculo Historiali Vincentii de vita et miraculis beati Guillermi episcopi (Bituricensis).

Ex Vincentii Bellovacensis *Speculo Historiali*, lib. xxx, cap. 62.

X. Codex signatus n° 103.

Chartaceus, foliorum 240, formæ minoris ($0^m,21 \times 0^m,14$), exaratus seculo XV, lineis plenis in priore parte, in posteriore vero (a fol. 121) columna duplici præter sexdecim ultima folia.

Continet, præter duas tractationes asceticas (1), Vitam fabulosam ineditam S. Servatii quæ inscripta est : *Legenda pulcherrima de sanctissimo Servatio præsule*, exordiens his verbis : *Ad illuminandum humanum genus...*, desinit vero : *Sed quia longum nimis est si universa particulariter enarrare velimus, Dei hæc operantis magnificentiam universaliter laudemus. Cui sit laus*, etc. Hæc Vita complet folia 25. — Sequitur deinde (a fol. 121) *Liber spiritualis gratiæ seu Revelationes Mechtildi factas* (sic), qui editus est recens opera PP. Benedictinorum Solesmensium (Parisiis, Oudin 1875).

In capite folii a compactore initio codicis adjecti legitur hæc nota manu seculi XV scripta : *Ad virgines Wenaugienses*, parthenonis scilicet Wenaugiensis in diœcesi Coloniensi (2).

Denique folium ultimum exhibet distichos septem de virtutibus quæ opponuntur septem vitiis capitalibus, et hexametros duos de plagis Ægypti. Quibus omnibus scriptor finem imponit hoc versu leonino :

Quæ scripsit hæc scripta, sit manus ejus benedicta.

(1) Quarum altera inscribitur *Speculum prælatorum*, altera *Speculum subditorum*.
(2) Vid. *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique*, tom. IX (1872), p. 487.

XI. Codex signatus n° 159.

Chartaceus, foliorum 360 (præter pauca vacua), formæ minoris (0^m,21 × 0^m,15), lineis plenis, manu seculi XV exaratus.

In capite voluminis (fol. 1r), legitur hæc nota : *Iste liber pertinet monasterio beate Marie de Gardineto*. Et in fine (fol. ult. recto) :

Ut Domini tergo viso Moyses hilaratur,
Sic posttergato libro scriptor recreatur.

Ac paulo inferius :

Ex dono domicelle Anne sororis magistri Johannis tinctoris advenit iste liber huic monasterio : orate pro ea ex caritate et propter gratiam ipsius.

Præter nonnullas sanctorum Vitas iste codex continet quædam eorum quæ edidit Rosweydus in opere jam citato, scilicet : librum II (p. 448-485), ordine quidem inverso sed paucis immutatis; librum V (p. 562 sqq.) ac librum VI (p. 644 sqq.), sed pluribus sive immutatis sive omissis; tandem post Vitam B. Paulæ opusculum B. Hieronymi hoc titulo inscriptum : *De laude eremi.*

1° Vita S. Pauli primi heremitæ (folia 4 1/4).

Vita auctore S. Hieronymo, edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 17-20.

2° Vita S. Hylarionis monachi (folia 13 1/4).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 75-85.

3° Narratio de captivo monacho nomine Malcho (folia 3 5/8).

Auctore S. Hieronymo. Edita ibid., p. 93-96.

4° Vita Stæ Paulæ (folia 15 7/8).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., p. 401-414.

5° Vita S. Abraham monachi (folia 9 5/8).

Edita ibid., p. 144-150 et 368-373.

6° Vita S. Symeonis (folia 4 1/2).

Edita ibid., p. 170-175.

7° Vita S. Pachomii (folia 24 3/4).

Edita ibid., p. 111-138.

8° De S. Frontonio (folia 2 1/4).

Edita ibid., p. 238-241.

9° Vita SS. Eremitarum Lupicini et Romani fratrum (folia 2).

Edita apud Surium ad d. 28 Feb.

10° Vita S. Aycadri abbatis (folia 11 1/4).

Vita auctore Fucherio, edita apud Surium ad d. 15 Sept. — Sed in codice omissa sunt capp. v, vi, et tres ultimæ phrases cap. vii; quæ vero subnectuntur usque ad tres ultimas phrases cap. xi, contracta sunt hocce modo :

> In monasterio enim Luxovio monachus professus fuerat, sed rediens ad seculum ut canis ad vomitum, ejusdem professionis tenorem ruperat : ob quam causam a beato Philiberto apostasiæ et crudelitatis arguebatur. Cujus constantiam et magnitudinem idem Ebroinus declinare nequiens, gravissimis eum inimicitiis persequebatur, prædicti cœnobii possessiones diripiens. At vir Dei Philibertus timens ne pro unius sui odio bestialis animus in totum gregem feritatis suæ procellam intorsisset, dum jam terras et possessiones monasterii longe positas assiduis incursionibus vastare non cessabat, decrevit longius a loco quem regebat abire, ubi eremiticam vitam agere potuisset ; sed valde sibi videbatur indignum si gregem sibi commissum sine pastorali regimine reliquisset. Erat ei paulo ante de beato Aycadro fama præcognita, per alienos audita, per suos legatos certius exquisita, quod in sancta conversatione nulli inferior claruisset. Hunc, si ita nutu Dei præordinatum foret, suo in loco subrogare nitebatur, ut vel hinc tam sancto viro reverentiam præfatus adversarius exhiberet, et a loco suæ tyrannidis invidiam refrænaret.

11° Vita S. Macharii abbatis (folia 5 3/4).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 224-231.

12° De Sta Pelagia (folia 4 1/4).

Edita ibid., p. 376-380. Codicis lectio, stylo sat diversa, hinc inde etiam paulo prolixior est.

13° De Sta Thayde (folii 3/4).

Edita ibid., pp. 374, 375.

14° Vita Stæ Mariæ Ægyptiacæ (folia 9 1/4).

Edita ibid., p. 382-392.

15° Vita Stæ Marinæ (folium 1 1/4).

Edita ibid., pp. 393, 394.

16° Vita Stæ Eufrosinæ (folia 4 1/4).

Edita ibid., p. 363-368.

17° Vita S. Alexii (folia 2 1/2).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jul., tom. IV, p. 251-253.

18° Vita S. Antonii (folia 23).

Vita auctore S. Athanasio, edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 35-60.

19° Translatio S. Antonii (folia 10 3/4).

Codex primo refert quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, pp. 151, 152 (*Quia favente Domino.* etc.). Deinde translationem corporis sancti ex Ægypto Constantinopolim. Vid. Append.

20° Liber gestorum Barlaam et Josaphat servorum Dei (folia 83 1/8).

Versio latina gestorum quæ græco sermone descripsit S. Joannes Damascenus. Discrepat nonnihil a versione edita apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq.

XII. Codex signatus n° 160.

Chartaceus, formæ minoris (0m,21 × 0m,142), exaratus seculo XV.

Continet, præter Passionem D. N. J. C. secundum Nicodemum et quædam opuscula ascetica, Vitam S. Lutgardis, auctore Thoma Cantipratano, editam in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, p. 234-262. Deest post prologum index capitulorum, sed tituli leguntur ante singula capitula. In fine cap. 5 (post *puella devenit*) leguntur quæ in Vita edita inclusa sunt uncinis in fine num. 7 (*fratri Bernardo- imitari*). Vitæ subjectus est rhythmus de beata Lutgarde, cum oratione de eadem.

In folio ultimo adscripta est hæc duplex nota : *Ad perpetuum Dei honorem conscriptus sit liber iste qui finitus est et completus in crastino sanctorum martyrum Gervasii et Protasii anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo.* Et inferius : *Pertinet monasterio de Gardineto beate Marie virginis in comitatu Namurcensi juxta Walcuriam.*

VITA SANCTI PATRICII

HIBERNORUM APOSTOLI

AUCTORE MUIRCHU MACCUMACHTHENI

ET

TIRECHANI

COLLECTANEA DE S. PATRITIO,

NUNC PRIMUM INTEGRA

EX LIBRO ARMACHANO

OPE CODICIS BRUXELLENSIS

EDIDIT

R. P. EDMUNDUS HOGAN, S. J.

OPERAM CONFERENTIBUS PP. BOLLANDIANIS.

Quum Patres Bollandiani in quodam codice Bruxellensi, olim Herbipolensi, reperissent Vitam S. Patricii, quam antiquam et diversam ab editis apud Colganum, mox vero, attentius considerantes, eamdem esse agnoverunt cum ea quam, nomine Muirchu Maccu Machtheni inscriptam, ex celebri Libro Armachano sæpius citarunt eruditi Hiberni, postularunt a me, num vellem ex ipso Libro Armachano, et ope illius codicis unde et Armachani lacunas supplere licet, Vitam illam, adjecta etiam ea Libri Armachani parte quæ Tirechani, ut vulgo fertur, *Adnotationes* continet, inter *Analecta Bollandiana* accurate typis vulgare, quum præsertim ea documenta et summi momenti, inter omnia quæ de S. Patricii historia conscripta habemus, ab omnibus eruditis facile æstimentur, et quæ ex iis protulit Guillelmus Betham (1), tali incuria vel etiam inscitia edita sint, ut nulli ipsis usui censeri queant (2). Ingens sane et ardua proponebatur opera, quam tamen suscipere non recusavi, quippe quam et antiquitatum nostrarum studio et magni Hiberniæ apostoli ac patroni

(1) In suis *Irish Antiquarian Researches*, Part. II, Dublin 1827. — (2) Citasse sufficiat quæ de ea editione judicia protulerunt cl. vv. Todd et W. F. Skene. Hic in præclaro suo opere recens vulgato: " The Book of Armagh, ait, has been very inac-„ curately printed by Sir William Betham in his *Irish Antiquarian Researches.* An „ edition of this most valuable MS. has long been promised by the present Dean „ of Armagh [Dr Reeves], and it is hoped that he will still accomplish it. It would „ be an invaluable boon to all students of Church history „ (*Celtic Scotland*, tom. II, p, 14, not. 22). Todd vero (*St. Patrick*, p. 150, not. 1): " The attempted publication „ of a portion of it [the Book of Armagh], many years ago, by Sir Wm. Betham in „ his *Irish Antiq. Researches*, is so full of errors as to be quite useless. „

gloriæ multum profuturam conspicerem. Nulli itaque parcens labori, utramque lucubrationem ex Libro Armachano, cujus mihi summa humanitate a Præposito et Senioribus Sociis Collegii SS. Trinitatis Dublinii copia facta est, fideliter exscripsi ; quarum priorem ex codice Bruxellensi compleverunt et variantibus lectionibus ex eodem exceptis adornarunt PP. Bollandiani ; quæ vero in posteriori hibernice conscripta leguntur, latinitate donavi ; ac demum diligenter excussa quæcumque apud recentiores ad rem nostram pertinere reperi, quatenus ad textum a nobis edendum illustrandum valent, breviter inter adnotata singulis paginis subjecta indicavi. In hac vero præfatiuncula de codicibus quibus continetur ille textus et de ejus auctore vel auctoribus breviter disserere propositum est.

DE LIBRO ARMACHANO.

Præclarus ille codex, qui jamdudum *Liber Armachanus* apud peritos nuncupari consuevit, nunc in bibliotheca Collegii SS. Trinitatis Dublinii repositus, membraneis foliis constat 221 satis exiguis : neque enim longitudine 7 $^{5}/_{8}$ uncias anglicas seu millimetra 193, latitudine vero 5 $^{5}/_{8}$ seu 143^{mm} excedunt. Singulæ paginæ columnas binas (admodum raro ternas) exhibent, longas 153^{mm} seu unc. 6, latas circiter 50^{mm} seu unc. 2, inter se vero distantes semiunciam seu 12^{mm} ; denique margo superior 16^{mm}, inferior 21^{mm}, lateralis utraque item 16^{mm} spatium complet. Singulæ columnæ 35 circiter lineis constant.

Nitide admodum descriptus est codex, charactere hibernico, et non paucis litteris initialibus haud spernenda arte vario colore depictis conspicuus, subinde tamen difficilis lectu, tum quod quædam voces vel etiam paginæ plus minus injuria temporum deletæ sunt, tum quod ipsum exemplar unde exscriptus est, jam videtur talem injuriam passum : quod indicant rursus notæ subinde ad marginem appositæ, præsertim vero signa *h* (vel *In*, i. e., *incertum?*) et *z* (ζήτει?), quæ dubitationem circa aliquot vocum scriptionem prodere videntur. De ejus ætate dicetur paulo inferius, postquam in eo contenta indicaverimus.

Folium 1 excisum est, ubi exordiebatur Vita Patricii, quæ continuatur a folio 2 ad 9*aa* (1).

Folia 9*ab* ad 18 complectuntur collectanea seu notas in historiam S. Patricii, sed non continua narrationis serie colligatas.

Folio 19 exhibetur index rerum quæ in præcedentibus continentur, hibernice et latine conceptus; folio vero 20*a* index capitum libri I Vitæ S. Patricii, quam supra indicavimus in primis codicis foliis descriptam esse, præmisso prologo (vel epilogo) ad hanc eamdem, ut videtur, Vitam (2).

(1) Id est folium 9 rect., col. 1 : qua ratione indicandi utemur in tota hac editione. — (2) Hæc viginti priora folia tantum complectitur editio nostra.

Fol. 20*b* et fol. 21 legitur *Liber Angueli* seu revelatio ab angelo facta Patricio de prærogativis Ecclesiæ Armachanæ.

Fol. 22*a*, *Incipiunt libri sancti Patricii*, id est, scriptum cujus vulgo titulus est *Confessio* S. Patricii.

Folium 25 exhibet Præfationem S. Hieronymi ad Damasum papam in versionem suam quatuor evangeliorum, *Novum opus facere me cogis*, etc. (1).

Deinde a folio 26 ad 28 traduntur *Canones* decem de concordantiis evangeliorum, quos sequitur (fol. 29 ad 31) brevis singulorum evangeliorum interpretatio.

Inde a folio 31*bb* ad 190 descripti sunt libri omnes Novi Testamenti, eo fere ordine quo hodieque dispositi sunt in editionibus recentioribus; nisi quod Actus Apostolorum rejecti sunt in fine post Apocalypsim, et Epistola S. Pauli ad Colossenses post utramque ad Thessalonicenses, eamque sequitur S. Pauli Epistola ad Laodicenses, quæ in Canone N. T. recepta non est (2). — Singulis Evangeliis, præterquam Marci, præmissa sunt *Argumentum* et *Interpretatio ebreorum nominum*; epistolis vero universis *Prologus Hilarii in apostolum* et *Prologus Pilagii in omnes aepistulas*, præterea Epistolæ ad Galatas prologus Hieronymi, et singulis aliis Pauli epistolis singuli item prologi *Pilagii*, hæresiarchæ scilicet (3).

Fol. 191 ad 200*a* legitur Vita S. Martini auctore Sulpicio Severo, cum epistola dedicatoria ad Desiderium edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 161-176. In fine, *Explicit liber primus Sulpicii de vita sancti Martini episcopi*. Deinde fol. 200*b*, *Incipit II. vel I. aepistula de virtutibus Martini* : sub qua inscriptione exhibentur (fol. 200*b*—214*a*) Dialogi I et II editi ibidem, p. 183-212 ; et fol. 214*a*, *Incipit tertius Galli*, id est Dialogus secundus seu tertius editus ibidem, p. 212-222. Sequuntur, fol. 219*b* et fol. 220*b*, duæ epistolæ ejusdem Sulpicii Severi, altera ad Eusebium, ad Aurelium altera, editæ ibidem, pp. 175 et 178.

Restat, ad integram descriptionem codicis, ut dicamus de nonnullis notis textui adjectis. Jam indicavimus subinde in margine adscriptas esse voces vel signa quibus demonstrat scriba aliquam animi hæsitationem circa lectionem aut sensum quorumdam locorum. Hic vero notanda veniunt additamenta quædam distinctius expressa. Nimirum :

1° Fol. 16*bb* legitur hæc nota tempore Briani Hiberniæ regis seu

(1) Editam apud Migne, P. L., tom. X, p. 525. — (2) Addita tamen in ipsa inscriptione hujusmodi nota : *Incipit aepis. ad Laudicenses, sed Hirunimus eam negat esse Pauli.* — (3) Cfr. Migne, P. L., tom. XXX, p. 645. — Adverte præterea in Evangelio S. Matthæi desiderari quatuor, ut videtur, folia, i. e. a cap. XIV, 33 ad cap. XXI, 5; et in Epistola I S. Joannis, cap. V non legi versiculum 7, ita ut locus sic efferatur : *Quoniam tres sunt qui testimonium dant, spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt. Si testimonium hominum*, etc.

ineunte seculo XI (ann. 1004 ?) scripta : « Sanctus Patrius (*sic*) iens ad » caelum mandavit totum fructum laboris sui tam baptismi tam causa- » rum quam elemoisinarum deferendum esse apostolicæ urbi quæ scotice » nominatur Ardd Macha. Sic reperi in bibliothicis Scotorum. Ego » scripsi id est Calvus Perennis (1) in conspectu Briani imperatoris » Scotorum, et quod scripsi finivit (2) pro omnibus regibus Mace- » riæ » (3).

2° Fol. 24*ba*, ad calcem *Confessionis* S. Patricii : « Hucusque volu- » men quod Patricius manu conscripsit sua. Septima decima martii die » translatus est Patricius ad caelos. »

3° Fol. 52*b*, ad calcem Evangelii secundum Matthæum : « Explicit. » aevanguelium. kata. Matteum. scriptum : atque finitum. in feria. » Mattei. » Hæc typis græcis exarata sunt.

4° Fol. 64*b*, in margine, juxta vers. 21 capitis XIII Marci, ubi inchoatur descriptio ruinæ Hierosolymarum a Christo Domino facta, rursus typis græcis adscriptum est nomen *Cellach*, quo non improbabiliter conjicit Rev^{ssimus} Graves indicari calamitatem celebris monasterii Hyensis, a Norwegis ineunte seculo IX combusti, abbate Cellacho (4).

5° Fol. 104*b*, « Liber Florentii Muire, June 29th, 1662. »

6° In fine codicis, fol. 221*ba* et *bb*, leguntur orationes ad Deum directæ a librario qui codicem conscripsit. Et alias quasdam orationes seu collectas in corpore codicis reperire est.

Hæc omnia autem, præter ea quæ 1° et 5° loco indicata sunt, eidem manui debentur quæ totum codicem descripsit. Porro librarii nomen et quo tempore vixerit, admirabili admodum sensus et mentis acumine definire valuit Rev^{ssimus} Carolus Graves ex quibusdam notis, diligenter quidem erasis, non ita tamen ut omni utendo industria quasdam voces inde quasi luci reddere et quod maxime intendebat, assequi nequiverit. Laboris sui rationem et felicem exitum communicavit doctissimus vir cum sociis suis Academiæ Regiæ Dublinensis in cœtu habito die 30 Novembris 1846 (5). Audierat a Currio moris fuisse scribis Hibernis ut in fine singulorum documentorum quæ exscripsissent, nomen suum et alia quædam circa ipsam scriptionem subjicerent. Talia igitur quum indagaret in Libro Armachano, non sine magna primo animi molestia comperit ea quidem olim non defuisse octo ad minimum codicis locis, videlicet post Confessionem S. Patricii (fol. 24*b*), Evangelium Matthæi (fol. 52*b*), Evangelium Marci (fol. 67*b*), Evangelium Lucæ (fol. 89*b*), Apocalypsim Joannis (fol. 170*a*), Actus Apostolorum (fol. 190*a*), librum

(1) Hibernice *Mael-Suthain*. Cfr. Zeuss, *Grammatica Celtica*, ed. Ebel, p. 233 extr. et 234 med., *suthin, suthain* = perpetuus. — (2) In codice *finituit*, sed littera *t* in medio vocis punctis deleta. — (3) I. e. *Caisseal* (nunc *Cashel)*, ut interpretatus est Eug. O'Curry *(Lectures on the mss. materials of ancient Irish history*, p. 654). — (4) *Proceedings of the Royal Irish Academy*, tom. III (1846), p. 356-357. — (5) Ibid., p. 316 sqq.

secundum Vitæ S. Martini (fol. 214*a*) et Epistolam Sulpicii Severi ad Eusebium (fol. 220*a*), sed, incertum quo consilio, diligenter erasa. Paulo tamen distinctiora vestigia litterarum supererant penultimo loco, id est fol. 214*a* : quæ attentius considerans Dr Graves tandem sententiæ erasæ sensum assecutus est, quæ scilicet his verbis erat concepta : *Pro Ferdomnacho ores,* et deinde ad superiora reversus eamdem agnovit scriptam fuisse fol. 67*b*, 89*b* et 220*a*.

Inde igitur certum erat exaratum fuisse codicem a scriba quodam Ferdomnacho nomine. Jam in Annalibus Quatuor Magistrorum legitur ad A. D. 726 (verba latine reddimus) : *Ferdomnach scriba Armachanus* [*obiit*], et ad A. D. 844 : *Ferdomnach sapiens et eximius scriba ecclesiæ Armachanæ obiit.* Unum ex his fuisse scriptorem nostri codicis, pronum est conjicere, quum præsertim duo tantum ejus nominis *scribæ* seu *scholastici* Armacenses occurrant inter eos quos numero amplius triginta indicant Annales Ecclesiæ Armachanæ a Colgano ex Annalibus Quatuor Magistrorum collecti (1). Supererat ut dijudicaretur quisnam ex his duobus potiori jure designandus esset. Id vero perfecit cl. Graves multo labore alium locum erasum explicando ad calcem folii 52 *b*, unde hæc eruit :.... *ach hunc....... e dictante.... ach herede Patricii scripsit.* Ex his colligere licet scripsisse Ferdomnachum jussu cujusdam archiepiscopi Armacensis cujus nomen terminabatur syllaba *ach*. Porro archiepiscoporum Armacensium catalogum usque ad Domnaldum (qui obiit anno 1105), nobis servavit Psalterium Cassiliense (2), primum compilatum extremo seculo IX (3), et alium celebris codex vulgo notus vocabulo *Lebor Breac* (4); singulorum autem obitum suo quemque anno illigatum referunt Annales hibernici Quatuor Magistrorum. Jam inter eos qui sederunt ante 726 novissimus omnium quorum nomen desinat in *ach*, videlicet *Sènaach*, obiisse notatur anno 609. Hujus certe jussu Librum Armachanum scribere non potuit Ferdomnach senior. At vero extremo seculo VIII et ineunte IX ante annum 844 sedem Armacensem occuparunt Faoindealach, qui obiit anno 794 (recte 799), Connmach, vita functus anno 806 (recte 811), et qui huic immediate successit, nec amplius uno anno pontificatum tenuit, Torbach (5). Revertamur jam ad textum mutilum supra allatum. Ubi ex vestigiis quæ reliqua sunt in nomine episcopi Armachani colligere licet litteram quæ præcedit terminationem *ach*, certe non esse *l* vel *m*, sed probabilissime *b*; et præterea spatium vacuum ante hanc litteram omnino sufficere scribendæ syllabæ *Tor*, nequaquam vero *Conn* et multo minus *Faoindea*. Ex his omnibus itaque jure concludit cl. Graves

(1) *Trias Thaumaturga*, p. 293 sqq. — (2) Ed. ibid., p. 292. — (3) O'Curry, *Lectures on the mss. materials of ancient Irish history*, p. 19. — (4) Cit. ap. Graves, *Proceedings*, etc., tom. III, p. 319. — (5) Cfr. *Annales Quatuor Magistrorum*, ed. O'Donovan, ad annos citatos.

locum omnino legendum esse *Ferdomnach hunc librum ...e dictante Torbach herede Patricii scripsit*. Unde denique scriptio hæc innectenda est anno 806 vel 807, aut, si emendationem O'Donovani, editoris Annalium, admittas, anno 811 vel 812.

Nonnullas confirmationes huic sententiæ corroborandæ subdit D[r] Graves (1), quarum hæc præcipua est, quod Ferdomnach ille recentior in Annalibus indicatur fuisse scriba *eximius*, admodum autem eximii scriptoris manum codex noster prodit. Neque prætereundum est quod Torbach archipræsul etiam in Annalibus (ad an. 807) *scribæ* titulo insignitus legitur; unde etiam sponte deducimur ad arbitrandum illum operam dedisse ut tam egregio opere præcipui illius suæ ecclesiæ codicis alterum exemplar conficeretur. Denique nec sua vi caret confirmatio petita ex nomine *Cellaċh* fol. 64 *b* margini adscripto, quo ad cladem quam anno 807 passum est monasterium Hyense, videtur alludi.

Quanto in pretio apud Hibernos fuerit Codex ille Armachanus, quem *Canones Patricii* appellare consueverunt et ipsius Patricii manu exaratum vulgo putabant, triplici præcipue indicio ostendit Petrie (2). In primis scilicet quod in Annalibus Hibernorum non indignum visum est notare ad A. D. 937, *Canonibus Patricii* involucrum (vel thecam) confectum fuisse a Donnchad, filio Flanni regis Hibernorum (3). Deinde quod seculo XII, teste S. Bernardo in Vita S. Malachiæ, illius codicis et baculi S. Patricii possessio quasi insigne habebatur legitimi Armacensis antistitis. Sic enim S. Doctor cap. xii (4) Vitæ citatæ : « Porro Nigellus » [pseudo-archiepiscopus] videns sibi imminere fugam, tulit secum » insignia quædam ædis illius, textum scilicet Evangeliorum, qui fuit » beati Patritii, baculumque auro tectum et gemmis pretiosissimis adornatum, quem nominant baculum Jesu, eo quod ipse Dominus, ut fert » opinio, eum suis manibus tenuerit atque formaverit. Et hæc summæ » dignitatis et venerationis in gente illa. Nempe notissima sunt celeberrimaque in populis, atque in ea reverentia apud omnes, ut qui illa » habere visus fuerit, ipsum habeat episcopum populus stultus et

(1) *Proceedings*, tom. III, p. 320-322 et p. 356-359. — (2) *Round Towers in Ireland*, edit. II, p. 332-335. — (3) *Ann. Quat. Mag.* ad an. 937 : " *Canones Patricii* coopertus fuit a Donnchad, filio Flanni regis Hiberniae. „ — Alia quædam loca ex iisdem Annalibus citare licet unde colligitur Hibernorum veneratio erga *Canones Patricii*. Nimirum A. D. 1177 referunt Annales Innisfallenses Anglos, duce Joanne de Courcy, victoriam de Ultoniensibus retulisse, et inter alia spolia abripuisse *Canones Patricii*, quos tamen paulo post restituerunt *(Ann. Quat. Mag.*, ed. O'Donovan, tom. III, p. 31, not.). — Ad A. D. 1179, O'Ruadhachan, dominus de Iveagh, obiit paulo postquam expulsus est ob violatos *Canones Patricii (seu* contemptos, *saruc-chadh* : cfr. Zeuss, *Grammatica Celtica*, ed. Ebel, p. 16, lin. 22 et 23). — Ad A. D. 1196, Muirchertachus, jure hæreditatis quondam futurus rex Hiberniæ, cæsus est consilio quorumdam procerum qui coram tribus scriniis et *Canonibus Patricii* juramentum fidelitatis ipsi præstiterant. — (4) Edit. Migne, P. L., t. CLXXXII, p. 1089.

» insipiens. » Tertium argumentum eruitur ex iis quæ, codicem describens anno 1707, consignavit celebris archæologus Humphredus Lhwyd, cujus doctissimi viri schedas transmisit Carolus Williams Wynne ad O'Conorum, isque eas inseruit Præfationi suæ ad *Rerum Hibernicarum Scriptores* (1). Ubi inter alia: « Liber hic ab Hibernigenis magno » olim habebatur in pretio, adeo ut familia illa vulgo vocata *Mac Maor*, » anglice *Mac Moyre* [seu *Mac Muire*], nomen suum a custodiendo » hoc libro mutuatum habeat : *Maor* enim hibernice *Custos* est, et » *Maor na Ccanon* sive *Custos Canonum* tota illa familia communiter » appellata fuit; et octo villulas in agro..... terras de Balli Moyre dictas, » a sede Ardmachana olim tenuit [et præterea, ut alii tradunt, domum » in ipsa civitate], ob salvam hujus libri custodiam; in quorum mani- » bus multis jam retro seculis liber hic extitit, usque dum Florentinus » Mc Moyre in Angliam se contulit sub anno salutis humanæ 1680, ut » testimonium perhiberet, quod verear non verum, versus Oliverum » Plunket, Theologiæ Doctorem et regni hujus, secundum Romanos, » Archipræsulem, qui Londini immerito, ut creditur, furca plexus est. » Deficientibus autem in Moyro nummis in decessu suo, codicem hunc » pro quinque libris sterl. ut pignus deposuit (2). Hinc ad manus » Arthuri Brownlow gratissime pervenit, qui, non sine magno labore, » disjuncta tunc folia debito suo ordine struxit, numeros in summo » libri posuit folia designantes, aliosque in margine addidit capita » distinguentes, eademque folia sic disposita prisco suo velamine, ut » jam videre liceat, compingi curavit et in pristina sua theca conser- » vari fecit, una cum bulla quadam Romani Pontificis cum eodem » inventa » (3).

Ex eo tempore remansit Liber Armachanus penes familiam Brownlow usque ad annum 1853 : quo anno eum comparavit Rev. Guillelmus Reeves pretio librarum anglicarum 300, eodemque pretio illum anno 1858 concessit Rev^{mo} Guillelmo Beresford, Hiberniæ Primati pro Eccle-

(1) Tom. I, p. LVII. — (2) Florentius M'Muire jam se non custodem, sed dominum Codicis ferebat, ut constat ex nota ab eo adscripta fol. 104 *b* : " *Liber Florentii Muire, June 29th, 1662.* „ — (3) Cit. ap. Petrie, *Round Towers*, p. 334. — Quædam præterea citavit doctissimus Guill, Reeves in egregio suo opusculo *Memoir of the Book of Armagh* (cujus duo exemplaria aliquantum diversa servantur iu bibliotheca Collegii SS. Trinitatis Dublinii et cui nos multum in hac Præfatione concinnanda debere libenter profitemur), unde apparet officium custodis hæreditarii Canonum Patricii, ex quo domus Mac Muire nuncupata est, certe seculo XIV apud ipsam viguisse. Occurrit etenim nomen illius officii *(Maor na Canoine)* in Regestis Primatum Armacensium ad annum 1347, et ad annum 1367 nomen personale *Thomas Mac Moer.* Similia et ad annos 1375, 1427 et 1455. Ad annum vero 1484, *bajulator codicis* appellatur Mauritius O'Mulmoid, unde colligit cl. Reeves vel domum Mac-Muire fuisse ad tempus custodia privatam vel O'Mulmoid fuisse nomen gentilitium, Mac Muire autem officii. — Vid. ejusdem *Churches of Armagh*, p. 45.

sia Anglicana, ea conditione ut deinceps in usum eruditorum depositus servaretur in bibliotheca Collegii SS. Trinitatis Dublinii, in quo hodieque visitur, involucro pelliceo antiquo, quod accurate descriptum, ejus effigie etiam exhibita, reperies apud Petrie (1), qui ait quidem ornamentorum genere omnino referri opus seculi X, negat tamen illud idem censendum esse quod effinxisse traditur Donnchad : hoc enim sine dubio fuisse thecam auro gemmisque fabricatam, qualem indicat Bernardus loco supra laudato.

Denique et paucis declarandum venit quinam præcipue hactenus eruditi recentiores ex Libro Armachano aliqua ediderint vel protulerint.

Inter hos primum locum tenet doctissimus Usserius, qui non pauca ex eo passim citavit in suis operibus (2), anno 1631 primum editis; sed codicem non descripsit : quæ negligentia eo magis dolenda est quod primum ejus folium, ut videtur, tunc nondum erat amissum.

Post Usserium codice Armachano usus est Waræus, Opusculorum S. Patricii primus anno 1656 editor (3).

Anno deinde 1827 Guillelmus Betham codicem mutuo accepit et, ut supra meminimus, ex eo folia 2-24 edidit, ita inaccurate ut omnium peritorum stomachum adversus se moverit. Neque magis benignum tulit eorum suffragium quoad ea quæ in codice hibernice conscripta sunt (4), quamquam in ea parte adjutorem habuit virum sane hibernice valde doctum, Eduardum O'Reilly.

Feliciori successu anno 1845 vulgavit O'Donovan (5) quædam excerpta ex Libro Armachano, fol. 18 *ab* et *ba (Dulluid Patricc o Themuir* usque ad *Adranacht Crimthann)*; et anno 1864 Todd (in Appendice ad librum suum de S. Patricio) historiam fundationis Ecclesiæ Truimensis, descriptam fol. 16 *ab* (6). Idem alia quædam minora fragmenta Libri Armachani passim operi suo inseruit latine vel anglice; quod etiam præstiterant antea viri optime de antiquitatibus hibernicis meriti, Georgius Petrie, in præclaris lucubrationibus quas inscripsit *On the Antiquities of Tara* et *The Round Towers in Ireland*, et G. Reeves (7).

Integras paginas 17*ab* et 18*aa*, *ab*, *ba* Libri Armachani hibernice conscriptas edidit et anglica versione ornavit cl. Whitleius Stokes, inter sua *Goidelica* seu Notas in codices Gaelicos, Calcuttæ primum anno

(1) *Round Towers*, loc. cit. — (2) Vid. *Ussher's Complete Works*, ed. Elrington, vol. IV, pp. 318, 330, 571 : vol. VI, pp. 180, 370, 375, 382, 387, 389, 393, 395, 397, 408, 409, 413, 424, 438, 450, 463, 518, 564, 607, 657. — (3) Waræus perperam ait in codice contineri sacrorum *Bibliorum* apographum. — (4) Whitley Stokes, *Goidelica*, p. 84 : " An attempt was made to print and translate these Notes by Sir W. Betham. I " need hardly say that his copy and translation swarm with blunders. " — (5) In appendice ad suam Grammaticam Hibernicam (p. 436-439). Paucas lineas etiam protulit ex folio 18 *b (Lectures*, etc., p. 607). — (6) Utrique editioni adjecta est versio anglica. — (7) Cfr. pag. præc., not. 3.

1866, deinde novis curis Londini anno 1872 (1). Quo anno etiam doctissima sanctimonialis, Maria Francisca Cusack, in Vita S. Patricii a se conscripta, Confessionem S. Patricii ex Libro Armachano, adjectis ex aliis codicibus et editionibus lectionibus variantibus, accuratissime vulgavit.

Neque prætermittendus hoc loco cl. Gilbert, qui in splendido opere cui titulus *Fac-similes of the Irish National Manuscripts*, et codicem fuse descripsit et edidit folia 16*ab* et 18*a* et *b*, ac denique trium Vitæ S. Patricii paginarum et totidem ex libris Evangeliorum picturas photographica arte expressas legentium oculis subjecit.

DE CODICE BRUXELLENSI.

Codex alter, in quo repertum est initium Vitæ Patricii quam, dempto primo folio, nobis servavit Liber Armachanus, repositus habetur in Bibliotheca Regia Bruxellensi sub numero 64. Constat foliis membraneis 310 (præter chartaceum in capite voluminis, cui manu seculi XVI inscriptus est index Actorum quæ complectitur codex, et duo folia membranea quæ olim adhærebant utrique parti interiori tegumenti, postea vero ab eo disjuncta sunt), formæ majoris ($0^{m},438 \times 0^{m},320$), quorum non amplius triginta integra sunt, aliis plerumque in margine inferiori aliqua parte mutilis, deficiente amplitudine pellis. Multa etiam folia lacera sunt et filo consuta, totusque codex multo usu attritus.

Ceterum ex ipsis contentis facile cernitur eum adhibitum fuisse pro legendario in officio chori. Nulla enim alia documenta exhibet præter Vitas Sanctorum easque fere non integras. Quod et locum habet in Vita Patricii, cujus finis desideratur. Hæc Vita incipit fol. 299^{r}.

Scriptura prodit triplicem manum seculi XI, ita tamen ut primæ tantum debeatur primus quaternio seu folia octo priora, alteri longe maxima pars codicis, a folio 9 usque ad 295, tertiæ reliqua, nisi quod partem folii ultimi 310 quæ vacua relicta fuerat, compleverunt manus seculi XII et XIII. Omnia folia exhibent columnas binas, lineas vero 39 (37 tantum in primo quaternione), stylo ferreo ductas. Tituli Vitarum et etiam subinde capitulorum minio scripti et litteris capitalibus; minio etiam signatæ majores litteræ capitales initio Vitarum et minores initio capitum; priores insuper passim flava tinctura et nonnullis ornamentis, sed satis rudi arte, decoratæ. Exordio singularum Vitarum una vel altera linea descripta est litteris capitalibus, exaratis quidem atramento sed flavo etiam pigmento insignitis.

(1) De quo Ebel in præfatione ad editionem alteram *Grammaticæ Celticæ* Zeussii (Berolini 1871) : " Post ipsum conditorem ac parentem grammaticae celticae haud „ facile quisquam invenietur qui melius meritus sit de omnibus hujus doctrinae „ partibus quam Whitleius Stokes. „

Codicem olim fuisse monasterii Scotorum Herbipolensis (*Würzburg*), indicat hæc nota in fine folii 310 manu seculi XIV vel XV apposita : *Iste liber est Hybernicorum Herbipolensis diocesis extra muros ejusdem.* Itemque folio sequenti, quod prius adhærebat tegumento : *Iste liber pertinet ad Scottos Herbypolis extra muros*, manu extremi seculi XIII ; et paulo inferius descripta leguntur hæc nomina monachorum una columna verticali disposita, hoc ordine : *Benedictus* | *Masmerwinus* | *monachus herbypol.* | *necnon Scottus rct.* | *Laurentius prior* | *Thomas abbas* | *Tudual*(?) *abbas*(1) | *Dermianus* (?) | *Donatus* | *Tatheus* | *Mauricius* | *Dormicius* | *Cornelius* | *David* | *Thomas* | *Enudus* | *Willhelmus*. Et rursus: *Iste liber pertinet monasterii Scotorum Herbipol.*

Eodem folio verso exhibetur apographum instrumenti publici electionis *abbatis monasterii S. Jacobi Scothorum in Erford Moguntine dyocesis canonice vacantis, congregatis in unum honorabilibus viris et discretis magistro Heynrico de Frymaria ordinis sancti Augustini domus Erford, sancte theologie professore necnon domno Johanne, domno Mauricio et domno Conrado fratribus de conventu monasterii supradicti et magistro Acyngoto rectore scolarum ejusdem monasterii, coram venerabili in Christo patre domno Condino ejusdem monasterii Scothorum quondam abbate, ipso domno Condino in lecto egritudinis constituto.... qui a suis superioribus eligendi abbatem isti monasterio utilem habet plenum posse* (?) *et plenariam potestatem qui michi* (Henrico de Frymaria) *et magistro Acyngotto predicto eligendi abbatem dedit plenariam facultatem.* Ex qua commissione electus est *Joannes de Ratispona hic presens existens de gremio ecclesie S. Jacobi sepedicte*, et electio a monachis ejusdem monasterii rata habita. Hæc electio instituta est *anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo;* instrumentum confecit *Syffredus de Rychem clericus Erfordensis, publicus imperiali auctoritate notarius*, testibus electionis *Gylberto clerico fratre quondam domni abbatis Condini, Bertoldo de Gutlern, Gyselhero dicto Christoninge, Hartungo Goldichen, Conrado de Nusezzo et comite de Bodestok, omnibus Erfordensis familiaribus ecclesie.* Electionem approbavit et acceptavit nomine totius monasterii *David prior, sub testimonio Heynrici de Frimaria, magistri Heydemii notarii civium Erford et Heynrici de Crucheim clerici.*

Alterius folii anteriori tegumento prius adhærentis pars recta descriptos habet versus hexametros triginta et unum in laudem cujusdam Marini prioris, pars versa vacua relicta est.

(1) Hoc nomen et sequens exarata sunt atramento pallidiore.

DE AUCTORIBUS UTRIUSQUE DOCUMENTI.

Jam de auctoribus documentorum nostrorum.

Duplicem indicat Liber Armachanus, alterum cujus Præfationem cum indice capitulorum legimus fol. 20, Muirchum Maccumachtheni, alterum cujus nomen præfixum est folio 9 *ab* his verbis : « Tirechan episcopus » haec scripsit ex ore vel libro Ultani episcopi, cujus ipse alumnus vel » discipulus fuit. »

Quæstio occurrit primo quænam singulis attribuenda sint. Nam verba modo citata vel epilogi loco haberi possunt, ut referantur ad ea quæ in superioribus codicis foliis descripta sunt, ac proinde Tirechanus auctor videatur illius Vitæ Patricii, vel prologi loco ad ea quæ sequuntur usque ad folium 16 vel 19. At vero jam tollatur oportet dubitatio legenti præfationem Muirchu Maccumachtheni, cui statim annectitur index capitulorum pertinens ad Vitam qua exorditur codex : quum præsertim quæ sequuntur in codice Armachano, *Liber Angueli* et S. Patricii Confessio, nequaquam sive per præfationem sive per indicem indigitata sint, neque iis accommodari possint quæ ait Muirchu de multo et arduo labore a se impenso colligendis et ordinandis traditionibus quæ de S. Patricio ferebantur. Itaque pronuntiavit Petrie (1) eam præfationem præfigendam esse Vitæ exordio codicis descriptæ, eique sententiæ calculum suum adjecere quotquot de Patricio post eum scripserunt eruditi Hiberni. Eadem et nobis sequenda visa est in editione nostra.

Ne tamen arbitreris (quod forte ex verbis Petrie obiter lectis censere aliquis posset), folium 20 loco suo motum fuisse a compactore Libri Armachani, illudque idem esse quod jam initio codicis desideratur. Etenim præter præfationem et indicem capitulorum, quibus subscriptum est nomen Muirchu Maccumachtheni, eodem folio 20 sequitur exordium Libri Angeli (seu revelatio de prærogativis Ecclesiæ Armachanæ), qui et sequens folium 21 complet. Jam vero supponi nequit post indicem capitulorum a scriptore initium datum fuisse Vitæ Patricii per illam revelationem, quæ neque ordini chronologico congruit, nec ullo verbo in præfatione vel in indice annuntiata est. Omnino vero in illo primo folio videntur solum descripta fuisse prima capita Vitæ Patricii quorum tituli fol. 20 indicati leguntur, textus vero repertus est in codice Bruxellensi 64. Si enim computes spatium quod illa capitula occupant in editione nostra, et paucas lineas adjungas quæ debentur inscriptioni et forte litteræ initiali ornatiori, quibus utique insignita fuerit Vita in codice Armachano, ac dein conferas cum reliquis ex eo codice hic editis, plane illud respondere comperies uni codicis folio recto et verso.

(1) *On the Antiquities of Tara*, p. 110.

Et inde ulterius concluditur in Libro Armachano Vitæ præfixum non fuisse insulsum illum prologum qui legitur in codice Bruxellensi seu Herbipolensi : neque enim uno folio Libri Armachani cum primis Vitæ capitulis contineri potuisset. Incertum vero utrum ab ipso scriba seculi XI adjectus fuerit, an (quod tamen probabilius videtur) is illum repererit in exemplari unde Vitam exscripsit. Illud omnino indubium est, exemplar hoc non fuisse ipsum Librum Armachanum : nam variantes lectiones quas in conferendo invicem utroque codice notavimus, satis multæ sunt et diversæ; et præterea nonnullis locis ubi scriba Armachanus quædam verba prætermisit, quibus deficientibus jam sensus integer non præbetur (1), hoc defectu non laborat apographum Bruxellense. Unde judicandum est huic magis integrum præluxisse exemplar. Neque prætereundum est illa omnia et sola capitula in codice Bruxellensi legi quæ notata sunt in indice folii 20 Armachani, quum eorum tria desiderentur in Armachano. Unde tandem colligere licet hunc non ex uno aliquo codice fuisse descriptum, sed ad minimum ex duobus; seu scribam Armachanum, postquam ex uno exemplari descripsit Vitam Patricii et forte Collectanea Tirechani, in alio quodam reperisse præfationem illam Muirchu Maccumachtheni, quam inde in fine suæ scriptionis adjecerit, nisi id forte ipsi quem Armachanus secutus est scribæ attribuendum sit. Ex alia vero parte constat etiam auctori prologi codicis Bruxellensis præ manibus fuisse Tirechani Collectanea, quippe qui nonnulla ex eorum exordio decerpta illi prologo inseruerit.

Revertamur jam ad auctores nostros.

Horum prior, Muirchu Maccumachtheni, ex ipsa sua præfatione comperitur coævus fuisse Aidi episcopi Slebtensis, quo *dictante* seu jubente de S. Patricio scripsit : Aidus autem obiit circa annum 698 (2). Cum eodem Aido interfuit synodo Adamnani (3). Ejus memoria annuntiatur ad diem 8 Junii in Martyrologio Tamlactensi (4), his verbis : *Murchon* (5) *mac hui Machteni* (6). In Festilogio Oengussii ad eamdem diem : *Feil murchon comorrath* (7), id est *festivitas Murchui cum magna pace ;* ad quam annuntiationem hæ notæ adjectæ repeeriuntur in *Lebor Breac* (8), videlicet ad nomen Medrani immediate præcedens : *Medran et Murchu filii hui mic teni et nescio ubi sunt isti* (9), et ad nomen ipsius Murchu : *Civitas ejus in uib fœlan, i. e. mac hui mathcene* (10). Denique ad eamdem diem 8 Junii Calendarium

(1) Ut fol. 3 *bb* med. (infra p. 561, not. 29); fol. 5 *ba* extr. (pag. 568, not. 1). — (2) *Annal. Quat. Mag.* ad h. a. — (3) Reeves, *The life of St. Columba, by Adamnan*, Præf. p. L. — (4) Bibl. Reg. Brux. cod. 5100-5104, fol. 217 v°. – Ed. Matth. Kelly, p. XXVI. — (5) *Murchon* est casus genitivus nominis *Murchu :* unde sequens vox (in cod. mc) potius legenda *mic* vel *maicc*. — (6) Id est *filius nepotum* (i. e. ex genere) *Machteni*. — (7) Ed. Whitley Stokes (Dublin 1880), p. XCIII. — (8) Ibid., p. XCIX. — (9) I. e. *ubi quiescant isti sancti* vel ubi habitent isti *Ui-Machteni* (?) — (10) De voce *maccu* cfr. ibid., p. CCLXXXVIII.

Cassiliense : *SS. Medranus et Murchu, duo fratres, filii Hua Macten, coluntur in Killmurchu in regione de Hi Garrchon* (1). Ex his elucet nomen Maccumachtheni fuisse patronymicum auctoris nostri (2).

Ejusdem fere ætatis vel paulo antiquior fuit Tirechanus, quippe qui se discipulum affirmat Ultani, episcopi Conchuburnensium (3) seu, ut est in nota hibernica ad Festilogium Oengussii (4), *maic hui Conchobair*, i. e. filii nepotis seu ex genere Conchobari : obiit autem Ultanus circa annum 656 (5). Nihil præterea de Tirechano novimus.

Facile constat inter eruditos, post Confessionem Patricii, utrumque monumentum Libri Armachani antiquissimum esse omnium quæ de sancti Hiberniæ apostoli historia ad nos pervenerint. Immo non dubitat Petrie (6) omnes Vitas Patricii quas edidit Colgan, ex hoc solo fonte prodiisse. Quod omnino certum est de Vita quæ Probi nomine inscribitur : hæc enim ita insistit vestigiis Muirchu Maccumachtheni (nisi quod de missione Romana Patricii quædam hausit ex Tirechano), ut manifesto habenda sit illius magis latina et elegantior recensio. Ante Probum vero, circa annum 822, Marcus quidam, e Britannia oriundus, sed episcopus diu inter Hibernos conversatus (7), non pauca ex Muirchu ad verbum exscripsit in sua *Historia Britonum* (8).

Tirechanus autem ipse sua Collectanea (quæ *Adnotationum* vocabulo vulgo apud recentiores citari solent), excepisse indicatur (fol. 9*ab* init.) *ex ore vel* (i. e. et) *libro Ultani*, aliis tamen traditionibus oralibus in subsidium adhibitis, ut ipse testatur : « Omnia, inquiens (fol. 11*ab*), » quae scripsi a principio libri hujus, scitis quia in vestris regionibus » gesta sunt, nisi de eis pauca inveni in utilitatem laboris mei a senio- » ribus multis, ac ab illo Ultano episcopo Conchubernensi qui nutrivit » me, retulit sermo. »

Muirchu vero exordio sui prologi testatur « multos jam conatos esse » ordinare narrationem istam secundum quod patres eorum et qui » ministri ab initio fuerunt sermonis tradiderunt illis; sed propter diffi- » cillimum narrationis opus diversasque opiniones et plurimorum plu- » rimas suspiciones numquam ad unum certumque historiae tramitem » pervenisse. » Quæ nisi ad sola Tirechani Collectanea referenda existimes, quod parum videtur probabile, antiquiora de Vita Patricii scripta Muirchu præ oculis fuisse, fateamur oportet. Ceterum et alias semel et iterum id videtur affirmari in Libro Armachano, videlicet fol. 16*aa* : « Omnia in Deo gesta ab antiquis peritissimis adunata atque collecta

(1) Ap. Colgan, *Act. SS. Hib.*, p. 465, n. 31. — (2) Secundum cl. Graves, *Maccu-Machteni* idem sonat quod *filiorum Cogitosi* (cit. ap. Todd, *St. Patrick*, p. 402, not. 2). — (3) *Lib. Armach.*, fol. 9 *ab*, 11 *ab* et 16 *aa*. — (4) P. CXLII. Cfr. Todd, p. 444, not. 2. — (5) *Annal. Quat. Mag.* — (6) *Antiquities of Tara*, p. 107. — (7) Cfr. *The Irish version of the Historia Britonum of Nennius*, ed. Todd et Herbert (Dublin 1848), Introduction, p. 11-18. — (8) Ed. Stevenson (London 1838), §§ 16, 50-53.

sunt, » et fol. 21*bb* : « Post exitum Patricii sancti alumpni sui valde ejusdem libros conscripserunt. » Quod posterius tamen ad ipsa Patricii scriptorum apographa forte accommodari posset.

His, de ipsis documentis et codicibus quibus continentur, breviter prænotatis, pauca addenda de ratione editionis nostræ. Hæc, ut præmonuimus, viginti priora folia Libri Armachani complectitur, primo scilicet suppleto ex codice Bruxellensi, ex quo etiam tria Vitæ Patricii capita quæ in Armachano desiderantur, suis locis inseruimus, et variantes lectiones adjecimus in iis partibus quæ utrique codici communes sunt. In quibus vulgandis fidelissime, quod omnino in tam venerandæ antiquitatis monumentis decere videbatur, secuti sumus modum scribendi quo usus est Ferdomnachus, nisi quod verborum compendia solvimus, majusculas litteras et interpunctionum signa supplevimus et, secundum morem a Bollandianis receptum, litteras *u* et *i*, ubi consonantium, ut aiunt, litterarum vice funguntur, expressimus per typos *v* et *j*, quamvis non hos, sed priores tantum characteres constanter adhibuerit scriba Armachanus. Litteram duplicem *æ* quæ non raro sub forma ę (caudatæ) apud Ferdomnachum scripta reperitur, ubique reddidimus typis separatis ; signum vero subinde in margine appositum, quo dubiam librarii mentem circa lectionem aut sensum alicujus vocis indicatam arbitramur, per litteram crassam **z**. Nomina hibernica, ubi in textu latino hibernicam servant formam (quod lineolas singulis litteris superponendo a librario notatum est), distinximus per typos quos vocant *italicos*. Denique majori legentium commodo capitula Vitæ et quæ in Tirechani Collectaneis ad varia capita referri possunt, adjectis numeris notavimus.

[PROLOGUS LIBRI I EX CODICE ARMACHANO.]

Quoniam quidem, mi domine Aido (*a*), multi conati sunt ordinare narrationem utique istam secundum quod patres eorum et qui ministri ab initio fuerunt sermonis (*b*) tradiderunt illis, sed propter difficillimum narrationis opus diversasque opiniones et plurimorum plurimas suspiciones nunquam ad unum certumque historiae tramitem pervenierunt; ideo, ni fallor, juxta hoc nostrorum proverbium, ut deducuntur pueri in ambiteathrum, in hoc periculossum et profundum narrationis sanctae pylagus, turgentibus proterve gurgitum aggeribus, inter acutissimos carubdes [1] per ignota aequora insitos, a nullis adhuc lintribus, excepto tantum uno patris mei Cognitosi (*c*), expertum atque occupatum, ingenioli mei [2] puerilem remi cymbam (*d*) deduxi. Sed ne magnum de parvo videar finguere, pauca haec de multis

[E COD. ARM.] *Fol. 20 aa.*

[1] *i. e.* scopulos. — [2] *cod.* ingeniolimei.

(*a*) De Aido episcopo Sleibtensi diximus in Proœmio nostro. — (*b*) Istos *ministros sermonis* vates seu poetas, qui, ut norunt eruditi, insigni loco apud antiquos Hibernos erant et quasi publico officio fungebantur (exemplum videsis infra, cap. 18), potius quam sacerdotes intellexerimus. — *Edd. Boll.* — (*c*) Ita codex; sed in exemplari unde descriptus est, conjicio legi debuisse *Coguitosi* (sicut passim *aevanguelium, finguere, longuinquo*). — Nulli dubitamus hic designari *Cogitosum* scriptorem secundæ Vitæ S. Brigidæ apud Colganum *(Trias Thaumaturga,* p. 518); in quam conjecturam inducti sumus non solum ex similitudine nominis, sed et quod in Cogitosi prologo occurrit vox illa *ingenioli mei*, quæ mox sequitur, ut alias omittamus quæ scriptoribus Vitarum sanctorum medio ævo in suis prologis passim consuetæ advertuntur, ut *pauca de multis, explicare aggrediar,* et professio suscepti ex obedientia laboris. Porro inde sequitur scriptorem nostrum fuisse filium (saltem spiritualem) Cogitosi. Unde quum ex nomine Aidi episcopi Sleibtensis colligamus eum scripsisse ante annum 699, hinc et confirmari potest quod ait Colganus *(Tr. Th.*, p. 524 *b* med.), Vitam scilicet S. Brigidæ a Cogitoso scribi potuisse ante annum 598. Quod est contra sententiam Petrie *(Round Towers,* p. 202) et Todd *(St. Patrick,* p. 11) censentium eum scripsisse post annum 800. — *Edd. Boll.* — (*d*) Hanc duplicem vocem *remi cymbam* uni alicui antiquæ voci hibernicæ respondere opinamur, qua designabatur cymba minor, quæ remis agitur (anglice *row-boat*, gallice *barque à rames)*, non velis instructa sicut cymbæ majores. Eamdem opinionem propositam reperimus a Todd *(St. Patrick*, p. 402). Cfr. fol. 6 *ab* " navim unius pellis absque remo. " — Vel *reim* est *cursus* (cfr. Zeuss, *Gramm. Celtica,* ed. Ebel, p. 268; Windisch, *Irische Texte*, p. 735): unde *reim currig* esset *cursus cymbæ*, seu *cymba cursoria* (ut apud Maronem, Æn. II, 235, *rotarum lapsus*, id est *labentes* seu *currentes rotas).*

[E COD. ARM.] sancti Patricii gestis parva peritia, incertis [1] auctoribus, memoria labili, attrito sensu, vili sermone, sed affectu piissimo [2] caritatis, sanctitatis [3] tuae et auctoritatis imperio oboediens, carptim gravatimque explicare aggrediar.

1 (*a*). De ortu Patricii et ejus prima captivitate.

2. De navigio ejus cum gentibus, et vexatione diserti, cibo sibi [4] gentilibus divinitus delato.

3. De secunda captura, quam senis decies diebus ab inimicis pertulerat.

4. De susceptione sua a parentibus ubi agnoverunt eum.

De aetate ejus quando iens videre [5] sedem apostolicam voluit discere sapientiam.

5. De inventione sancti Ger[mani] in Galliis, et ideo non exivit ultra.

* *Fol. 20 ab.* 6. * De aetate ejus quando vissitavit eum anguelus ut veniret adhuc.

7. De reversione ejus de Gallis et ordinatione Palladii et mox morte ejus.

8. De ordinatione ejus ab Amatho rege (*b*) episcopo, defuncto Palladio.

9. De rege gentili habito in Temoria [6] quando venerat sanctus Patricius babtismum portans.

10. De primo ejus itenere in hac insola ut seipsum redemeret *o Miliucc* (*c*) priusquam alios a demonio traheret.

11. De morte *Milcon* et verbo Patricii de semine ejus.

[1] *cod.* in certis. — [2] *cod.* pissimo. — [3] *cod.* et sanctitatis, *sed particula* et *deleta puncto supra posito.* — [4] *supple* et (cibo sibi) et. — [5] *hujus vocis tres ultimæ litteræ vix legi possunt.* — [6] *cod.* Temoeria, *sed littera* e *notata est desuper puncto, ac proinde delenda.*

(*a*) Numeros ad capita distinguenda ipsi in editione nostra, sicut singulis capitibus, ita hoc loco titulis adjecimus, majoris perspicuitatis et legentium commodi gratia. Ipsos autem hos titulos cum similibus in codice Bruxellensi ad singula capita adjectis, conferre juvabit. — (*b*) Vox *rege* hic et aliis locis in codice a voce *Amatho* separata legitur : immo et in hoc titulo in codice Brux. legitur *ab Amatho rege et episcopo* (cfr. infra, cap. 8). — (*c*) Vox *o* præpositio est hibernica, idem significans quod latina *a, ab.* — Nom. *Miliucc,* gen. *Milcon* (cfr. num. seq. 11). Sic etiam apud Marianum Scotum (sec. XI) " Miluc filius nepotis Buain „ (in *Lebor Breac,* fol. 25 *b,* " Miliuc mac hui Buain „) et postea " ad Milcon regem Dalnaræde „ (*Monum. Germ., Scriptt.* t. V, p. 530). Apud Marcum (cfr. supra, Præfat., p. 543) vocatur *Milchu.*

12. De consilio S. Patricii ubi hessitum [1] est. [E COD. ARM.]
De celebratione primi pascae.

13. De oblatione primo pasca in hac insola facta.

14. De festivitate gentili in Temoria eadem nocte qua sanctus Patricius pasca adoravit.

15. De gressu regis Loiguri de Temoria ad Patricium in nocte pascae.

16. De vocatione Patricii ad regem, et fide *Eirc* filii *Dego*, morte [2] magi in illa nocte.

17. De ira regis et suorum ad Patricium, et plaga Dei super eos, et transfinctione [3] Patricii coram gentilibus.

18. De adventu Patricii in die pascae ad Temoriam, et fide *Dubthaich maccu Lugir* [4].

19. De conflictu Patricii adversus magum in illa [5] et mirabilibus virtutibus.

20. De conversione Loiguiri regis, et [6] de verbo Patricii de regno ejus post se.

21. De doctrina et babtismate signisque sancti Patricii secundum exemplum Christi.

22. De *Macc Cuill* et conversione ejus ad verbum Patricii.

23 (24). De morte Moneisen (*a*). De fabula Dairi, et equo, et oblatione *Airddmache* ad Patricium (*b*).

24 (23). De gentibus laborantibus die dominica trans praeceptum Patricii.

25. De fructifera terra in salsuginem versa.

26. De morte Moneisen [7] Saxonissae (*c*).

[1] *Littera* t *in hac voce superius notata est puncto, et in margine adscriptum signum* z. *Forte totus titulus uno tenore legendus :* De cons. Pat. ubi haesitum (*i. e.* hæsum, inquisitum, deliberatum) de cel. pr. pasc. — [2] *supple* et de (morte). — [3] *Ad hanc vocem adscriptum est signum* z. *Sensus tamen vocis ex capitis textu satis perspicuus est.* — [4] *cod.* macculugir. — [5] *supple* die. — [6] *Ante hanc vocem legitur in codice* et conversio; *sed prima et ultima syllabæ vocis* conversio *superius triplici puncto notatæ sunt, quod vocem delendam omnino indicare videtur.* — [7] *Signum* z *in marg. et supra primam syll. vocis* Moneisen.

(*a*) Titulus hic repetitur paulo inferius (sub num. 26). Capitis autem textus nusquam legitur in codice Armachano, sed reperimus illum in codice Bruxellensi, unde et edetur (sub num. 26). — (*b*) Capitis hujus et sequentis textus legitur quidem in codice Armachano, sed inverso ordine. — (*c*) Capitis hujus, sicut et utriusque sequentis, textus omnino non legitur in codice Armachano, sed illa edere licebit ex Bruxellensi.

[E COD. ARM.] 27. De eo quod sanctus Patricius vidit caelum apertum et Filium Dei et anguelos ejus.

* Fol. 20 ba. 28. * De conflictu sancti Patricii adversum *Coirthech* regem *Aloo* (*a*).

Haec pauca de sancti Patricii peritia et virtutibus *Muirchu maccu Machtheni* dictante *Aiduo* Slebtiensis civitatis episcopo conscripsit.

[PROLOGUS E CODICE BRUXELLENSI.]

[E COD. BRUX.] **In nomine regis poli salvatoris hujus chosmi. Incipit prologus de vita sancti Patricii confessoris.**

Tempus, locus et persona requiruntur (*b*). Locus dicitur a Cesarea Capadotiae quae prius Masadra dicta. Tempus Valentiniani et Valentis, qui regnaverunt x^{cem}.vii^{tem}. annis, aetate mundi quinque milia CLXXV. A passione autem Domini nostri Jesu Christi colliguntur anni CCCC.XXX.VI. usque ad obitum Patricii. Persona Basilii *melchus* in hebraica, *basilicus* in greca, *rex* in latina. Basilius, id est regulus; basilica, id est regularis [1] domus; basilium, id est regale; basilion, id est regnum. Et hic totas artes suas in greca lingua scripsit. Rufinus presbyter, in utraque lingua expertus, qui in Cesarea nutritus est, transtulit opera ejus in latinum, licet latinus fuit. Inveni IIII^{or} nomina in libro *Scripta Patricii* abuduldanum [2] episcopum Concubrensum [3] (*c*) : sanctus *Imigonus* [4], qui est clarus; *Sucsetus* [5], ipse est Patricius; [6] quia servivit IIII^{or} domibus magorum, et emit illum ab illis unus [7]

[1] *sic pro* regalis. — [2] *sic ; lege* apud Ultanum, *ut habet Tirechanus (cfr. infra, not.* b). — [3] *apud Tirechanum* Conchuburnensium. — [4] *apud Tirechanum* Magonus. — [5] *ap. Tirechanum* Succetus. — [6] *supple ex Tirechano ante* quia, *vocem* Cothirthiacus. — [7] *cod.* unum.

(*a*) Id est Walliæ? Cfr. Wealàs = Walli in *Chron. Saxonico*. — (*b*) Norunt litterarum hibernicarum periti hujusmodi exordium (adjecta etiam "causa") proprium esse scriptoribus illius gentis. — Porro hunc prologum exscripsit imperitus auctor ex prologo alicujus Vitæ S. Basilii, cui inseruit duplicem sententiam e notis Tirechani desumptam, alteram initio de anno obitus Patricii, alteram in fine de diversis ejus nominibus (cfr. Cod. Armach., fol. 9 *ab*). — (*c*) Cfr. de hoc fonte quæ dicta sunt in Prooemio nostro, supra, p. 543.

cui nomen erat *Miluch Mocuboin* [1] magus, et servivit illi VII^{tem} annis. Patricius, Alforni filius, IIII^{or} nomina habuit. *Sochet*, quando natus est; *Contice* [2], quando servivit; *Mavonius*, quando legit; *Patricius*, quando ordinatus est (*a*). [E COD. BRUX.]

[VITAE S. PATRICII LIBER I.]

1. De natali sancti Patricii et de ejus captivitate in Hibernia.

Patricius, qui et *Sochet* vocabatur, Brito natione, in Britannis natus, Cualfarni diaconi [3] ortus, filio, ut ipse ait, Potiti presbyteri (*b*), qui fuit vico [4] *Ban navem* (*c*) *thabur indecha* [5], ut [6] procul a mari nostro, quem vicum constanter indubitanterque comperimus esse ventre [7], matre etiam conceptus Concesso [8] nomine (*d*). Annorum XVI. puer cum ceteris captus, in hanc barbarorum insulam advectus est, apud [9] quendam gentilem immitemque regem in servitute detentus. Qui sexennem [10] more hebraico [11] (*e*), cum timore Dei et tremore, secundum psalmiste sententiam, in vigiliis et

[1] *apud Tirechanum* mac Cuboin. *Quod forte non est nisi forma contracta nominis* mac hui Buain. *Cfr. supra, p. 546 et Præfat., p. 543 (ubi de nomine* Maccumachtheni). — [2] *cod.* c̄tice, *prima littera desuper notata lineola.* — [3] *lege* Cualfarno, *seu, ut est apud Probum,* Calpurnio diacono. — [4] *supple* de (vico). — [5] *apud Probum* Bannave Tiburniæ regionis. — [6] *lege* haud. — [7] *prius* venitre (?) *Apud Probum* Neustriæ *(cfr. Todd,* St. Patrick, *p. 357-358 et p. 361).* — [8] *lege* Concessa *(cfr. ibid.).* — [9] *supple* et (apud). — [10] *lege* sexennium. — [11] *supple* in ea captivitate exegit.

(*a*) De nominibus Patricii cfr. Todd, *St. Patrick*, p. 363. — (*b*) Cfr. ibid., p. 353. — (*c*) *Bannavem*, i. e., ut videtur, *Killpatrick* prope *Dumbarton* in Scotia. De incunabulis S. Patricii fuse et docte disputat Rev^{mus} Patricius F. Moran, episcopus Ossoriensis, in *Dublin Review*, April 1880, p. 291-326. Cfr. etiam O'Hanlon, *Lives of the Irish Saints*, vol. III, p. 448-469. Pro opinione eorum qui S. Patricium natum existimant in Britannia Armorica, legendi Lanigan, *Ecclesiastical History of Ireland*, t. I, p. 88-122, et J. Cashel Hoey, *On the birthplace of St. Patrick*, ed. H. E. Manning, 1865, in *Essays on Rel. and Liter.* — (*d*) Cfr. Todd, loco citato. — (*e*) Videlicet, si scriptori Vitæ Quartæ apud Colganum *(Tr. Th.*, p. 37, n. 20) credimus, " solebant „ gentiles [in Hibernia], sicut Hebræi, septimo anno servitutis transacto [immo „ inchoato] servos dimittere ad libertatem, nisi iterum se propria voluntate servitio „ redigerent. „ Itaque S. Patricius, fugiendo deinde a domino suo ipsum invitum retinere volente, utebatur jure suo.

[E COD. BRUX.] orationibus multis. Cencies in die et cencies in nocte orabat, libenter rediens [1], incipiensque [2] timere Deum et amare omnipotentem Dominum : nam usque ad id temporis ignorabat Deum verum (*a*), sed tunc spiritus fervebat in eo. Post multas ibi tribulationes, post famem et sitim, post frigora et nuditatem, post pascenda pecora, post frequentias angelici Victorici a Deo ad illum missi, post magnas virtutes omnibus pene notas, post responsa divina e quibus unum aut duo haec exempla [3] tantum gracia demonstrabo : *Bene jejunas, cito iturus ad patriam tuam,* et iterum : *Ecce navis tua parata est,* quae non erat prope, sed forte habebat ducenda [4] milia passuum, ubi numquam habuerat iter; post haec omnia, ut duximus, quae enumerari poene a naemine possunt, cum ignotis barbaris gentilibusque hominibus multos et falsos deos adorantibus jam in navi sibi parata, deserto tiranno gentilique homine cum actibus suis, et accepto caelesti eternoque Deo in comitatu sancto excepto divino [5], aetatis suae anno XXIII. ad Britanias navigavit.

2. De navigatione ejus cum gentibus.

Ternis [6] itaque diebus totidemque noctibus quasi ad modum Jonae in mari cum iniquis fluctuans, postea bis denis simul et octenis diurnis luminibus moysico more, alio licet sensu, per desertum fatigatus (*b*), murmurantibus gentilibus quasi judei fame et siti pene deficientibus, compulsus a gubernatore temptatus atque ut illis [7] Deum suum ne perirent oraret rogatus, mortalibus exoratus [8], turmae misertus,

[1] *lege* reddens *et supple, ex Probo,* quae Dei sunt, Deo, et quae Caesaris, Caesari. — [2] *supple, ex Probo,* semper melius. — [3] *lege* exempli. — [4] *lege* ducenta. — [5] *Hæc pericope, ex iis quæ leguntur apud Probum, ita forte intelligenda et supplenda est:* Et cum accepissent (gentiles), cœlesti æternoque Deo (ordinante), sanctum in comitatu suo, (nullo naulo), excepto divino (*i. e.* præter divinum seu spem divini præsidii)... — [6] *in cod. prius* Vernis, *sed littera* V *aliquantum erasa.* — [7] *supple* pro (illis). — [8] *seu* exorabilis.

(*a*) Id, sicut et alia in hac Vita, desumptum est ex *Confessione* S. Patricii. Cfr. Todd, p. 367. — (*b*) Magis perspicue Probus : " Navigantes ergo per vastum æquor, „ post triduum cœperunt terram contra solitudinem : statimque exeuntes de navi, „ 28. dies ambulaverunt per desertum... „

spiritu contribulatus, merito coronatus, a Deo magnificatus, abundantiam cibi ex grege porcorum a Deo misso sibi velut ex coturni cum turma Deo aiuvante prebuit [1]. Mel quoque silvestre ut quondam Johanni subvenit, motatis [2] tamen pessimorum gentilium merito porcinis carnibus pro locustarum usu. Ille autem sanctus Patricius nichil gustans de his cibis, immolaticum enim erat (*a*), nec esuriens nec sitiens mansit illesus. Eadem vero nocte dormiens, temptavit [3] satanas graviter, fingens saxa ingentia et quasi comminuens jam membra [4]; sed invocato Helia bina voce [5], ortus est ei sol qui refulgens expulit omnes caliginum tenebras et restitutae sunt ei vires ejus (*b*). [E COD. BRUX.]

3. De alia captivitate Patricii.

Et iterum post multos annos capturam ab alienigenis pertulit. Ubi prima nocte audire meruit responsum divinum sibi dicens : *Duobus mensibus eris cum illis, id est cum inimicis tuis*. Quod ita factum est. Sexagesimo autem die liberavit eum Dominus de manibus eorum, previdens [6] ei cum comitibus suis cibum et ignem et siccitatem quottidie, donec x^{mo} die pervenerunt ad homines.

4. De susceptione a parentibus.

Et iterum post paucos annos ut antea in patria sua propria apud parentes suos requievit : qui [7] ut filium receperunt, rogantes illum ut vel sic post tantas tribulationes et temptationes, de reliquo vitae numquam ab illis discederet. Sed ille non consensit. Et ibi ostensae sunt ei multae visiones. Et erat annorum $\mathrm{xxx}^{\mathrm{ta}}$, secundum apostolum in virum perfectum et

[1] *scilicet* ex grege porcorum *ipse et gentiles ejus socii pastum habuerunt*, velut *olim Hebræi in deserto* ex coturnicibus *a Deo ad ipsos missis* (Num. XI, 31, 32). — [2] *i. e.* mutatis. — [3] *supple* eum, *aut lege superius* dormientem, — [4] *supple* ejus, — [5] *i. e.* bis. *Apud Probum*, cum trina voce invocasset Christum. — [6] *lege* providens. — [7] *supple* eum.

(*a*) Id in *Confessione* S. Patricii videtur dici de solo melle, non de carnibus porcinis. Cfr. Todd, p. 370. — (*b*) Hæc etiam ex *Confessione* desumpta sunt. Cfr. Todd, p. 371-373.

[E COD. BRUX.] cetera usque plenitudinis Christi [1]. Egressus ad sedem apostolicam visitandam et honorandam, ad caput itaque [2] omnium ecclesiarum totius mundi, ut sapiens jam divina sanctaque misteria ad quae vocavit illum Deus ut disceret atque intellegeret, et inpleret, et ut predicaret et donaret divinam gratiam in nationibus externis convertens ad fidem Christi.

5. De inventione sancti Geraiani [3] in Gallis et ideo non exivit amplius.

Transnavigato igitur mari dextro britannico, accepto itinere per gallicas Alpes ad extremum, ut corde proposuerat, transcensurus, quendam sanctisimum episcopum Alsiodori civitate principem Germanum summum donum invenit. Aput quem non parvo tempore demoratus, juxta id quod Paulus ad pedes Gamaliel fuerat, in omni subjectione et patientia atque oboedientia scientiam, sapientiam castitatemque et omnem utilitatem tam spiritus quam animae cum magno Dei timore et amore, in bonitate et simplicitate cordis, corpore et spiritu vigore [4], toto animi desiderio didicit, dilexit, custodivit.

6. De etate ejus quando visitavit per [5] eum angelus ut veniret ad Hiberniam.

Factisque ibi multis temporibus quasi, ut alii [6], XL^ta^, alii, XXX^ta^ annis, ille antiquus valde fidelis Victoricus nomine, qui [E COD. ARM.] * *Fol. 2 aa.* omnia (*a*) * sibi in Hibernica [7] servitute possito [8] antequam essent dixerat, eum crebris vissionibus vissitavit [9], dicens ei adesse tempus ut veniret et aevanguelico rete [10]

[1] *Probus :* occurrensque in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. IV, 13). — [2] *prius* vitaquae. — [3] *sic in cod.* — [4] *lege* virgo, *ut est apud Probum.* — [5] *hæc vox redundat, nec legitur in indice Libri Armachani (cfr. supra, p. 546).* — [6] *supple* dicunt. — [7] Hibernia *B.* — [8] posita *B.* — [9] visitabat *B.* — [10] (aev. r.) evangelizaret in *B.*

(*a*) Jam suppetente nobis Codice Armachano *(A)*, ex Bruxellensi *(B)* solas variantes lectiones adnotamus.

nationes feras et barbaras, ad quas docendas misserat illum Deus, ut [1] piscaret; ibique ei dictum est in vissione: *Vocant te filii et filiae silvae Foclitae* [2] (*a*), et caetera. [E COD. ARM.]

7. (De conversione ejus de Gallis et ordinate Palladii.) (*b*)

Oportuno ergo tempore imperante, comitante divino auxilio [3], coeptum ingreditur iter ad opus in quod ollim preparatus fuerat, utique aevanguelii [4], et missit Germanus [5] seniorem cum illo [6], hoc est Segitium (*c*) prespiterum [7] ut testem comitem [8] haberet [9], quia nec adhuc a sancto domino Germano in pontificali gradu ordinatus est. Certe enim erat [10] quod Palladius archidiaconus pape Caelestini urbis Romae episcopi [11], qui tunc tenebat sedem apostolicam quadragensimus quintus [12] a sancto Petro apostolo, ille [13] Palladius ordinatus [14] et missus fuerat ad hanc insolam sub brumali [15] rigore possitam convertendam. Sed prohibuit illum [16], quia nemo potest accipere quicquam [17] de terra nisi datum ei fuerit [18] de caelo. Nam neque hii feri [19] et inmites homines [20] facile reciperunt [21] doctrinam ejus, neque et ipse [22] voluit transegere tempus in terra non sua; sed reversus ad eum qui missit illum. Revertente [23] vero eo hinc et primo [24] mari transito coeptoque terrarum itenere in Britonum finibus vita factus [25].

[1] *om. B.* — [2] (ibique) dictum est ei vocante filie *(sic)* et filiae silve Foclade *B.* — [3] (com. div. aux.) comitanteque consilio *B.* — [4] (ad opus-aevanguelii) ad opus evangelicum cui olim opus preparatum erat *B.* — [5] Germanum *B.* — [6] *In margine* ☧ *A.* — [7] prepositum *B.* — [8] ac com. *B.* — [9] hab. idoneum *B.* — [10] Ceteri en. erant *B.* — [11] Rom. ep. *om. B.* — [12] XL^{mus} V^{tus} *B.* — [13] ille scilicet *B.* — [14] ord. a sancto papa *B.* — [15] romani *B.* — [16] ill. Deus *B.* — [17] *om. B.* — [18] dat. fuerat ei *B.* — [19] neq. inferientes *B.* — [20] *om. B.* — [21] recipiunt *B.* — [22] ipsum longum *B.* — [23] *vel* revertere *A.* — [24] *vel* in primo *aut* prossimo *A.* — [25] (sed reversus-factus) sed revertente eo ad illum qui misit eum, primo mari transito in Pictorum finibus vita functus est. *B.*

(*a*) In *Confessione* S. Patricii "*sylvam Focluti*", scilicet *Fochlut* prope *Killala* in comitatu *Mayo*. Cfr. O'Donovan, *Tribes and Customs of Hy-Fiachrach*, p. 463, not. — (*b*) Titulos e codice Bruxellensi singulis capitibus præponere pergimus, uncinis inclusos: quod hic semel monuisse sufficiat. Variantes autem lectiones ex indice codicis Armachani (supra, pag. 546 sq.) rursus adjicere supervacaneum duximus. — (*c*) Is apud alios scriptores *Segestius* dicitur, vel *Segerus, Sergetius* (cfr. Todd, *St. Patrick*, p. 316, not. 1); in *Vita Tripartita* hibernica *Segetius* (cfr. F. M. Cusack, *Life of St. Patrick*, p. 376).

[E COD. ARM.]

8. (De ordinatio Patrici ab Amatho rege et episcopo.)

* *Fol. 2 ab.*

* Audita itaque morte sancti Paladii in Britannis, quia discipuli Paladii, id est Augustinus et Benedictus et caeteri, redeuntes retulerant [1] in Ebmoria [2] (*a*) de morte ejus, Patricius et qui cum eo erant declinaverunt iter ad quendam mirabilem hominem summum aepiscopum, Amatho rege [3] nomine (*b*), in propinquo loco habitantem; ibique [4] sanctus Patricius, sciens quae eventura erant [5] ibi [6] episcopalem gradum ab Matho [7] rege sancto episcopo accepit. Etiam [8] Auxilius Iserninusque [9] et caeteri inferioris gradus eodem die quo sanctus Patricius ordinatus est [10]. Tum

[1] retulerunt *B.* — [2] Curbia *B. In margine* z *A.* — [3] regem *B.* — [4] ideoque *B.* — [5] quae ventura sunt illi *B.* — [6] *om. B.* — *Legendum potius, ut videtur,* sibi, *ut in Vita II apud Colganum* (Tr. Th., *p. 14). —* [7] Amatho *B.* — [8] Sed etiam *B.* — [9] Sanninus *B. Vita II* (Tr. Th., *p. 14)* Serenus. — [10] (inf.-est) inferiores gradus ordinati sunt eodem die sanctus Patricius *B.* — *In margine etiam A ultimæ voces corrigendæ indicantur* ordinati sunt.

(*a*) De Eboria cfr. Todd, *St. Patrick,* p. 280, nott. 2 et 3. — Opinionem Papebrochii, qui nomine *Eboriæ* hic forte designari putavit Eporediam *(Ivrea)* in Italia septemtrionali, recens denuo propugnavit Rev[dus] Moran in *Irish Eccles. Records,* Oct. 1866, p. 7-18. — (*b*) Hunc Amathoregem episcopum Autissiodorensem vocant Scholiastes in Fiaccum (ap. Colgan, *Tr. Th.*, p. 5, n. 14*)* et Vitæ nonnullæ posteriores. Sed Amator, episcopus Autissiodorensis, decessor fuit S. Germani, a quo Patricius cap. præc. dicitur ordinatus fuisse presbyter. Unde communiter censetur aliquem errorem hoc loco admissum fuisse a biographo nostro, nec parum id detraxit ejus auctoritati. Conjecturam tamen, qua omnem suspicionem minus accuratæ scientiæ ab eodem amovere licet, proponere non pigebit. Nimirum, quum animadverterimus supra capite 5 in codice Bruxellensi Germanum vocari episcopum *Alsiodori*, in mentem venit forte apud Scholiasten Fiacci vel in documentis unde is hausit, tali etiam nomine designatam fuisse sedem episcopalem illius qui Patricium episcopum consecravit et hoc eodem vel simili nomine *Alsio-dori* designari potuisse *Augustam Ausciorum* (gall. *Auch*). Jam vero inter episcopos Auscienses med. sec. V reperitur *Armentarius*, quem epistolæ ad S. Leonem M. directæ anno 451 subscripsisse opinantur *(Gall. christ.*, t. I, p. 974). Quid, si *Armentarius* iste consecrator fuisse S. Patricii supponatur? Certe ita omnia apprime concordant, nec ulli adeo mira apparere debet ea nominis adulteratio, ut paulatim sive librariorum sive popularis traditionis inscitia vel incuria *Armentarius* dictus fuerit *Amathorex.* Magis enim mira, eaque indubia, hujusmodi adulterationum exempla proferre haud difficile foret. Neque etiam, ut videtur, movere debet quod Ausciensis sedes tam distat Autissiodoro, vel ab itinere quod tunc Patricium Autissiodoro in Hiberniam aggressum fuisse, ex superioris capitis exordio colligi videtur. Nam *iter* illud quod hoc loco a Patricio susceptum indicatur, potest æquo jure supponi fuisse iter *ad sedem apostolicam,* de quo dictum est cap. 4. — *Edd. Boll.*

acceptis benedictionibus, perfectis [1] omnibus secundum morem, cantato etiam Patricio quasi specialiter et convenienter hoc psalmistae vorsu [2] : *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchi[sedec]* [3], venerabilis viator paratam navim in nomine sanctae Trinitatis ascendit et pervenit Brittannias [4] ; et omissis omnibus ambulandi anfractibus praeter commone [5] viae officium, nemo enim dissidia [6] quaerit Dominum, cum omni velocitate flatuque prospero mare nostrum contendit [7]. [E COD. ARM.]

9. (De rege Hiberniae.)

In illis autem diebus quibus haec gesta sunt, in praedictis regionibus fuit rex quidam magnus, ferox gentilisque imperator barbarorum regnans in Temoria, quae erat caput Scotorum, *Loiguire* [8] nomine, filius *Neill*, origo stirpis regiae hujus pene insolae [9]. Hic autem scivos [10] (*a*) et magos et aurispices et incantatores et omnis malae artis inventores [11] habuerat [12], qui poterant * omnia scire et providere [13] ex [14] more gentilitatis et idolatriae, antequam essent; e quibus hii .II. prae caeteris [15] praeferebantur, quorum nomina haec [16] sunt : *Lothroch* [17], qui et *Lochru* [18], et *Lucetmael* [19], qui et *Ronal*. Et hii .II. [20] ex sua arte magica crebrius profetabant morem [21] quendam exterum [22] futurum in modum regni [23] cum ignota [24] quadam doctrina molesta longuinquo trans maria [25] advectum, a paucis dictatum, a multis susceptum ab omnibusque

* *Fol. 2 ba.*

[1] perfectisque *B.* — [2] verse *B.* — [3] *cod.* Melchi. — [4] Britanniam *B.* — [5] communis *B.* — [6] nemo itaque desideria *B.* — [7] (cum-contendit) prospero itinere mare nostrum pervenit *B.* — [8] *In margine* z *A.* — [9] (In illis-insolae) In illis itaque diebus quibus venit Patricius ad Hiberniam insulam regnabat Logere filius Nehil in loco Temori qui tunc erat caput regni Scotorum, vir magnus et gentilis feroxque *B.* — [10] scenos *B.* — *Vita II* (Tr. Th., *p. 14)* veneficos. — [11] et omn. m. a. inv. *om. B.* — [12] habebat *B.* — [13] previdere presagio *B.* — [14] ex *om. B.* — [15] e quibus duo ceteris *B.* — [16] *om. B.* — [17] Lotrach *B.* — [18] Lucru *B.* — [19] Loiet calvus *B* (mael, *ut norunt qui sciunt hibernice, idem sonat quod* calvus). — [20] duo *B.* — [21] proferebant more *B.* — [22] esternum *B.* — [23] *Vita II* signi. — [24] igna *B.* — [25] mol. de longinquo transmarino *B.*

(*a*) Id est, doctores, ut infra, cap. 14.

[E COD. ARM.] honoratum [1], regna subversurum, resistentes turbas seducturum [2], omnes eorum deos distructurum [3] et jectis [4] omnibus illorum artis opibus [5] in saecula regnaturum. Portantem quoque suadentemque hunc morem signaverunt et profetaverunt hiis verbis quasi in modum [6] crebro ab hiisdem dictis, maxime in antecedentibus adventum Patriciique .II. aut .III. annis [7]. Haec autem sunt versiculi verba, pro linguae idiomo [8] non tam manifesta : *Adveniet Asciciput* [9] (a) *cum suo ligno curvi* [10] *capite ex sua domu* [11] *capite perforato* [12]. *Incantabit nefas a sua mensa ex anteriore parte domus suae; respondebit ei sua familia* [13] *tota : fiat, fiat.* Quod nostris verbis potest manifestius exprimi [14] (b). *Quando ergo* [15] *haec omnia fient, regnum nostrum, quod est gentile, non stabit.* Quod [16] sic potestea [17] evenerat. Eversis enim in adventu Patricii idulorum culturis, fides Christi catholica nostra [18]

[1] ab omnibus honorandum *B.* — [2] reges resistentes occisurum, turmas seducturum *B.* — [3] destructurum *B.* — [4] ejectis *B.* — [5] ill. artibus operibusque *B.* — [6] in mod. versiculi *B.* — [7] adv. Patricii duobus vel tribus annis *B.* — [8] propter linguae idioma *B.* — [9] asiae caput *B.* — [10] curvo *B.* — [11] domo *B.* — [12] perforata *B.* — [13] fam. sua *B.* — [14] quod-exprimi *om. B.* — [15] ergo *in marg. A.* — [16] quia *B.* — [17] postea *B.* — [18] cathol. nostra *om. B.*

(a) Ita etiam legerunt Petrie (*On Tara Hill*, pp. 77 not., 89 not.) et W. Reeves (*Adamnan*, p. 350-351, not. *m*.). Todd vero (*St. Patrick*, p. 411, not. 1) legendum asserit *Lasciciput*, voci scilicet Asciciput, quæ scripta est in textu, adjuncta littera *L* quæ in margine notatur (ita tamen distans a littera *A*, ut vix censeri possit ad eamdem vocem pertinere). Ceterum utraque lectio facile eumdem sensum reddit, *caput tonsum*, qui etiam sensus est vocis hibernicæ *tail cend*, quæ occurrit in textu hibernico (vid. not. seq. et præcipue O'Curry, *Lectures on the mss. materials of ancient Irish History*, p. 617). — *Edd. Boll.* — (b) Hoc loco forte insertus erat textus hibernicus horum versuum, qui reperitur apud Scholiasten Fiacci (cit. ap. Todd, *St. Patrick*, p. 411), in Vita Patricii hibernice scripta in *Leabhar Breac* (cit. ap. Petrie, *On Tara Hill*, p. 78), in Vita Patricii item hibernice scripta in *Libro Lismorensi* (ibid.) et in *Vita Trip.* hibernica ab O'Currio inventa et exscripta. Sic autem redditur ille textus a Petrie (ibid.) :

" Veniet tonsus in vertice trans mare vorticosum,
Cujus toga (i. e. casula) erit desuper perforata, cujus baculus erit praecurvi capitis,
Cujus disci (*mias* = hic altare ?) sive utensilia erunt in parte orientali suae domus:
Eique decantanti tota ipsius familia respondebit Amen, Amen. "

Alia ratione intellexit Probus illud *quod nostris verbis potest manifestius exprimi*, subjungens interpretationem, ut ita dicam, christianam oraculi magorum; sed hæc interpretatio nimis a sensu ejusdem oraculi videtur recedere ut eam antiquo nostro scriptori attribuamus.

[E COD. ARM.] * Fol. 2 bb.

replevit omnia. * De his ista sufficiant [1]; redeamus ad propossitum.

10. (De primo itinere in hanc insulam.)

Consummato igitur navigio sancto perfectoque, honorata [2] navis sancti cum [3] transmarinis mirabilibus [4] spiritalibusque tessauris quasi [5] in oportunum [6] portum in regiones [7] *Coolennorum* [8] (*a*) in portum apud nos clarum [9] qui vocatur hostium *Dee* (*b*) dilata est [10]. Ubi vissum est ei nihil perfectius [11] esse quam [12] ut semetipsum primitus redemeret, et inde appetens sinistrales fines ad illum hominem gentilem [13] *Milcoin* apud quem quondam in captivitate fuerat, portansque [14] geminum servitutis pretium, terrenum utique et caeleste, ut de captivitate liberaret illum [15] cui ante captivus servierat, ad anteriorem insolam, quae ejus nomine usque hodie nominatur [16], prurim [17] navis convertit. Tum deinde *Brega* (*c*) Conalneosque [18] (*d*) fines, necnon et fines [19] Ulathorum [20] (*e*) in levo [21] dimittens, ad extremum fretum [22], quod est *Brene* [23] (*f*) se inmisit. Et descenderunt in terram ad hostium *Slain* [24] (*g*) ille et qui cum eo erant in navi [25], et

[1] (De-sufficiant) Satis de hoc diximus *B.* — [2] honerata *B. Vita II* onerata. — [3] *om. B. Item Vita II.* — [4] amirabilibus transmarinis *B. Vita II* peregrinis venerabilibus. — [5] *om. B.* — [6] portunum *B.* — [7] in reg. *om. B.* — [8] Cuelenorum *B. Vita II* Lagenorum. — [9] in-clarum *om. B.* — [10] qui vocatur Scoticae ostium delata est *B.* — [11] profecturus *B.* — [12] quia *B.* — [13] gent. hom. *B.* — [14] port. ei *B.* — [15] eum *B.* — [16] vocatur *B.* — [17] proram *B.* — [18] Bregi conelosque *B.* — [19] regiones *B.* — [20] Ulutorum *B.* — [21] leva *B.* — [22] (ad extr.) in quodam fretu *B.* — [23] Prenisse *B.* — [24] Sanile *B.* — [25] ille-navi *om. B.*

(*a*) *Feara-Cualann* (vel *Crich-Cualann*, i. e. *fines Cualannorum*: vid. *Ann. Quat. Mag.*, t. I, p. 27) seu *Fercoulen*, inter *Bray* et Wicklow. Cfr. O'Donovan, *Book of Rights*, p. 13, not. — (*b*) *Ostium Deae*, seu *Inbher-Dea* prope Wicklow. Cfr. *Four Masters*, ed. O'Donovan, tom. I, p. 453, not. *z.* — (*c*) Hibernis vulgo *Magh-Breagh*, latine *Bregia*, campus in orientali parte antiquæ Midiæ *(Meath)*. Cfr. O'Donovan, *Book of Rights*, p. 11, not. *z.* — (*d*) Hibernis *Conaille Muirtheimhne*, cujus tribus regio olim *Cuailgne*, nunc *Cuailghe* vocatur, Anglis *Cooley*, in comitatu *Louth*. Cfr. ibid., p. 21, nott. *r* et *s.* — (*e*) *Ulad* = Ultonii, qui occupabant terras quæ hodie vocantur *Counties of Down and Antrim*. Hennessy in *Chron. Scot.*, p. 419. — (*f*) Fretum *Brennese* (Vit. II et IV), *Brenasse* (Vit. III), *Strangford Lough* (Colgan), " Ostium lacus Stranfordiensis " (O'Donovan), " Brena juxta lacum Strangfordiensem " (Quat. Mag.), videtur esse in parochia *Saul*, juxta *Ballintogher*, olim *Ballybren* (cfr. ibid., p. 40). — (*g*) Fluvioli qui influit lacui Strangfordensi juxta *Ringbane*, ad duo millia a *Saul*. Vid. *Inquiry into the true Landing-place of St. Patrick*, by J. Hanna, Downpatrick 1858.

[E COD. ARM.] absconderunt naviculam, et venierunt aliquantulum [1] in regionem ut requiescerent ibi. Et invenit eos porcinarius [2] cujusdam viri natura boni, licet gentilis, cui nomen erat *Dichu* [3], habitans ibi ubi [4] nunc est *Orreum Patricii* (*a*) nomine cognominatum [5]. Porcinarius [6] autem putans eos fures ac latrones [7], exivit et indicavit [8] domino suo *Dudichoin* (*b*), et [9] induxit * illum [10] super eos ignorantibus illis [11]. Qui corde propossuerat occidere eos [12]; sed videns faciem sancti [13] Patricii, convertit [14] Dominus ad bonum cogitationes ejus. Et praedicavit Patricius fidem illi [15], et ibi credidit Patricio [16], et requievit [17] ibi sanctus [18] apud illum non multis diebus. Sed volens cito ire ut vissitaret praedictum hominem *Milcoin* et portaret ei [19] pretium suum et vel [20] sic converteret [21] ad Christi [22] fidem, relicta ibi [23] navis [24] apud *Dichoin* [25], coepit per terras diregere viam in regiones Cruidnenorum [26] (*c*), donec pervenit ad montem *Miss* [27](*d*). De quo monte multo ante, tempore quo ibi captivus erat [28] servierat, presso [29] vestigio in petra alterius [30] montis, expedito gradu vidit angelum Victoricum in conspectu ejus [31] ascendisse in caelum.

* *Fol. 3 aa.*

11. (De morte Miluch.)

Audiens autem *Miliucc* [32] servum suum iterum [33] ad vissitandum eum [34], ut morem quem nolebat (*e*) in fine vitae [35] face-

[1] aliq. *om. B.* — [2] invenit porcinarios *B.* — [3] Dichuin *B.* — [4] ubi *om. B.* — [5] nom. cogn. *om. B.* — [6] Porcinarios *B.* — [7] putabat latrones esse *B.* — [8] nuntiavit *B.* — [9] Dud. et *om. B.* — [10] Duchoin illum *B.* — [11] eis *B.* — [12] eos occ. *B.* — [13] *om. B.* — [14] vertit *B.* — [15] pred. ei Patris fidem *B.* — [16] pre omnibus *add. B.* — [17] mansit *B.* — [18] sanctus Patricius *B.* — [19] (Sed-ei) Sed cito voluit visitare Miluch et portare ei *B.* — [20] vel *om. B.* — [21] converteretur *B.* — [22] Chr. *om. B.* — [23] ibi *om. B.* — [24] navi *B.* — [25] Dicoin *B.* — [26] (coepit-Cruidn. (venit in regionem Crunneorum *B.* — [27] Mis *B*, *et sic deinceps.* — [28] erat *om. B.* — [29] preso *A.* — [30] alcius *B.* — [31] suo *B.* — [32] Miluch *B.* — [33] *pro* iturum ? — [34] ad se convertendum *B.* — [35] in fine vitae *om. B.*

(*a*) *Sabhall-Phadraig*, nunc *Saul*, in comitatu Dunensi *(Down)*. Cfr. Reeves, op. cit., p. 40, not. *l*, et p. 220. — (*b*) *(Du) Dichoin* est in casu dativo ; paulo infra *Milcoin* in accus. — (*c*) *Cruithnii* seu *Cruthenii*, tribus Pictorum quæ in Hibernia consederat in comit. *Down*. Cfr. op. modo cit., p. 336-337 ; Kelly, *Cambrensis eversus*, t. I, p. 463 ; Skene, *Celtic Scotland*, t. I, p. 131. — (*d*) Mons Mis, Hibernis *Sliabh-Mis*, hodie *Slemish*. Cfr. Reeves, p. 335, not. *i*. — (*e*) Cfr. supra, fol. 2 *ba* " morem quemdam exterum. "

[E COD. ARM.]

ret quasi per vim, ne servo subjectus fieret [1] et ille sibi [2] dominaret [3], instinctu diabuli sponte se igni tradidit et in domu in qua prius habitaverat rex, congregato ad se omni instrumento substantiae suae incensus est [4]. Stans autem sanctus [5] Patricius in praedicto loco [6] a latere dextero montis *Miss*, ubi primum illam regionem in qua servivit [7] cum tali gratia adveniens vidit, ubi nunc usque [8] crux habetur in signum [9], ad vissum primum illius regionis ilico sub oculis [10] rogum * regis incensum intuitus [11]. Stupefactus igitur ad hoc opus duabus aut tribus fere horis [12] nullum verbum proferens, suspirans et gemens lacrimansque [13] atque [14] haec verba promens [15] ait: *Nescio, Deus scit, hic homo rex qui se ipsum igni tradidit* [16] *ne crederet in fine vitae suae* [17] *et ne serviret Deo aeterno* [18], *nescio Deus scit nemo de filiis ejus sedebit rex super sedem regni ejus a generatione in generationem; insuper et semen ejus serviet in sempiternum* [19]. Et his dictis, orans et armans se signo crucis, convertit cito iter suum ad regionem *Ulothorum* [20] per eadem vestigia quibus [21] venerat; et [22] rursum pervenit in [23] campum *Inis* (*a*) ad *Dichoin* [24]; ibique mansit diebus multis [25] et circumiit totum campum, et elegit, et amavit [26], et coepit fides crescere ibi [27] (*b*).

* *Fol. 3 ab.*

12. (Consilio sancti Patricii et de ecclesia primi pascae.)

Adpropinquavit autem pascha in diebus illis, quod pasca primum Deo in nostra Aegipto hujus insolae velut quondam in Genesseon [28] celebratum est. Et invenierunt [29] consilium

[1] fuisset *B.* — [2] sibi *om. B.* — [3] dominaretur *B.* — [4] (et-est) congregata tota substantia sua ad se in una domo incensus est cum substantia *B.* — [5] sanctus *om. B.* — [6] in pr. loco *om. B.* — [7] (ubi-servivit) ubi primo servierat *B.* — [8] usque *om. B.* — [9] in sign. hab. *B.* — [10] (ad-oculis) qui inde vidit *B.* — [11] int. *om. B.* — [12] duas vel tres horas *B.* — [13] atque lacrimans *B.* — [14] *om. B.* — [15] *om. B.* — [16] trad. igni *B.* — [17] in-suae *om. B.* — [18] vivo eterno *B.* — [19] in aeternum *B.* — [20] Ulutorum *B.* — [21] qua *B.* — [22] *om. B.* — [23] ad *B.* — [24] Diochin *B.* — [25] dieb. mans. mult. *B.* — [26] et circ.-amavit *om. B.* — [27] ibi fid. cresc. *B.* — [28] (quod-Genesseon) quia primum pasca quasi filiis Israhel in Egiptum sicut legimus in Genesim in nostra insula *B. Vita II* in Gersem. — [29] ininierunt *(sic) B.*

(*a*) *Magh-Inis,* hodie Baronia de *Lecale*. Cfr. Reeves, op. cit., p. 201. — (*b*) Sequitur hic in codice Bruxellensi capitulum quod in Libro Armachano legitur ad finem libri II (cap. 13).

[E COD. ARM.] ubi hoc [1] primum pasca in gentibus ad quas missit illum [2] Deus celebrarent, multisque super hac re [3] consiliis jectis [4], postremo inspirato divinitus sancto Patricio vissum est hanc magnam Domini sollempnitatem [5] quasi caput omnium sollempnitatum in campo [6] maximo, ubi erat regnum maximum nationum harum, quod erat omnis gentilitatis [7] et idolatriae, ne possit ulterius liberari [8], uti hic invictus cuneus in caput totius idolatriae, ne possit ulterius adversus Christi fidem insurgere, sub malleo fortis operis cum fide *Fol. 3 ba.* * juncti sancti Patricii et suorum manibus spiritalibus primus [9] inlideretur; et sic factum est.

13. (De oblatione primi pascae in hac insula.)

Elevata igitur navis [10] ad mare, et dimisso in fide plena et pace bono illo [11] viro *Dichu* [12], migrantes de campo *Iniss* [13] dexteraque manu demittentes omnia ad plenitudinem ministerii [14] quae erant ante, non incongrue leva in portum *Hostii Colpdi* [15] (*a*) bene et prospere delati sunt. Relictaque ibi navi, pedistri itenere venierunt in praedictum maximum campum, donec postremo ad vesperum pervenierunt [16] ad *Ferti* virorum *Feec* (*b*), quam, ut fabulae ferunt, fodorunt [17] viri, id est, servi *Feccol Ferchertni* (*c*), qui fuerat [18] unus e novim magis prophetis *Bregg* [19]. Fixoque ibi tentorio, debeta pascae vota sacrificiumque [20] laudis cum omni devotione sanctus Patricius cum suis Deo altissimo secundum profetae [21] vocem reddidit [22].

[1] *om. B.* — [2] illos *B.* — [3] hanc rem *B.* — [4] jactatis *B.* — [5] h. maximam resurrectionis D. festivitatem *B.* — [6] campo Breg *B.* — [7] gent. omn. *B.* — [8] (ne-liberari) caput draconis confringeret a servis Dei excelsi celebrari *B.* — [9] primum *B.* — [10] navi *B.* — [11] *om. B.* — [12] qui Dichu vocabatur *B.* — [13] Himis *B.* — [14] misterii *B.* — [15] in portu Hosticolo *B.* — [16] in praed.-pervenierunt *om. B.* — [17] *sic A.* — [18] (quam, ut-fuerat) quod fecerat *B.* — [19] Breg *B.* — [20] in sacrificium *B.* — [21] (sec. prof.) sed prophetae *B.* — [22] rediit *B.*

(*a*) *Inbher-Colptha,* alias *Inbher-Boinne* seu ostium fluminis *Boyne.* Cfr. ibid., p. 352. — (*b*) *Ferta-fer-Feic,* i. e. sepulcra virorum Fiacci. Cfr. *Four Masters,* ed. O'Donovan, ad an. 512 (t. I, p. 167), not. *k.* Hodie *Slane* in comitatu *Meath.* Cfr. infra, fol. 12 *ba.* — (*c*) Legendum forsan *Fecc ol Ferchertni,* i. e. Fiacci magni legis periti. *Fercheirtné* celeberrimus erat poeta et philosophus tempore Conori Mac Nessa. Cfr. O'Curry, *Mss. materials of ancient Irish history,* p. 558, not.

14. (De gentili festivitate in Temoria eadem nocte.) [E COD. ARM.]

Contigit vero [1] in illo anno idolatriae [2] sollempnitatem, quam [3] gentiles incantationibus multis et magicis inventionibus, nonnullis [4] aliis idolatriae [5] superstitionibus, congregatis etiam regibus, satrapis, ducibus, principibus et optimatibus populi [6], insuper et magis, incantatoribus [7], auruspicibus et omnis artis omnisque doni [8] inventoribus doctoribusve [9] vocatis ad *Loigaireum* [10] velut quondam ad Nabcodonossor [11] regem, in Temoria, istorum Babylone, exercere consuerant [12], eadem nocte qua sanctus Patri*cius [13] pasca, illi illam [14] adorarent exercerentque festivitatem gentilem. Erat quoque quidam [15] mos apud illos [16], per edictum omnibus intimatus, ut quicumque in cunctis regionibus sive [17] procul sive juxta in illa nocte incendisset [18] ignem antequam in domu regia [19], id est in palatio *Temoriae* [20], succenderetur [21], periret anima ejus de populo suo [22]. Sanctus ergo Patricius, sanctum pasca celebrans, incendit [23] divinum ignem [24] valde lucidum et benedictum, qui [25] in nocte reffulgens a cunctis pene per plani campi habitantibus vissus [26] est. Accidit ergo ut a Temoria videretur, vissoque eo conspexerunt omnes et mirati sunt [27]. Convocatisque senioribus [28] et majoribus natu regi [29] nesciisse illum qui hoc fecerit [30], magi responderunt: *Rex, in aeternum vive. Hic ignis quem videmus, quique in hac nocte accensus est antequam succenderetur in domu tua* [31], *id est in palatio Temoriae* [32], *nissi extinctus fuerit in* [33] *nocte hac* [34] *qua accensus est, nunquam extinguetur in aeternum; insuper et*

* *Fol. 3 bb.*

[1] autem *B.* — [2] ut aliam ydolatriam *B.* — [3] quod *B.* — [4] nonnullisque *B.* — [5] *hæc vox in A margini est adscripta.* — [6] populis *B.* — [7] incantatoribusque *B.* — [8] *sic. Lege* doli. — [9] aurusp.-doctoribusve *om. B.* — [10] Legere *B.* — [11] Nabuchodosor *B.* — [12] in Temoria-consuerant *om. B.* — [13] ead. q. s. Patr. nocte *B.* — [14] aliam *B.* — [15] *om. B.* — [16] eos *B.* — [17] vel *utroque loco B.* — [18] incedisset *B.* — [19] in palatio regis *B.* — [20] id est-Temoria *om. B.* — [21] incenderetur *B.* — [22] per. an. ej. morte *B.* — [23] incedit *B.* — [24] lumen *B.* — [25] quod *B.* — [26] a cunctis pene habitationibus per campi planiciem visum *B.* — [27] Accidit autem ut a tentorio vel templo videretur antequam accederet *(sic)* in palatio regis et mirati sunt omnes *B.* — [28] senioribus *in margine A.* — [29] Convocatisque omnibus majoribus ad regem et senioribus et magis dixit ei *(sic)* rex: Quis est qui hoc nefas ausus est facere in regno meo: pereat ille morte. Et respondentibus omnibus *B.* — [30] fecerat *B.* — [31] accenderetur in palatio tuo *B.* — [32] id est-Temoriae *om. B.* — [33] *om. B.* — [34] *om. B.*

[E COD. ARM.] *omnes ignes nostrae consuitudinis supergradietur* [1]*; et ille qui incendit et regnum superveniens a quo incensus nocte in hac* [2]*, superabit nos omnes et te, et omnes homines regni tui seducet* [3]*, et cadent* [4] *ei omnia regna, et ipsum* [5] *inplebit omnia et regnabit in saecula saeculorum* [6].

15. (De gressu regis ad Patricii.)

* *Fol. 4 aa.* * His ergo [7] auditis turbatus est rex *Loiguire* [8] valde, ut ollim Erodis, et omnis civitas Temoria [9] cum eo. Et respondens dixit: *Non sic erit; sed nunc nos ibimus ut videamus exitum rei, et retinebimus et* [10] *occidemus facientes tantum* [11] *nefas in nostrum regnum* [12]. Junctis .VIIII. curribus secundum deorum traditionem [13] et assumptis his .II. [14] magis ad [15] conflictionem prae omnibus optimis [16], id est *Lucetmael* et *Lochru*, in [17] fine noctis illius perrexit *Loiguire* [18] de Temoria [19] ad *Ferti* virorum *Feec* [20], hominum et equorum facies secundum congruum illis sensum [21] (*a*) ad levam vertentes [22]. Euntibus autem illis, dixerunt magi regi [23]: *Rex, nec* [24] *tu ibis ad locum in quo ignis est* [25], *ne forte tu postea adoraveris illum qui incendit; sed eris* [26] *foris juxta, et vocabitur ad te ille ut te* [27] *adoraverit et tu ipse* [28] *dominatus fueris, et sermocinabimur* [29] *ad invicem nos et ille in conspectu tuo, rex, et probabis nos sic.* Et respondens rex ait [30] : *Bonum consilium invenistis* [31]*: sic faciam* [32] *ut locuti fuistis* [33]. Et pervenierunt ad praefinitum locum [34]; discendentibusque illis de curribus suis [35] et equis,

[1] superabit *B.* — [2] inc. est in hac nocte *B.* — [3] et omn.-seducet *om. B.* — [4] cedent *B.* — [5] ipse *B.* — [6] *add.* Amen *B.* — [7] *om. B.* — [8] Loegere *B.* — [9] (ut ollim-Temoria) et omnes optimates *B.* — [10] eos vel *B.* — [11] tam *B.* — [12] regn. nostr. *B.* — [13] Junctis ergo curribus ternis novies *(ita etiam Vita II)* sec. traditiones deorum *B. Forte etiam* traditiones *A.* — [14] duobus *B.* — [15] *om. B.* — [16] optimatis *B.* — [17] i. e. Logith calvus *(sic)* et Lotrachim *B.* — [18] Loegere *B.* — [19] Temoir *B.* — [20] ad Ferte vir. Fech *B.* — [21] secundum-sensum *om. B.* — [22] vertens *B.* — [23] *om. B.* — [24] ne *B.* — [25] in quo incensus est ignis *B.* — [26] (sed eris) pre eris *B.* — [27] ipse te *B.* — [28] ipsius *B.* — [29] sermocinabitur *B.* — [30] et prob.-ait *om. B.* — [31] inv. cons. *B.* — [32] faciemus *B.* — [33] estis *B.* — [34] (ad praef. loc.) prefiniti *B.* — [35] *om. B.*

(*a*) *Secundum*, etc. I. e. præsagio mox eventuri illis mali, lævo latere aliquid infausti portendente. Vita II : " secundum morem illorum congruum atque omen aptum. "

non intraverunt in circuitum [1] loci incensi, sed sederunt juxta. [E COD. ARM.]

16. (De vocatione Patricii ad regem et morte magi.)

Et vocatus est sanctus Patricius ad regem [2] * extra locum incensi. Dixeruntque magi ad suos : *Nec surgemus nos in adventu istius* [3] *: nam quicunque surrexerit a* [4] *adventum* [5] *istius, credet ei postea et adorabit eum.* Surgens denique sanctus Patricius et videns multos currus et equos eorum, huncque psalmistae versiculum non incongrue in labiis et in corde decantans : *Hii in curribus et hii in equis, nos autem in nomine Dei* [6] *nostri ambulabimus,* ve[ni]t [7] ad illos. Illi [8] non surrexerunt in [adve]ntu ejus [9]; sed unus tantum a Domino adjutus, qui noluit oboedire dictis magorum, hoc est *Ercc* [10] filius *Dego*, cujus nunc reliquiae adorantur in illa civitate quae vocatur *Slane* [11], surrexit [12]: et benedixit eum Patricius, et credidit Deo aeterno. Incipientibusque illis sermocinari ad invicem, alter magus, nomine *Lochru* [13], procax erit [14] in conspectu sancti, audens [15] detrachere fidei catholicae tumulentis [16] verbis. Hunc autem intuens turvo oculo talia promentem sanctus Patricius, ut quondam Petrus de Simone [17], cum quadam potentia [18] et magno clamore confidenter ad Dominum dixit : *Domine, qui omnia potes et in tua potestate consistunt* [19], *quique me* [20] *missisti huc, hic impius* [21], *qui blasfemat nomen tuum, elevetur nunc foras et cito moriatur.* Et his dictis, elivatus est in aethera magus [22] et iterum dimissus foras [23] desuper, verso ad lapidem cerebro, comminutus et mortuus fuerat [24] coram eis; et [25] timuerunt gentiles.

* *Fol. 4 ab.*

[1] circuitu *B.* — [2] gem *supra lin., et additur item supra lin. vox* juxta, *quæ tamen deinde deleta est singulis syllabis superposito triplici puncto. A.* — [3] ejus *B.* — [4] *sic pro* ad. — [5] in adventu *B.* — [6] Domini Dei *B.* — [7] *Quæ uncinis inclusa notavimus, ætate deleta sunt.* — [8] Illi vero *B.* — [9] *add.* ut antea consiliati sunt *B.* — [10] Herc *B.* — [11] quae voc. Slane *om. B.* — [12] Surrexerunt *B.* — [13] Locru *B.* — [14] *sic.* erat *B.* — [15] (in-audens) sancto Deo aeterno audiens *(sic) B.* — [16] tumulentibus *B.* — [17] Petrus Symonem *B.* — [18] pacientia *B.* — [19] consistis *B.* — [20] *om. B.* — [21] hunc impium *B.* — [22] elev. est magus in aere *B.* — [23] *om. B.* — [24] fuit *B.* — [25] et valde *B*

[E COD. ARM.]

17. (De ira regis et suorum ad Patricium.)

* Fol. 4 ba. * Iratusque cum suis rex Patricio super hoc, voluit eum occidere et dixit : *Injecite manus* [1] *in istum perdentem nos.* Tunc videns gentiles impios [2] inruituros in eum, sanctus Patricius surrexit claraque voce dixit: *Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Et statim inruerunt tenebrae et commotio quaedam horribilis, et expugnaverunt impii [3] semetipsos alter adversus alterum insurgens; et terrae motus magnus factus est, et collocavit axes curruum eorum et agebat [4] eos cum vi; et praecipitaverunt se [5] currus et equi per planitiem campi [6], donec ad extremum pauci ex eis semivivi [7] evasserunt ad montem *Monduirn* [8] (*a*); et prostrati [9] sunt [10] ab hac plaga coram rege ex [11] suis sermonibus [12] ad maledictum Patricii septem septies viri, donec ipse remanserat tantum [13] hominibus [14] ipse et uxor ejus et alii ex Scotis [15] .II. [16], et timuerunt valde. Veniensque regina ad Patricium, dixit ei : *Homo juste et potens, ne perdas regem : veniens enim* [17] *rex genua flectet et adorabit Dominum tuum* [18]. Et venit rex timore [19] coactus, et flexit genua coram sancto, et finxit se adorare quem nolebat. Et postquam separaverunt ad [20] invicem, paululum gradiens vocavit rex sanctum Patricium simulato verbo, volens interficere eum quomodo [21]. Sciens autem Patricius cogitationes regis pessimi,
* Fol. 4 bb. * benedictis in nomine Jesu Christi sociis suis octo viris cum puero [22], venit ad regem. Enumerat [23] eos rex venientes, statimque nusquam comparuerunt [24] ab oculis regis [25]; sed viderunt gentiles .VIII. [26] tantum cervos cum hynulo euntes quasi ad dissertum. Et rex [27] *Loiguire* [28] mestus, timidus [29]

[1] Mitte manum *B.* — [2] *om. B.* — [3] *om. B.* — [4] aiebat *B.* — [5] *om. B.* — [6] *add.* maximi *B.* — [7] semimortui *B.* — [8] Mondorum *B.* — [9] prostracti *B.* — [10] *om. B.* — [11] ac *B.* — [12] senioribus *B.* — [13] IIII^or tantum *B.* — [14] *om. B.* — [15] sociis *B.* — [16] duo *B.* — [17] autem *B.* — [18] (flectet-tuum) flectens ador. Dom. Deum tuum *B.* — [19] more *B.* — [20] ab *B.* — [21] eum quomodo *om. B.* — [22] *add.* suo *B.* — [23] Annumeravit *B.* — [24] (nusq. comp.) comp. nunquam *B.* — [25] *add.* dempti *vel* derepti (?) *B.* — [26] octo *B.* — [27] lex *B.* — [28] Loegere *B.* — [29] timidusque *B.*

(*a*) *Mugdorni-Breg* campum incolebant inter Dublinum et Droghedam (*Quat. Mag.*, an. 807) ; — vel est mons *Modhuirn* in *Cremorne Monaghan* (ibid.).

et ignominiossus cum paucis evadentibus ad *Temoriam* [1] versus [2] est deluculo [3]. [E COD. ARM.]

18. (De aventu Patricii ad regem in pallatio.)

Sequenti vero die, hoc est in die pascae, recumbentibus regibus et principibus et magis [4] apud *Loiguire* [5], festus enim dies maximus [6] apud eos [7] erat, manducantibus illis et bibentibus vinum in palatio [8] *Temoriae*, sermocinantibusque [9] et [10] aliis, et aliis cogitantibus de his quae facta fuerant [11], sanctus Patricius .v. [12] tantum viris, ut contenderet et verbum faceret [13] de fide sancta in Temoria [14] coram omnibus nationibus [15], hostiis claussis, secundum id quod de Christo legitur, venit. Adveniente ergo eo in coenacolum *Temoriae* [16], nemo de omnibus ad adventum [17] ejus surrexit, praeter unum tantum, id [18] est *Dubthoch Maccu Lugil* [19], poetam optimum, apud quem tunc temporis ibi erat quidam adoliscens poeta [20], nomine *Feec* [21], qui postea mirabilis episcopus fuit, cujus reliquiae adorantur *hi* (*a*) *Sleibti* [22]. Hic, ut dixi, * Dubthach [23] solus ex gentibus [24] in honorem [25] sancti Patricii surrexit; et benedixit ei sanctus [26], crediditque primus in illa die Deo [27], et repputatum est ei ad justitiam. Visso itaque Patricio, vocatus est a gentibus ad vescendum, ut probarent eum in venturis rebus. Ille autem, sciens quae ventura essent, non reffellit [28] vesci.

* *Fol. 5 aa.*

[1] Temoir *B.* — [2] reversus *B.* — [3] *om. B.* — [4] *add.* totius Hiberniae *B.* — [5] Loegere *B.* — [6] *om. B.* — [7] illos *B.* — [8] *add.* regis *B.* — [9] sermocinantibus *B.* — [10] *om. B.* — [11] *add.* nocte hac venerabili utriusque solempnitatis christiane videlicet et gentilis *B.* — [12] quinque *B.* — [13] et verb. fac. *om. B.* — [14] (in Tem.) et verbum Dei predicaret in Themoir *B.* — [15] *add.* Hiberniensium tunc illic collectorum *B.* — [16] (Adv.-Temoriae) Eo ergo veniente in palatio regis *B.* — [17] in adventu *B.* — [18] hoc *B.* — [19] Dubthoc filius Lugir *B. Vita II* Dubtacho mac Hua Lugair. — [20] erat p. adol. *B.* — [21] Felech *B.* — [22] hi Sleibti *om. B.* — [23] (Hic-Dubthach) His letantibus et bibentibus Dubthoc autem *B.* — [24] *add.* in illa die *B.* — [25] in honore *B.* — [26] *add.* Patricius *B.* — [27] et credidit Deo in illo die *B.* — [28] repulit *B.*

(*a*) ***hi*** seu ***i*** est præpositio hibernica, idem sonans ac ***in***. Cfr. fol. 15 ***bb*** et fol. 18 ***ba***. — *Sleibti*, hodie *Slatey* vel *Sletty* juxta *Carlow*; de Fiacco cfr. infra, fol. 18 ***ba***.

[E COD. ARM.]

19. (De conflictione Patricii adversus magum.)

Coenantibus autem omnibus, ille magus *Lucet mail* [1], qui fuerat in nocturna conflictione, etiam in illa die solicitus est extincto consocio [2] suo confligere [3] adversus sanctum Patricium; et ut initium causae haberet, intuentibus aliis inmissit [4] aliquid ex vasse suo in poculum Patricii, ut probaret quid faceret. Vidensque sanctus Patricius hoc probationis genus, videntibus cunctis benedixit poculum suum; et versus est liquor in modum gelu, et converso vasse cecidit gutta illa tantum qnam inmisserat magus. Et iterum [5] benedixit poculum : conversus est liquor in naturam [6], et mirati sunt omnes. Et post paululum [7] ait magus : *Faciamus signa super hunc campum maximum in hoc campo maximo.* * Respondensque Patricius ait : *Quae?* Et dixit magus [8] : *Inducamus nivem super terram.* Et ait pater [9] : *Nolo contraria voluntati Dei inducere.* Et dixit [10] magus : *Ego inducam videntibus cunctis* [11]. Tunc incantationes [12] magicas exorsus induxit nivem super totum campum pertinguentem *ferenn* [13] (*a*); et viderunt omnes et mirati sunt. Et ait sanctus [14] : *Ecce videmus hoc : depone nunc.* Et dixit : *Ante istam horam cras non possum deponere.* Et ait sanctus [15] : *Potes malum et non bonum facere. Non sic* [16] *ego.* Tunc benedicens per totum circuitum campum, dicto citius absque ulla pluia aut nebulis aut vento evanuit nix [17]. Et clamaverunt [18] turbae et mirati sunt corde [19]. Et paulo [20] post, invocatis demonibus, induxit magus densissimas tenebras super terram in signum [21]; et mormuraverunt omnes. Et ait sanctus [22] : *Expelle* [23] *tenebras.* At ille

* *Fol. 5 ab.*

[1] Loiet calvus *B.* — [2] socio *B.* — [3] confligeret *B.* — [4] inmiscuit *B.* — [5] benedixit-iterum *om. B.* — [6] *add.* suam *B.* — [7] poculum *B.* — [8] (super hunc-magus) in hoc campo magno *B.* — [9] Patricius *B. It. Vita II.* — [10] Dixitque *B.* — [11] cunct. vid. *B.* — [12] invocationes *B.* — [13] (*pro* ferenn) usque ad zonas virorum *B.* — [14] *add.* Patricius *B.* — [15] Ecce-sanctus *om. B.* — [16] *add.* autem *B.* — [17] (per totum-nix) evanuit per circuitum totum campum dicto sic citius absque ulla pluvia aut nebula aut ventis aut nix *B.* — [18] Et exclamaverunt *B.* — [19] mirate sunt valde *B.* — [20] *om. B.* — [21] in sign. *om. B.* — [22] *add.* Patricius *B.* — [23] expelle *B.*

(*a*) ***ferenn*** = zonæ, ut legitur in *B*; et in Cormaci Glossario : ***tacmaic snechta ferne fer***, i. e. cinxit nix zonas virorum.

[E COD. ARM.]

similiter [1] non poterat. Sanctus autem [2] orans benedixit, et reppente expulsae sunt tenebrae et refulsit sol. Et exclamaverunt omnes et gratias egerunt. His autem omnibus [3] in conspectu regis inter magum Patriciumque, ait rex ad illos : *Libros vestros in aquam mittite, et illum cujus libri inlessi evasserunt* [4] *adorabimus.* Respondit Patricius : *Faciam ego.* Et dixit magus : *Nolo ego ad judicium aquae venire* [5] *cum isto* [6] *: aquam* [7] *enim* [8] *deum habet.* Certe [9] audivit babtisma [10] per aquam a Patricio datum. Et respondens rex ait: *Permitte per ignem* [11]. * Et ait Patricius : *Prumptus sum.* At magus nolens dixit : *Hic homo versa vice in alternos annos nunc aquam nunc ignem deum* [12] *veneratur.* Et ait sanctus [13] : *Non sic. Sed tu ipse ibis, et unus ex meis pueris ibi* [14] *tecum, in separatam et conclaussam* [15] *domum, et meum erga te et tuum erga me erit vestimentum, et sic simul incendemini* [16]. Et hoc consilium incedit, et aedificata est eis domus [17] cujus dimedium ex materia viridi et alterum dimedium ex arida facta est. Et missus est magus in illam domum [18] in partem ejus viridem, et unus e pueris sancti Patricii, *Bineus* [19] nomine, cum veste magica in partem domus [20]. Conclussa itaque extrinsecus domus [21] coram omni turba incensa est. Et factum est in illa hora, orante Patricio [22], ut consumeret flamma ignis magum cum demedia domu viridi, permanente cassula sancti Patricii tantum intacta, quia [23] ignis non tetigit. Felix autem *Benineus* [24] e contrario cum demedia domu arida, secundum quod de tribus pueris dictum est, non tetigit eum ignis [25] neque contristatus est [26] nec quicquam molesti [27] intulit; cassula tantum magi, quae erga eum fuerat, non sine Dei nutu exusta [28]. Et iratus est valde rex adversus Patricium de morte magi su[i], et inruit poene in eum volens occidere;

Fol. 5 ba.

[1] *om. B.* — [2] vero Patricius *B.* — [3] *add.* gestis *B.* — [4] evaserint *B.* — [5] ire *B.* — [6] ipso *B.* — [7] aqua *B.* — [8] *add.* certe *B.* — [9] *om. B.* — [10] (aud. babt.) audiens baptismum *B.* — [11] Mittite in ignem *B.* — [12] nunc aqua nunc igne Dominum suum *B.* — [13] *add.* Patricius *B.* — [14] *sic A.* ibit *B.* — [15] clausam *B.* — [16] *add.* in conspectu Altissimi *B.* — [17] (eis domus) domus ejus *B.* — [18] dom. ill. *B.* — [19] Binems *B.* *Hibernice* Benen. *Infra vocatur idem* Benignus *et* Binean *(fol. 9 ab, 9 bb, 17 ab).* — [20] in parte domus aridae *B.* — [21] dom. extr. *B.* — [22] sancto Patricio *B.* — [23] quod *B.* — [24] Binemus *B.* — [25] *add.* omnino *B.* — [26] contristavit *B.* — [27] molestiae *B.* — [28] *add.* est *B.*

[E COD. ARM.] sed prohibuit illum Deus. Ad precem enim Patricii et ad vocem ejus discendit ira Dei in verticem suum [1]. Et timuit rex vehementer, et commotum [2] est cor ejus, et omnis

* Fol. 5 bb. * civitas [3] cum eo.

20. (De conversione regis.)

Congregatis igitur [4] senioribus et omni senatu suo, dixit eis rex *Loiguire* [5] : *Melius est credere me* [6] *quam mori*. Initoque consilio, ex suorum praecepto credidit in illa [7] die et convertit [8] ad Dominum Deum Hisrael [9] aeternum; et ibi crediderunt multi alii [10]. Et ait sanctus Patricius ad regem : *Quia* [11] *resististi doctrinae meae* [12] *et fuisti scandalum mihi, licet* [13] *prolonguentur* [14] *dies regni tui, nullus tamen erit ex semine tuo* [15] *rex in aeternum* [16].

21. [17] Sanctus autem Patricius secundum praeceptum Domini Jesu [18] gentes babtitzansque eas [19] in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et [20] profectus a Temoria [21] praedicavit [22] Domino cooperante et sermonem [23] confirmante [24] sequentibus signis (*a*).

22. (De Macuil et conversione ejus.)

Erat [25] quidam homo in regionibus *Ulothorum* [26] (*b*) Patricii tempore, *Macuil* (*c*) *Maccugreccae* [27], et erat hic homo valde

[1] (in vert. suum) in populum inpium, et perierunt multi ex eis. Et ait sanctus Patricius regi : Nisi nunc credideris, cito morieris, quia descendet ira Dei in verticem tuum *B.* — [2] commutatum *B.* — [3] (omn. civ.) omnes optimates *B.* — [4] itaque *B.* — [5] Loegere *B.* — [6] (cred. me) mihi credere *B.* — [7] illo *B.* — [8] conversi sunt *B.* — [9] Deum Israel *om. B. Sed et in A videtur vox* Hisrl *deleta superpositis punctis.* — [10] multi alii *om. B.* — [11] quod *B.* — [12] *om. B.* — [13] (*pro* licet) non *B.* — [14] prolongnetur *B.* — [15] (tamen-tuo) tantum ex semine tuo erit *B.* — [16] *add.* post te *B.* — [17] *Nullus hic titulus adscribitur in B.* — [18] *add.* iens et docens omnes *B.* — [19] baptizans eos *B.* — [20] *om. B.* — [21] (a Tem.) Demoir *B.* — [22] *add.* ubique *B.* — [23] sermone *B.* — [24] confirmate *B.* — [25] *add.* quoque *B.* — [26] in regione Uloth *B.* — [27] (Macuil Maccug.) Malcuil nomine *B.*

(*a*) Hoc loco legitur in *B* : *Finitur primus liber. Incipit secundus.* — Deinde sequuntur ex ordine quæ hic in editione nostra leguntur sub numeris 26, 28, 27, 22, 24, 23 (ex parte). — (*b*) *Uloth (B), Ulod* (fol. 8 *ab)* est gen. plur. (apud Zeuss, p. 258, *Ulad),* in acc. plur. *Ultu* (infra, fol. 8 *ba,* = *Ultanos B).* — Regio *Ulad* tempore Patricii complectebatur tantum hodiernos comitatus *Down* et *Antrim (Book of Rights,* p. 36-37, not. *e.* — (*c*) Inferius *Maccuil* et *Maccuill.* Quod sequitur nomen

impius [1], saevus tyrannus, ut Cyclops nominaretur. Cogitationibus [2] pravus, [3] verbis intemperatus, factis malignus, spiritu amarus, anima [4] iracondus, corpore scelestus, mente crudelis, vita gentilis, conscientia inanis [5], in tantum vergens impietatis in profundum ita [6] ut die quadam in montosso, aspero altoque sedens loco *Hindruim Moccuechach* (*a*) ubi ille tyrannidem cotidie * exercebat *[diberca]* (*b*) signa sumens nequissima crudelitatis [7] et transeuntes hospites crudeli [8] scelere interficiens, sanctum quoque Patricium claro [9] fidei lumine radiantem et miro quondam [10] caelestis [11] gloriae deademate fulgentem, videns eum inconcussa doctrinae fiducia per congruum viae iter ambulantem [12], interficere cogitaret, dicens satilitibus suis : *Ecce seductor ille et perversor hominum venit, cui mos* [13] *facere praestigias* [14] *ut decipiat homines multosque seducat. Eamus ergo et temptemus eum, et sciemus* [15] *si habet potentiam aliquam* [16] *ille Deus in quo se glorietur* [17]. Temptaveruntque [18] virum sanctum in hoc mundo [19] : temptaverunt et [20] posuerunt unum ex semetipsis [21] sanum in medio eorum sub sago jacentem [22] infirmitatemque mortis [23] simulantem, ut probarent [24] sanctum in hujusquemodi fallaci re [25], sanctum seductorem, virtutes [26] praestigias [27], et orationes veneficia vel incantationes nominantes. Adveniente [28] sancto Patricio cum discipulis suis, gentiles dixerunt ei : *Ecce unus ex nobis nunc infirmatus est.*

[E COD. ARM.]

* *Fol. 6 aa.*

[1] et hic homo valde erat impius *B.* — [2] cogitantionbus *A.* — [3] *post* cogitationibus pravus *in A sequitur* pravus verbis, *sed hæ voces punctis deletæ.* — [4] animo *B.* — [5] immanis *B.* — [6] *om. B.* — [7] in tantum-crudelitatis *om. B.* — [8] cru *B.* — [9] caro *B.* — [10] quodam *B.* — [11] *sequitur hic in A vox* patriae, *at punctis deleta.* — [12] amb. it. *B.* — [13] *add.* est *B.* — [14] praestrigias *A.* — [15] sciamus *B.* — [16] si aliquam habet potestatem *B.* — [17] gloriatur *B.* — [18] Temptaverunt itaque *B.* — [19] (in hoc mundo) hoc modo ? *B.* — [20] tempt. et *om. B.* — [21] posueruntque ex seipsis unum *B.* — [22] sub sago jac. *om. B.* — [23] mortem *B.* — [24] probaret *B.* — [25] (in-re) in hujus scemo fallacia rem *B.* — [26] virtutis *A.* virtutem *B.* — [27] praestrigias *A.* — [28] *add.* ergo *B.*

Maccugreccæ, videtur esse *filius prædæ :* nam *creiche* = *prædæ*, et in Vita Tripartita hibernica *Maccuill* vocatur *filius mortis.* — (*a*) *Nendrum* seu *Aendrum*, hodie *Mahee* (i. e. Mochay) Island. Cfr. Reeves, *Eccl. Antiq. of Down*, p. 187 sqq. — (*b*) Vel *dibirca.* Hæc glossa superposita est voci *signa* et lineæ " exercebat-nequissima. „ Cfr. *diberga* = *prædo*, apud O'Curry, *Manners and Customs of the ancient Irish*, t. III, p. 569; *dibercach* = *rebellis, latro (bandit)*, ap. Windish, *Irische Texte*, p. 478; *dibhircach* = *ferox* apud O'Reilly, *Irish Dictionary.*

[E COD. ARM.] *Accede itaque* [1] *et canta super eum aliquas* [2] *incantationes sectae tuae* [3], *si forte sanari possit.* Sanctus [4] Patricius, sciens omnes dolos [5] et fallacias eorum, constanter et intripide ait : *Nec mirum si infirmus fuisset.* Et revelantes socii ejus faciem insimulantis infirmitatem [6], viderunt eum jam

* Fol. 6 ab. * mortuum. At illi obstupescentes ammirantesque tale miraculum, dixerunt intra se gentes [7] : *Vere hic homo Dei est; male fecimus temptantes eum.* Sanctus vero Patricius conversus ad *Maccuil* [8], ait [9] : *Quare temptare me voluisti ?* Respondensque ille tyrannus crudelis [10] ait : *Poeniteat* [11] *me facti hujus, et quodcumque praeciperis mihi* [12] *faciam, et trado me nunc in potentiam* [13] *Dei tui excelsi quem praedicas.* Et ait [14] sanctus [15] : *Crede* [16] *ergo in Deo meo Domino Jesu* [17], *et confitere peccata tua et babtitzare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et conversus in illa hora credidit Deo aeterno. Babtitzatusque est insuper; et nunc addidit *Maccuil* [18] dicens: *Confiteor* [19] *tibi, sancte domine mi Patrici, quod* [20] *proposui te interficere* [21]. *Judica ergo quantum* [22] *debuerit pro tanto ac tali cremine.* Et ait Patricius : *Non possum judicare, sed Deus judicabit. Tu tamen egredire nunc inermis ad mare, et transi velociter de regione hac Hibernensi* [23], *nihil tollens* [24] *tecum de tua substantia praeter vile* [25] *et parvum indumentum quo possit corpus tuum contegi, nihil gustans nihilque bibens de fructu insolae hujus, habens* [26] *insigne peccati tui in capite tuo; et postquam pervenias ad mare, conliga* [27] *pedes tuos conpede ferreo, et projece clavim ejus in mari* [28], *et mitte* [29] *te in navim* [30] *unius pellis* (a) *absque gubernaculo et absque* [31] *remo, et quocumque te duxerit ventus et mare esto paratus, et terram in quamcumque defferat te* [32] *divina providentia, inhabita et exerce tibi* [33]

[1] *om. B.* — [2] alias *B.* — [3] tue sectae *B.* — [4] *add.* autem *B.* — [5] dol. omn. *B.* — [6] simulantis infirmitate *B.* — [7] gementes *B.* — [8] Macuil *B.* — [9] *om. B.* — [10] Respondens ille crud. tir. *B.* — [11] Penitet *B.* — [12] mihi preceperis *B.* — [13] penitentiam *B.* — [14] *om. B.* — [15] *add.* Patricius *B.* — [16] Credo *B.* — [17] *add.* Christo *B.* — [18] et haec audivit Macuil *B.* — [19] Confitebor *B.* — [20] quia *B.* — [21] interf. te *B.* — [22] quando *B.* — [23] Hiberniae *B.* — [24] tolles *B.* — [25] vigile *B.* — [26] habensque hoc *B.* — [27] insigne-conliga *om. B.* — [28] mare *B.* — [29] inmitte *B.* — [30] navim *om. B.* — [31] *om. B.* — [32] et terram in quacunque deferat (te *om.*) *B.* — [33] ibi *B.*

(a) Hibernice *currach* = navicula et pellis ; de qua voce et synonymis *loing* et *noi*, vide *Echtra Condla Cain* in *Kilkenny Archæol. Journal* 1874. p. 133.

[E COD. ARM.] * Fol. 6 ba.

divina mandata. * Dixitque *Maccuill* [1] : *Sic faciam ut dixisti. De viro autem mortuo quid faciemus?* Et ait Patricius [2]: *Vivet et exsurget* [3] *sine dolore.* Et suscitavit eum Patricius [4] in illa hora, et revixit sanus. Et migravit inde *Maccuil* [5] tam cito [6] ad mare dexterum campi *Inis* (*a*), habeta fiducia inconcussa fidei [7], collegavitque se in litore jeciens clavim in mare [8] secundum quod praeceptum est ei, et ascendit mare in navicula [9]. Et inspiravit illi [10] ventus aquilo, et sustulit [11] eum ad meridiem jecitque eum in [12] insolam, *Evoniam* [13] (*b*) nomine. Invenitque ibi .II. [14] viros valde mirabiles, in fide et doctrina fulgentes, qui primi docuerunt verbum Dei et babtismum in *Evonia* [15] et conversi sunt homines insolae [16] in doctrina eorum ad fidem catholicam [17], quorum nomina sunt [18] *Conindri* et *Rumili* [19]. Hii vero [20] videntes virum unius [21] habitus mirati sunt et miserti sunt illius [22], elivaveruntque [23] de mari suscipientes cum gaudio. Ille igitur, ubi inventi sunt spiritales patres in regione a Deo sibi credita, ad regulam eorum corpus et animam exercuit, et totum vitae tempus exegit [24] apud istos. .II. [25] sanctos episcopos, usque dum successor eorum in episcopatu effectus est. Hic est [26] *Maccuil dimane* [27] (*c*) episcopus et antestes *Arddae Huimnonn* [28] (*d*).

23. (De gentili labore in die dominica.)

Alia vero [29] vice sanctus requiescens Patricius in die dominica supra mare juxta salsuginem, quod [30] est ad aqui-

[1] Malcuil *B.* — [2] sanctus Patricius *B.* — [3] Vivat et resurgat *B.* — [4] *om. B.* — [5] Malcuil *B.* — [6] tam cito *om. B.* — [7] (dextr.-fidei) dextro campo Hinis habens fiduciam inconcussae fidei *B.* — [8] eiciens in mari clavim *B.* — [9] navim *B.* — [10] ei *B.* — [11] (et sust.) ejecitque *B.* — [12] jecitque eum in *om. B.* — [13] Evanneam *B.* — [14] duos *B.* — [15] Evannea *B.* — [16] *add.* hujus *B.* — [17] (in-cathol.) ad fid. cath. in doctrinam eorum *B.* — [18] quor. haec sunt nomina *B.* — [19] Conhindri et Romuli *B.* — [20] ergo *B.* — [21] hujus *B.* — [22] ejus *B.* — [23] *add.* eum *B.* — [24] ibi exegit *B.* — [25] *om. B.* — [26] *om. B.* — [27] Malcuit de mare *B.* — [28] episc. et antisteus clarus Ardehunun cujus nos suffragia adjuvent sancta *B.* — [29] *om. B.* — [30] quae *B.*

(*a*) Nunc *Lecale.* Cfr. supra, capp. 11 et 13. — (*b*) Evania (Probus), Eubonia i. e. Mannia (Vita Tripart. et Jocelinus) est hodie *Isle of Man.* — (*c*) *Diaman*, i. e. perfectus. Vel fortasse *di-manach*, Dei monachus, aut *di-mana*, valde felix. — (*d*) *Hi-mannan*, i. e. insula Mona.

[E COD. ARM.] lonalem [1] plagam a *Collo bovis* [2] (*a*) distans non magno vice [3] spatio, audivit sonum intemperatum [4] gentilium in die dominica laborantium, facientium *rathi* [5], vocatisque illis prohibuit eos Patricius ne laborarent in dominico die [6]. At illi non consentiebant verbis sancti : quin immo inridentes deludebant eum [7]. Et ait sanctus Patricius : *Mudebroth* (*b*), *quamvis laboraveritis, nec tamen proficiat.* Quod tamen completum est [8]. In sequenti enim [9] nocte ventus magnus adveniens turbavit mare, et omne opus gentilium destruxit tempestas, juxta [10] verbum sancti [11].

* Fol. 6 bb. **24.** [12] * Fuit quidam homo dives et honorabilis [13] in regionibus Orientalium [14] (*c*) cui nomen erat *Daire* [15]. Hunc autem rogavit Patricius [16] ut aliquem locum ad exercendam relegionem daret ei [17]. Dixitque dives ad sanctum [18] : *Quem locum petis?* — *Peto,* inquit sanctus, *ut* [19] *illam altitudinem terrae quae nominatur* [20] Dorsum salicis [21] (*d*), *dones mihi, et construam* [22] *ibi locum.* At ille noluit sancto terram illam dare [23] altam ; sed dedit illi locum alium in [24] inferiori terra, ubi nunc est

[1] aquilonem *B.* — [2] bonis *B.* — [3] viae *B.* — [4] sonitum interpertatum *B.* — [5] facientes fossam castelli *B.* — [6] in die dominica *B.* — [7] At illi non consentientes ei, sed magis deridebant eum *B.* — [8] Et ait-est *om. B.* — [9] (In seq. en.) Sequenti autem *B.* — [10] secundum *B.* — [11] viri Dei *B.* — [12] *Nullus hic titulus adscribitur in B.* — [13] div. et hon. *om. B.* — [14] origentalium *B.* — [15] Dar *B.* — [16] sanctus Patricius *B.* — [17] ut al. loc. daret ei ubi exerceret religionem *B.* — [18] *add.* Patricium *B.* — [19] *om. B.* — [20] dicitur *B.* — [21] (dors. sal.) Arumsailech, hoc est Ardmathe *B.* — [22] constituam *B.* — [23] dare sancto terr. ill. *B.* — [24] (illi-in) aliam *B.*

(*a*) Hibernice *Druim-bo ;* rursus occurrit infra, lib. II, cap. 11. Quinam sit locus, non satis certo constare indicat Reeves, *Eccl. Antiq. of Down*, p. 235. Sed apud M. F. Cusack, *Life of St. Patrick*, p. 345, dicitur omnino constare esse collum inter *Saul* et *Coyle-Castle*, juxta *Salt-Lough (Salsuginem*, ut est in textu nostro) et *Coyle River.* Nota D^m Hanna et D^m O'Laverty, in his rebus versatissimos, multa loca Patriciana indicasse doctissimæ moniali M. F. Cusack. — (*b*) *Mo-de-broth*, i. e. *mi-Deus-judex.* Vid. O'Donovan in supplemento ad Lexicon Hibernicum O'Reilly. Vel *meus-Deus-judicabit* vel *judicet.* Cfr. supra, num. præc. paulo post med., verba Patricii : *Non possum judicare, sed Deus judicabit.* — Melius Glossator Hymni S. Fiacci : " Genus juramenti hoc, ac si diceret *dar mo dia bratha,* per meum Deum judicii. " *Liber Hymnorum Conventus Dublin. O. S. F.*, citatus a Zimmero in libro cui titulus *Glossae Hibernicae*, p. 277. — (*c*) Hodie *Oriors*, hibernice *Airthearr* in comitatu Armachano. Cfr. Reeves, op. cit., p. 235-236 et p. 364. Vel potius *Oirghialla,* quos fl. Bann dividebat ab Ulothis (O'Donovan, *Annal. Quat. Mag.*, t. I, p. 158. Cfr. etiam *B.* Origentalium). — (*d*) Hibernice *Druim-Sailech.*

[E COD. ARM.]

Fertae (*a*) Martyrum juxta *Arrd machae* (*b*), et habitavit ibi [1] sanctus Patricius cum suis [2]. Post vero aliquod tempus venit eques *doiri* (*c*) *Dairi* [3] ducens equum suum miraculum [4] (*d*), ut pasceretur in herbosso loco christianorum. Et offendit Patricium [5] talis dilatio equi in locum suum, et ait : *Stulte fecit* [6] *Daire* [7] *bruta mittens animalia turbare locum parvum* [8] *quem dedit Deo* [9]. At vero eques tanquam sordus non audiebat [10] et sicut mutus non aperiens os suum [11] nihil loquebatur, sed dimisso ibi [12] equo nocte illa exivit. Crastino [13] autem die mane veniens [14] eques vissitare [15] equum suum, invenit eum jam [16] mortuum. Domique reversus [17] tristis ait [18] ad Dominum suum : *Ecce christianus ille occidit equum tuum* [19]. *Offendit enim* [20] *illum turbatio loci sui.* Et dixit *Daire* [21] : *Occidatur et ille : nunc ite et interficite eum.* Euntibus autem illis foras, dictu [22] citius inruit mors [23] super *Daire* [24]. Et ait uxor ejus : *Caussa christiani est haec* [25]. *Eat* [26] *quis cito* [27], *et portentur nobis beneficia ejus, et salvus eris ; et prohibentur* [28] *et revocentur* [29] *qui exierunt occidere eum.* Exieruntque .II. [30] viri [31] ad christianum qui dixerunt ei, celantes quod factum est : *Et ecce infirmatus est Daire : portetur illi aliquid a te, si forte* [32] *sanari possit.* * Sanctus autem Patricius, sciens quae facta sunt, * *Fol. 7 aa.*

[1] *om. B.* — [2] *add.* ibi *B.* — [3] eques Dari *B.* — [4] (miraculum) et ait stulte mirabile *B.* — [5] Patricio *B.* — [6] facit *B.* — [7] Dare *B.* — [8] *ita in margine A ; in ipso vero textu, ut videtur,* sanctum. *Fortassis voluit scribere librarius* locum parvum sanctum. — [9] (locum-Deo) loco Deo oblatum a se *B.* — [10] audiens *B.* — [11] non-suum *om. B.* — [12] *om. B.* — [13] Crastina *B.* — [14] mane venit *B.* — [15] videre *B.* — [16] *om. B.* — [17] *add.* est *B.* — [18] dixit *B.* — [19] tuum equum *B.* — [20] itaque *B.* — [21] Dare *B.* — [22] dicito *B.* — [23] repentina mors irruit *B.* — [24] Dare *B.* — [25] *add.* mors *B.* — [26] Erat *B.* — [27] *om. B.* — [28] prohibeant *B.* — [29] revertentur *B.* — [30] duo *B.* — [31] *add.* occidere eum *A ; sed hæ voces punctis superpositis deletæ sunt.* — [32] quod factum-forte *om. B.*

(*a*) I. e. tumuli, sepulcra. Cfr. “ fossam rotundam in similitudinem fertae „ fol. 12 *ba.* Quod sequitur “ Martyrum „ idem est ac *reliquiarum* (Reeves, *Adamnan*, p. 314, not. *m*). — Situs hodie est *Scotch Street Armagh* (Reeves, *Churches of Armagh*, p. 5). — (*b*) *Ard-Machae*, i. e. *Altitudo* (Castellum) *Machae*, reginæ scilicet quæ olim in hac regione regnasse traditur. Cfr. *Quat. Mag.*, ed. O'Donovan, ad an. 457 (tom. I, p. 153, not. *b*). — (*c*) *Doiri* mihi videtur additum ad latus seu in margine, et significat *roboretum*. — (*d*) I. e. mirum seu pulcherrimum. Sed conjicio esse vocem hibernicam derivatam ex *marc* (equus) vel *miragalach* (intractabilis, animosus).

[E COD. ARM.] dixit : *Nimirum.* Benedixitque aquam et dedit [1] dicens: *Ite* [2]*, aspergite equum vestrum ex aqua ista, et portate illam* [3] *vobiscum* (*a*). Et fecerunt sic, et revixit equus; et portaverunt secum, sanatusque est *Daire* asparsione aquae sanctae aparsione aquae sanctae [4]. Et venit *Daire* post haec ut honoraret sanctum Patricium, portans secum aeneum mirabilem transmarinum metritas ternas capientem; dixitque *Daire* ad sanctum : *Ecce hic aeneus sit tecum.* Et ait sanctus Patricius : *Grazacham* (*b*). Reversusque *Daire* ad domum suam dixit : *Stultus homo est qui nihil boni dixit praeter* Grazacham *pro aeneo mirabili metritarum trium.* Additque *Daire* dicens servis suis : *Ite, reportate nobis aeneum nostrum.* Exierunt et dixerunt Patricio : *Portabimus aeneum.* Nihilominus et illa vice sanctus Patricius dixit : *Gratzacham, portate;* et portaverunt. Interrogavitque *Daire* socios suos dicens : *Quid dixit christianus quando reportasti* [5] *aeneum?* At illi responderunt: *Grazacham dixit et ille. Daire* respondens dixit : *Gratzacham in dato, Grazacham in ablato; ejus dictum tam bonum est: cum Grazacham illis portabitur illi rursum aeneus suus.* Et venit *Daire* insemet [5] illa vice, et portavit aeneum ad Patricium, dicens ei : *Fiat tecum aeneus tuus. Constans enim et incommotabilis homo es. Insuper et partem illam agri quam ollim petisti do tibi nunc quantum habeo, et inhabita ibi.* Et illa est civitas
* *Fol. 7 ab.* quae nunc *Ardd machae* * nominatur. Et exierunt ambo, sanctus Patricius et *Daire,* ut considerarent mirabile oblationis et beneplacitum munus, et ascenderunt illam altitudinem terrae, invenieruntque cervam cum vitulo suo parvo

[1] ei *B.* — [2] *om. B.* — [3] illum *B.* — [4] *sic repetuntur verba in A.* — [5] *sic.*

(*a*) Hic jam deficit codex Bruxellensis, in quo tamen superius continentur nonnulla quæ in Armachano desiderantur et mox proferentur. Cfr. supra, pag. 568, not. *a.* — (*b*) *Grazichum* in Vita Tripartita hibernica, ubi vox a S. Patricio prolata dicitur fuisse *Deo Gratias.* Secundum Cormac (in suo Glossario), Stokes *(Irish Glosses),* O'Donovan (supplem. ad Diction. O'Reilly) et alios, *grassagam* est corruptio vocis *gratias agam* seu *ago.* In *Confessione* ait sanctus : " *Deo gratias* ... indefessam *gratiam ago Deo* ... Quicquid mihi evenerit, sive bonum sive malum, æqualiter debeo suscipere et *Deo gratias* semper *agere* ... Unde debuero sine cessatione *Deo gratias agere* „ (ap. M. F. Cusack, *Life of St. Patrick,* pp. 590, 596, 603). — In quatuor dictis Patricii (infra, fol. 9 *aa)* bis legitur *Deo gratias.*

jaciente in loco in quo nunc altare est sinistralis aeclessiae in *Ardd mache*. Et voluerunt comites Patricii tenere vitulum et occidere; sed noluit sanctus neque permissit: quin potius ipsemet sanctus tenuit vitulum portans eum in humeris suis. Et secuta illum cerva velut amantissimaque ovis usquedum dimisserat vitulum in altero saltu situm ad aquilonalem plagam *Airdd mache:* ubi usque hodie signa quaedam virtutis ejus manentia periti dicunt. [E COD. ARM.]

25. Virum aliquem valde durum et tam avarum in campo *Inis* habitantem in tantum stultitiae avaritiaeque incurrisse cremen periti ferunt, ut .II. boves carrarum sancti Patricii vechentes, alio die post sanctum laborem in pastu agili [1] sui requiescentibus pascentibusque se bobus, violenter inconstanter praesente sancto Patricio vanus ille homo per vim coegit. Cui irascens sanctus Patricius cum maledictione dixit: *Mudebrod* [2], *male fecisti. Nusquam proficiat tibi ager hic tuus neque semini tuo in aeternum; jam inutilis erit.* Et factum est sic. Inundatio etenim maris tam habunda eodem veniens die circumluit et operuit totum agrum, et possitus est, juxta profetae verbum, terra fructifera in salsuginem a malitia inhabitantis in ea. Arenossa ergo et infructuossa haec a die qua maledixit eam sanctus Patricius usque in hodiernum diem.

26. Itaque [3], volente Domino, Patricii, ut ita dicam, totius Hiberniae episcopi doctorisque egregii, de virtutibus pauca pluribus ennarrare conabor. Quodam igitur tempore, cum tota Britannia incredulitatis algore rigesceret, cujusdam regis egregia filia, cui nomen erat *Monesan* (*a*), Spiritu sancto [4] repleta auxilio, cum quidam ejus expeteret amplexus conjugalis [5], non adquievit [6], cum aquarum multis irrigata esset undis [7], ad [8] id quod nolebat et deterius erat, compelli potuit. [E COD. BRUX.]

[1] *sic, pro* agelli. — [2] *Cfr. supra, pag. 572, not.* b. — [3] *Incipit hic liber secundus in cod. Bruxellensi. Cfr. supra, pag. 568.* — [4] *lege* Spiritus sancti. — [5] *lege* conjugales. — [6] *cod.* adquieum. — [7] aquarum undis, *i. e.* lacrymis. *Secundum Probum* (lib. II, *c.* 25): licet non adhuc esset baptizata, *ac si scriptum ab auctore nostro fuisset:* cum [*i. e.* quamvis] aquarum [baptismi nondum] irrigata esset undis. — [8] *supple* neque (ad).

(*a*) In Libro Armachano *Moneisen* (cfr. supra, pag. 547), secundum Colganum *Manesa* (*Tr. Th.*, p. 34, not. 74). Cfr. *Mairiseo*, genitiv. *Mairisen*, in Dind-senchus.

[E COD. BRUX.] Nam illa cum inter verbera et aquarum irrigationes [1] solita esset interrogabat [2] matrem et nutricem uti compertum haberet rotae factorem quo totus illuminatur mundus, et cum responsum acciperet per quod compertum haberet solis factorem esse eum cui caelum sedes est, cum acta esset frequenter ut conjugali vinculo copularetur, luculentissimo Spiritus sancti [3] illustrata [4] : *Nequaquam itaque hoc faciam.* Quærebat namque per naturam totius creaturae factorem, in hoc patriarchae Abraham secuta exemplum. Parentes ejus inito consilio a Deo justi [5] tributo, audito Patricio viro ab aeterno Deo visitato vii^{mo} semper die [6] (*a*), Sconas [7] partes cum filia pulsavere [8] Patricium, quem tanto labore quesitum reperire [9]. Qui illos novicos (*b*) percunctari coepit. Tunc illi viatores clamare ceperunt et dicere : *Cupidissimae filiae videndi Deum causa coacti ad te venire facti sumus.* Tunc ille repletus Spiritu sancto elevavit vocem suam et dixit ad eam : *Si in Deum credis?* Et ait : *Credo.* Tunc sacro Spiritus et aquae lavacro eam lavit. Nec mora : postea solo prostrata spiritum in manus angelorum tradidit. Ubi moritur ibi et adunatur [10]. Tunc Patricius prophetavit quod post annos xx^{ti} corpus illius ad propinquam cellulam de illo loco tolleretur cum honore : quod postea ita factum est. Cujus transmarinae reliquiae ibi adorantur usque hodie.

27. Dominici et apostolici Patricii, cujus mentionem facimus, quoddam miraculum mirifice gestum, in carne adhuc stantem quod ei [11] et Stephano poene totum [12] contigisse legitur, brevi retexam relatu. Quodam ante [13] tempore, cum orationis causa ad locum solitum per nocturna spacia procideret [14], consueta caeli vidit miracula, suumque carissimum

[1] *i. e.* lacrymas? *Probus legit :* cum inter verbera et crebras increpationes... — [2] *videtur legendum* interrogare. — [3] *supple* lumine. — [4] *supple* dicebat. — [5] *lege, ex Probo,* sibi. — [6] (audito-die) *i. e., ut videtur,* quum audissent Patricium virum sanctùm ab æterno Deo visitari septimo quoque die. *Cfr. infra, lib. II, c. 13.* — [7] Scoticas? — [8] petiverunt, quærentes? — [9] *supple* meruerunt. — [10] *i. e.* sepelitur. — [11] *lege* quod ei in carne adhuc stanti. — [12] *legendum videtur* tantum. — [13] *lege* autem *vel* itaque *vel* namque. — [14] *lege* procederet.

(*a*) Cfr. infra, lib. II, cap. 13. — (*b*) Id est novicios, hibernice *nuachor* (= new-comers, nouveau venus), vel *nuiethicid* (= neophytus, i. e. novus advena. Zeuss, *Gramm. Celt.*, p. 792).

ac fidelem probare volens sanctum puerum, dixit : *O fili mi, dic michi, quaeso, si sentis ea quae ego sentio.* Tunc parvulus, nomine Benignus, incunctanter dixit : *Jam michi cognita ea quae sentis. Nam video caelum apertum et Filium Dei et angelos ejus.* Tunc Patricius dixit : *Jam te meum successorem dignum esse sentio.* Nec mora, gradu consito [1] ad suetum locum orationis pervenire [2]. His [3] orationibus in medio fluminis alveo [4], parvulus dixit : *Jam algorem aquaticum sustinere non possum.* Nam ei aqua nimis erat frigida. Tunc dixit ei Patricius ut de superiori [5] ad inferiorem descenderet. Nichilominus ibi diu [6] perstare potuit. Nam se aquam [7] calidam sensisse testabatur. Tunc ille non sustinens in eo loco diu stare, terram ascendit. [E COD. BRUX.]

28. Quod ammirabile [8] gestum Patricii non transibo silentio. Huic nuntiatum est nequissimum opus cujusdam regis britannici nomine *Corictic,* infausti crudelisque tyrranni. Hic namque erat maximus persecutor interfectorque christianorum. Patricius autem per epistolam ad viam veritatis revocare temptavit : cujus salutaria deridebat monita. Cum autem ita [9] nuntiarentur Patricio, oravit Dominum et dixit : *Deus, si fieri potest, expelle hunc perfidum de presenti seculoque futuro.* Non grande postea tempus effluxerat [10], et musicam artem audivit a quodam cantare [11] quod [12] de solio regali transiret. Omnesque karissimi ejus viri in hanc proruperunt vocem. Tunc ille, cum esset in medio foro, ilico vel ficuli [13] miserabiliter arepta forma, profectus in suorum presentia, ex illo die illaque hora velut fluxus quae [14] transiens nusquam conparuit.

Finit primus, incipit secundus liber. [E COD. ARM.]

[1] *lege* concito. — [2] *lege* pervenere. — [3] *supple* ergo in *(ex Probo, lib.* II, *c.* 27). — [4] *supple* constitutis *(item ibid.).* — [5] *supple* loco *(it.)* — [6] *cod.* duo. — [7] *supple* nimis. — [8] *lege* Quoddam mirabile. — [9] *lege* ista. — [10] *cod.* effluxuat. — [11] (et-cantare) *Probus hæc ita reddit :* magicam artem a quodam sibi præcantari fecit, a quo audivit. — [12] *supple* brevi. — [13] (vel ficuli) *lege* vulpeculae, *ut est apud Probum (lib.* II, *c.* 27). — [14] *lege* aquae.

[E COD. ARM.]

[LIBER II.]

* *Fol. 7 ba.*

1. * De Patricii deligentia orationis.
2. De mortuo ad se loquente.
3. De inluminata dominica nocte ut equi inventi sunt.
4. De eo quod anguelus eum prohibuit ne *Innichi* (*a*) moriretur.

   De rubo ardente in qua erat angelus (*b*).
5. De .IIII. Patricii petitionibus.
6. De die mortis ejus et de tempore vitae XXX [1] annorum.
7. De termino contra noctem possito [2].

   De caligine XII noctium abstersa.
8. De vigilis primae noctis juxta corpus Patricii quas angeli fecerunt.
9. De consilio sepulturae ejus ab angelo.
10. De [3] igne de sepulchro ejus erumpente.
11. De freto susrum surgente [4] ut non bellum de corpore fieret.
12. De felici seductione populorum. Si quis autem terminum contra noctem et noctem non vissam esse in tota provincia brevi tempore in quo luctus Patricii peractus est abnegare infideliter voluit, audiat et diligenter attendat qualiter Ezechiae langente in horalogiae Acaz demonstrato sanitatis indicio, etc. [5]

1. De dilegentia orationis. Omnes psalmos et ymnos et Apocalipsin Johannis et omnia Kantica spiritalia scripturarum cotidie decantans, sive manens aut in itenere pergens, tropeo etiam crucis in omni hora diei noctisque centies se

[1] *vel* XX. — [2] *in cod. prius* possita, *sed* o *supra ultimam litteram scriptum.* — [3] *post* de *legitur* sepulcro ; *sed hæc vox deleta est superposito singulis syllabis triplici puncto.* — [4] *lege* De freto sursum surgente. *In cod. prius scriptum erat* rurgente ; *sed* s *supra primum* r *posita.* — [5] *Sic legendum signum* rl. *(hibernice* aroile. *i. e.* cetera *(O'Donovan,* Irish Grammar, *p. 431) quod sequitur vocem* indicio. *Et re vera apud Probum* (II, 34) *non pauca subjunguntur quæ hic omissa sunt.*

(*a*) *Innichi* seu rectius *i Machi*, i. e. in Macha *(Ardmacha)*. Cfr. infra, num. 4. — (*b*) Caput hoc in textu nostro ita præcedenti innexum est ut omnino ab illo nequeat sejungi : unde nec distinctum numerum ei assignavimus. Idemque dicendum de duplici capite quod paulo inferius occurrit sub numero 7.

signans, et ad omnes cruces quascumque vidisset orationis gratia de curru discendens declinabat. [E COD. ARM.]

2. Inde * etiam in die quadam ingrediens, crucem quae erat juxta viam sitam [1] non videns praetergressus est. Hanc tamen auriga vidit; et ille dixit, cum ad hospitium quoddam quo tenderat pervenissent et orare ante prandium coepissent, dixit, inquam, auriga : *Vidi crucem juxta viam per quam venimus possitam.* At ille Patricius, dimisso hospitio, per viam quam venerat, ad crucem pergens oravit; et sepulcrum ibi viderat et mortuum in illo busto sepultum. Interrogavit qua morte abierat [2] et sub fide vixerat. Respondit mortuus: *Gentilis vixi, et hic sepultus fui.* Quaedam etiam mulier in alia provincia degens mortuum filium, qui se longue separatus erat, habuit, et illa absente sepultus est. At post aliquot dies lugens mater omissum [3] filium planxit, et indecreto errore sepulchrum gentilis hominis sui filii bustum esse putans, crucem non [4] juxta gentilem possuit. Et ob hanc caussam, ut Patricius dixit, crucem non viderat, quia sepulturae gentilis locus fuit; et virtus major inde surrexerat, ut mortuus loqueretur, et qui sub fide defunctus erat Christi scieretur, et juxta illum almae crucis fieret meritum, signo in vero termino possito. * *Fol. 7 bb.*

3. Consuetudo autem illi erat ut a vespera dominicae noctis usque ad mane secundae feriae Patricius non ambularet. Inde in quadam dominica die honore sacri temporis in campo pernoctans, gravis pluia cum tempestate accederat. Sed cum gravis pluia in tota patria populata est, * in loco ubi sanctus episcopus pernoctabat, siccitas erat sicut in conca et in vellere Gedeon. Accederat auriga, memorat equos amissos, quasi amicos caros planguit, quia illos quaerere, tenebris arcentibus vissum, non poterat. Inde pietas Patricii patris pii mota est, et flebili aurigae dixit : *Deus, in angustis, in oportunitatibus adjutor prumptus, adjutorium praestabit, et equos quos ploras invenies.* Exhinc manum spolians manica extensam [5] elevavit, et. v. digiti sicut luminaria ita proxima * *Fol. 8 aa.*

[1] *lege* sita. — [2] *lege* obierat. — [3] *lege* amissum. — [4] *nonne* hanc ? — [5] *sequitur vox* jugulavit, *sed deleta, triplici puncto singulis syllabis superposito.*

[E COD. ARM.] quaeque inluxerat[1], et per lucem extensae manus equos quos commisserat[2] auriga solito[3] gemitu invenit. Sed hoc miraculum auriga comes usque ad Patricii obitum absconderat.

4. Post vero miracula tanta, quae alibi scripta sunt et quae ore fideli mundus celebrat, adpropinquante die mortis ejus, venit ad eum anguelus et dixit illi de morte sua. Ideo ad *Arddmachae* missit, quam prae omnibus terris dilexit. Ideo mandavit ut venirent ad eum viri multi ad eundem deducendum quo voluit. Inde cum comitibus suis iter carpere coepit *ad Machi* voluntarie tellurem cupitam satis. Sed juxta viam rubus quidam arserat et non comburetur[4], sicut antea Moyses[5] provenerat in rubo. Victor erat anguelus, qui Patricium saepe vissitare solebat, et Victor alterum anguelum ad Patricium prohibendum ne pergat quo pergere cupit missit, et dixit illi: *Quare proficisceris sine Victoris consilio? Quamobrem Victor te vocat, et ad eum declina.* Et ut ei jussum est declinavit, et quid facere deberet interrogavit. Et respondens anguelus dixerat: *Revertere ad locum unde venis, hoc est Sabul* (*a*), *et datae sunt* .IIII. *petitiones tibi quas petisti.*

5. *Prima petitio, ut in Arddmachae fiat ordinatio tua. Secunda petitio, ut quicumque ymnum qui de te compossitus est* (*b*), *in die exitus de corpore cantaverit,* * *tu judicabis poenitentiam ejus de suis peccatis.* III. *petitio, ut nepotes Dichon* (*c*), *qui te benigne susciperunt, misericordiam mereantur et non pereant.* IIII. *petitio ut Hibernenses omnes in die judicii a te judicentur, sicut dicitur ad apostolos : Et vos sedentes judicabitis.* XII. *tribubus Israel, ut eos quibus apostolis fuerunt judices fuistis.*

* *Fol. 8 ab.*

[1] *lege* inluxerant, *i. e.* illuminabant. — [2] *lege* amiserat. — [3] *lege* soluto. — [4] comburebatur? — [5] *vel* Moysi?

(*a*) Cfr. supra, pag. 558, not. *a*. — (*b*) Celebrem illum hymnum, qui fertur a Patricio compositus et Hibernis *lorica* habebatur adversus omnia mala animæ et corporis, hibernice edidit Petrie (*On Tara Hill*, p. 57-67) cum duplici versione latina et anglica ab O'Donovan instituta; versionem dein anglicam emendatam edidit cl. Whitley Stokes in *Saturday Review*, 5 sept. 1857, et deinde in suo libro qui inscriptus est *Goidelica*. Versionem anglicam etiam ediderunt postea Todd, *St. Patrick*, p. 426-429 (cfr. ibid., p. 124) et M. F. Cusack, *Life of St. Patrick*, p. 264 sqq. Ad litteram vero eam reddidit O'Beirne Crowe sub titulo *The Guardman 's Cry of St. Patrick* in *Journal of Kilkenny Archæol. Society*, April. 1869, p. 285. Vide etiam *St Patrick's Hymnus* cum notis ap. Windisch, *Irische Texte*, p. 52. — (*c*) Cfr. p. 546, not. *c* et p. 558.

6. *Revertere igitur, sicut tibi dico, et moriens ingredieris viam patrum tuorum.* Quod in die XVI. Kal. Apriles, peractus [1] totius ejus vitae annis. CXX. et provenerat, sicut omnibus totius Hyberniae annis celebratur. [E COD. ARM.]

7. *Et contra noctem terminum pones.* Quia in illa die mortis ejus nox non erat, et per duodecimas dies in illa provincia in qua mortis ejus exequiae peractae sunt, nox non inruit et fuscis tellurem non amplexerat alis, et pallor non tantus erat noctis et astriferas non induxerat bosferus [2] umbras (*a*). Et plebs *Ulod* dixerunt quod usque in finem anni totius in quo abierat [3], numquam noctium tales tenebrae erant quales antea fuerunt. Quod ad tanti viri meritum declarandum esse, dubium est [4] (*b*).

Adpropinquante autem hora obitus sui, sacrificium ab episcopo *Tassach,* sicut illi Victor anguelus dixit, ad viaticum beatae vitae acciperat [5].

8. In prima nocte exequiarum ejus, angueli vigilias psalmi corporis fecerunt in vigiliarum et psalmorum moribus, omnibus quicumque ad vigilias in illa prima nocte veniebant dormientibus. Homines [6], orantes et psalmos cantantes, corpus custodierunt. Postquam autem in caelum profecti sunt angueli, odorem suavissimum quasi mellis et flagrantiam dulcidinis quasi vini dimisserunt; ut impleretur quod in benedictionebus patriarchae Jacob dictum est: *Ecce odor filii mei tanquam odor agri pleni quem benedixit Dominus* [7].

9. Quando autem anguelus ad eum venit, consilium sepulturae dedit illi : *Elegantur* [8]. II. *boves indomiti et pergant quocumque voluerint, et ubicumque requiessunt* [9], *aeclessia in honorem corpusculi tui aedificetur.* Et sicut anguelus dixit, instabiles electi sunt juvenci et stabili plaustrum gestamine * *Fol. 8 ba.* humeris impossitum cum sancto corpore vechunt. * Et a loco qui *Clocher* vocatur, ab oriente *Findubrec,* de pecoribus

[1] *lege* peractis. — [2] *lege* Hesperus *vel* Vesperus. — [3] *sic, pro* obierat. — [4] *supple* non (est). — *Sequitur in codice numerus* V *et ante* Adprop. *numerus* VI. — [5] *lege* acceperat. — [6] *supple, ex Probo,* In ceteris autem noctibus (homines). — [7] *Sequitur in codice numerus* VIII. — [8] *lege* Eligantur. — [9] *lege* requiescent.

(*a*) A Virgilio mutuatur auctor noster hæc fragmenta versuum. — (*b*) Bis apponitur in margine signum ☧, referendum scil. ad vocem *dubium* et ad num. V.

[E COD. ARM.] *Conail* electio clarificavit boves. Et exierunt, Dei nutu regente, ad *Dun lethglaisse* (*a*) : ubi sepultus est Patricius.

10. Et dixit ei : *Ne reliquiae a terra reducuntur* [1] *corporis tui, et cubitus de terra super corpus fiat.* Quod jussu Dei factum in novissimis demonstratum est temporibus : quia quando aeclessia super corpus facta est, fodientes humum antropi [2] ignem a sepulchro inrumpere viderunt ; et recedentes flammigerum timuerunt flammae ignem.

11. De reliquiis sancti Patricii in tempore obitus sui dira contentio ad bellum usque perveniens inter nepotes *Neill* (*b*) et *Orientales* (*c*) ex una parte [3], inter aliquando propinquales et propinquos, nunc inter dirissimos hostes, irarum intrat certamen secundum fretum quoddam quod *Collum bovis* (*d*) vocatur. Merito Patricii sanguis effunderetur et misericordia Dei altis [4] crispantibusque intumescebant fluctibus, et undarum vertices concava rumpebant aera, et dorsa in fluctibus tremula aliquando crispanti rissu et aliquando flavis vallibus in certamine ruebant; quasi ad cohibendam animossitatem gentium dirarum, tales enim populi sunt, surrexit freti feritas et plebem pugnare prohibuit.

12. Postea autem, sepulto Patricio et freti tumore sepulto [5], *Orientales* [6] et contra *Ultu* [7] (*e*) nepotes *Neill* acriter ad certamen ruunt, et certatim praeparati et armati ad bellum, ad locum beati corporis prorumperat [8]. Sed felici seducti sunt fallacia, putantes se duos boves et plaustrum invenire et

[1] *lege* reducantur. — [2] *i. e.* homines. — [3] *scilicet, ut est apud Probum,* inter Orientales... ex una parte et Ultanos ex altera parte. — [4] *supple, ex Probo,* (merito Patricii et misericordia Dei altissimi) ne (sanguis effunderetur) christianorum, condicto pugnae die (orta est saeva tempestas). — [5] *punctum positum est supra* se, *et in margine signum* Z. *An forte legendum* repulso ? — [6] *supple, ex Probo,* surrexerunt iterum. — [7] *i. e.* Ultanos. — [8] *lege* prorumpunt *vel* proruperunt.

(*a*) Hodie *Downpatrick*. Cfr. Reeves, *Eccl. Antiq. of Down*, p. 142-143. — (*b*) Nepotes Neill, i. e. *Ui-Neill* Septemtrionales, qui tenebant regiones quae hodie vocantur *Tyrone, Donegal* et *Londonderry*. Cfr. O'Donovan, *Book of Rights*, p. 34-35, not. *p, s, x*. — (*c*) *Oriors*. Cfr. supra, p. 572, not. *c*. Orientales seu *Oirghialla* tenebant Armagh et terram ad occidentem fluminis *Bann*. Secundum Quatuor Magistros (ad an. 493) et Vit. Trip. hibernicam, Orientales et Nepotes Neill contendebant contra *Ultu* seu Dunenses. Cfr. sequens mox cap, 12. De Ultoniis Dunensibus supra, p. 557, not. *e* et p. 568, not. *b*. Flumen *Bann* Orientales ab Ulothis dividebat. — (*d*) Cfr. supra, p. 572, not. *a*. — (*e*) Vid. modo positam notam *c*.

corpus sanctum rapere aestimabant, et cum corpore et tali [E COD. ARM.] praeparatu et armatura usque ad fluvium *Cabcenne* (*a*) pervenierunt, et corpus tunc illis non conparuit. Impossibile enim [1] ut de tanto ac de beato corpore pax fieret, nisi Dei nutu taliter videretur vissio ad tempus ostensa [2]: ne quod animarum salus innumerabilium in exitum et mortem verteretur, felici fallacia ostensum est. Sicut Siri antea excaecati ne sanctum *profetam Helesseum occiderent, ad Helesseum [3] * *Fol. 8 bb.* divina provissione ad Samariam usque ducti sunt, haec etiam seductio ad concordiam populorum facta est.

13. (*b*) Iterum [4] recurrat oratio. Anguelus [5] in omni septima die septimanaé semper venire consuerat; et sicut [6] homo cum homine loquitur, ita conloquio angueli [7] fruebatur Patricius [8]. Etiam [9] in XVI [10] anno aetatis captus et .VI. annis servivit et per XXX vices conductionum [11], anguelus ad eum venerat [12] et consiliis atque conloquiis fruebatur anguelicis. Antequam de Scotia ad Latinos pergeret, centies in die et centies in nocte orabat. Aliquando sues custodiens perdidit eas, et anguelus veniens ad eum sues indicavit illi [13]. Aliquando etiam anguelus illi loquens multa illi dixit; et postquam illi locutus est [14], pedem super petram ponens in *Scirit* [15] (*c*) in montem *Mis* (*d*) coram se ascendit. Vestigia [16] pedis angueli in petra hucusque manentia cernuntur. Et in illo loco XXX [17] vicibus ad eum [18] locutus est, et ille locus et ibi fidelium preces fructum felicissimum obtinent.

Finit. Amen [19].

[1] *supple* erat. — [2] *in cod. videtur scriptum* constensa. — [3] *lege* ab Heliseo. — [4] Ad omissa iterum *B.* — [5] Angelus Domini ad eum *B.* — [6] sic *B.* — [7] ejus *B.* — [8] Patr. frueb. *B.* — [9] *vel* Et jam. — [10] Sexto x^{mo} *B.* — [11] (captus-conduct.) captivus esset et cum VII annis servisset xxx^{ta} vices conduxionum (*vel* concluxionum) *B.* — [12] venerit *B.* — [13] (Aliquando-illi) Alio autem die custodiens servili officio ducebat et angelus ad eum veniens sues illi indicavit ubi essent *B.* — [14] (Aliquando etiam-est) Item idem angelus postquam ei multa locutus est *B.* — [15] in Scirit *om. B.* — [16] et vestigia *B.* — [17] xxx^{ta} *B.* — [18] (ad eum) predictus ei angelus *B.* — [19] (et ibi-Amen) orandi locus est *B.*

(*a*) Prope Ardmacham. Cfr, Todd, *St. Patrick*, p. 493, not. 1. — (*b*) Capitulum hoc legitur in codice Bruxellensi post lib. I, cap. 11, ibique inscriptum est: *De ebd. (hebdomadaria) frequentia* (supple *Angeli) cum Patricio et reliq.* Variantes lectiones ex Brux. adscribimus. — (*c*) Hodie *Skerry.* Cfr. Reeves, *Eccl. Antiq. of Down*, p. 83, not. *e.* — (*d*) Hodie *Slemish.* Cfr. supra, p. 558, not. *d.*

[E COD. ARM.]

(Hæc sequuntur sine titulo.)

Portavit Patricius per *Sininn* (*a*) secum L. clocos, L. patinos, L. calices, altaria, libros legis, aevanguelii libros, et reliquit illos in locis novis.

Patricius. VI. anno babtitzatus est, XX captus est, XV servivit, XL legit, LXI docuit. Tota vero aetas ejus .CXI. Haec Constans (*b*) in Gallis (*c*) invenit.

* *Fol. 9 aa.*

* Patricius venit de campo *Arthicc* ad *Drummut cerigi* (*d*) et ad *Nairniu toisciurt* (*e*), ad *Ailich esrachtaé* (*f*), et viderunt illum cum viris. VIII. aut. VIIII. cum tabulis in manibus scriptis more Moysaico. Exclamaverunt gentiles super illos ut sanctos occiderent et dixerunt: *Gladios in manibus habent ad occidendos homines. Videntur lignei in die apud illos, sed ferreos gladios aestimamus ad effundendum sanguinem.* Voluit multitudo nimia malefacere in sanctos. Sed fuit vir missericors apud illos, *Hercaith* nomine, de genere *Nothi*, pater *Feradachi*. Credidit Deo Patricii, et babtitzavit illum Patricius et *Feradachum* filium ejus, et immolavit filium Patricio. Et exivit cum Patricio ad legendum XXX [1] annis, et ordinavit illum in urbe Roma, et dedit illi nomen novum *Sachellum*, et scripsit illi librum psalmorum quem vidi, et portavit ab illo partem [2] de reliquis [3] Petri et Pauli, Laurentii et Stepani, quae sunt in *Machi* (*g*). Caetiacus igitur et Sachellus ordinabant episcopos, prespiteros, diaconos, clericos sine consilio Patricii in campo *Aei* (*h*). Et accussavit illos Patricius, et mittens

[1] *vel* XX. — [2] *cod.* patrtem, *sed puncto posito supra et infra priorem* t. — [3] *sic in cod.*

(*a*) *Shannon* fluvius. Cfr. *Four Masters*, ad an. 751; *Battle of Magh Rath*, p. 340; O'Curry, *Manners and Customs*, t. II, p. 142. Ubi variæ occurrunt hujus vocis formæ. — (*b*) An Constans seu Constantius, scriptor Vitæ S. Martini? — (*c*) *Gall* Hibernis est advena, alienigena. Sic *Annala Locha Cé*, t. I, p. 10 " Cecidit ex caterva Gallorum " id est advenarum, ut notat cl. Hennessy. Conjicio auctorem nostrum voce *Gallis* aliquando uti hoc sensu. Vid. infra, Collect. Tirechani, num. 5. — (*d*) Campus *Arthic* includit parochias de *Tibohine* et *Kilnamanagh* in *Roscommon*. *Drummut cerigi* videtur esse *Drumad* in parochia de *Tibohine* (*Tripartite Life*, ed. Hennessy, ap. M. F. Cusack, p. 411. not. 1 et 2). — (*e*) *Nairniu* est forsan *Ciarraidhe Locha na n-Airneadh* in *Mayo* (O'Donovan, *Book of Rights*, p. 102, not. col. 2); toiscurt = septemtrio. — (*f*) Fortasse *Ailech-Airthic* juxta Ballaghadareen. Cfr. *Trip. Life* ap. Cusack, p. 411. — (*g*) I. e. Ardmachæ — (*h*) *Magh-Ai* est in *Roscommon*.

aepistolas illis exierunt ad poenitentiam ducti ad *Arddmache* ad Patricium et fecerunt poenitentiam monachorum. II. pueri Patricii prumpti. Et dixit eis : *Non magnae erunt aeclessiae vestrae.* [E COD. ARM.]

DICTA PATRICII.

Timorem Dei habui ducem iteneris mei per Gallias atque Italiam, etiam in insolis quae sunt in mari Terreno. De saeculo requissistis [1] ad paradissum. Deo gratias. Aeclessia Scotorum, immo Romanorum, ut christiani, ita ut Romani sitis, ut decantetur vobiscum oportet omni hora orationis vox illa laudabilis *Curie lession, Christe lession.* Omnis aeclessia quae sequitur me cantet *Cyrie lession, Christe lession, Deo gratias.*

[1] *In margine signum* Z. — *In* Confessione *legitur* recessistis.

(COLLECTANEA TIRECHANI edentur in fasciculo sequenti.)

VITA

SS. COSMÆ ET DAMIANI

EX CODICE LEIDENSI GRÆCO

NUNC PRIMUM EDITA.

Hæc Vita SS. Cosmæ ac Damiani a Lipomano latine edita fuit tom. V, fol. 7 (ed. Veneto-Romanæ). Textum græcum prædecessores nostri habuerunt, edere vero noluerunt. Consentiunt Allatio attribuenti hanc Metaphrastæ lucubrationem, quam nos quidem a Metaphraste alienam putamus. Cujus Vitæ facta vel figmenta in Actis latinis quæ ultimo loco leguntur ad diem 27 Septembris in *Actis Sanctorum*, contenta sunt. Ea præcipua causa fuit cur hanc Vitam edere neglexerint, quam ob alias rationes ibidem allatas jure ac merito contemnunt. Nos tamen ad Sanctorum historiam elucidandam non solum acta sincera sed etiam falsa conferre arbitramur, illa quidem ad promovendam veram Sanctorum gloriam, hæc ad removendam inanem de Sanctis opinionem. Quare sequens Vita SS. Cosmæ ac Damiani e codice Leidensi Perizoniano nº 10, de quo jam ante egimus, *Analectis* nostris inseritur.

Βίος καὶ πολιτεία τῶν ἁγίων καὶ θαυμαστῶν ἀναργύρων
Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ.

1. Ἄρτι τῆς εὐσεβείας ἀναλαμπούσης καὶ τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος τὸν πάντα κόσμον διαλαμβάνοντος, ἡ θαυμαστὴ τῶν ἀναργύρων δυὰς ἐγνωρίζετο. Τούτοις ἡ λαχοῦσα πατρὶς τῇ Ἀσίᾳ καταπολὺ προσεχής. Ὅσα δὲ καὶ εἰς γένους ἀναφορὰν τιμιώτατοι. Ὁ μὲν οὖν τῶν ἀοιδήμων

Vita ac mores sanctorum atque admirabilium gratuitorum Cosmæ ac Damiani.

1. Jam pietate resplendente et evangelica prædicatione universum mundum amplectente, admirabilis binarius *Gratuitorum* notus factus est. His contigit patria, Asiæ ut multum finitima. Quantum vero etiam ad generis sublimitatem honestissimi. Celebrium itaque horum

τούτων καὶ θαυμαστῶν, ὡς ὁ λόγος γνωρίσει, πατὴρ ἐν ὁδῷ πολιτείας τῆς ἐνθέου βεβιωκὼς, καὶ περὶ παντὸς τὴν εὐσέβειαν ποιησάμενος, τῶν τε μελλόντων ὡς μενόντων ἀληθῶς ἀντεχόμενος, καὶ τὰ μὲν τῶν ὁρωμένων ὡς ταπεινὰ παρατρέχων καὶ ἄπιστα· οὗ δὲ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ καθήμενος θρόνου τοῦ πατρικοῦ, τούτων ἐκτόπως ἐρῶν, ἐπὶ νηπίᾳ τῇ ἱερᾷ δυάδι μεταβεβηκὼς τῶν ἐνθένδε, τῶν οὐρανίων ἐπέβη σκηνῶν, ἃς διαφερόντως ὑπερηγάπησεν. Τύχῃ δέ τινι δεξιᾷ περὶ τούτους ἡ μήτηρ ἐχρήσατο. Θεοδότη ταύτης τὸ ὄνομα· ἐξομοιοῦσα μὲν αὐτοὺς τῷ πατρὶ, ἐπιμελομένη δὲ παντοίως καὶ πρὸς ἀρετὴν συμβιβάζουσα· ἡ σεμνὴ μὲν τὸ ἦθος, σεμνοτέρα δὲ τὴν ψυχήν· ἁγνὴ τὴν σάρκα καὶ ὑπόδειγμα σωφροσύνης πᾶσι καθίστατο· ἐπιεικὴς, μετρία, παντὸς ἀντιποιουμένη χρηστοῦ.

2. Εἵλετο μὲν οὖν ἡ παιδαγωγὸς αὕτη τὴν τεθλιμμένην τε καὶ στενήν· ὁδηγῷ χρωμένη τῷ μὴ ἔξω τοὺς πρὸς αὐτὸν ἐρχομένους ἐκβάλλοντι· ἀλλ ἕτοιμον εἰς ὑποδοχὴν τὴν χεῖρα προτείνοντι· εἵποντο δὲ τοῖς μητρικοῖς διαβήμασιν εὐψύχως πως οἱ παῖδες, ἔτι νεώτατοι· μίαν τῆς ἀρετῆς τὴν αὔλακα τέμνοντες· καὶ τῷ νεοπαγεῖ θαλάμῳ ταύτης χρυσοῦς ὑφιστάντες τοὺς κίονας, ἔχαιρον πονοῦντες πόνον οὐκ ἄχαριν. Φιλοτιμία τούτοις ἡ περὶ τὴν χρηστότητα καὶ τὸ συμπαθὲς ἰσοτιμία· τὸ

atque admirabilium, uti sermo indicabit, pater in via vitæ quæ in Deo est, vixit. Cunctis rebus pietate præhabita, futuris quidem ut permanentibus vere, adhæsit, et quæ videntur, ut humilia prætercucurrit et infida; ubi vero Christus est in dextera sedens throni Paterni, istorum præter communem modum amator exstitit. In infantia sacri binarii hinc digressus, cœlestia ingressus est tabernacula, quæ eximie prædilexerat. Fortuna autem secunda circa hos mater usa est. Theodota hujus nomen; assimilans eos patri, curam gerens omnibus modis, et ad virtutem adducens instruendo; quæ venerabilis quidem moribus, venerabilior autem anima, casta corpore etiam exemplum pudicitiæ omnibus erat, mitis, modesta, universi studiosa boni.

2. Elegerat itaque pædagoga hæc difficilem arctamque viam, viæ duce usa illo, qui venientes ad se non ejicit foras, sed promptam ad suscipiendum manum protendit. Sequebantur vero maternos gressus bono quodam animo pueri, adhuc valde infantes, unum atque eumdem virtutis sulcum secantes; et recens compacto thalamo ejus aureos substituentes columnas, gaudebant laborantes laborem haud ingratum. Æmulatio his erat, circa bonitatem ac misericordiam pari esse

περὶ τὴν γεννησαμένην τὲ καὶ παιδαγωγοῦσαν φιλοστοργότατον· τὸ περὶ τὴν συνοικίαν καὶ συνδιαίτησιν ἄρρηκτον. Τί οὖν· ἔλεος αὐτοῖς ἀντὶ τούτων καὶ χάρις ἐξήνθησε πρώϊμος, καὶ ὡς σεμνολόγημά τι καὶ καύχημα τῇ περιχώρῳ πάσῃ γεγόνασιν. Εὐθύτητι μὲν διανοίας πρὸς πάσας Κυρίου τὰς ἐντολὰς πορευόμενοι· ἀποστολικοῖς δὲ χαρίσμασι παρ' αὐτοῦ πλουτιζόμενοι· οἷς γὰρ τὴν ἐκείνων πολιτείαν ἐξηκριβώσαντο, ὄχλῳ παθῶν ἀντιταξάμενοι σαρκικῶν καὶ πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἐκ πρώτης ἀφετηρίας ἐγγυμνασάμενοι, τῶν αὐτῶν τοῖς Χριστοκήρυξι καὶ τῶν ἀνταποδομάτων ἠξίωνται. Καὶ γὰρ οὕτως ἠσπάσαντο μετριότητα καὶ τὸ τῆς ψυχῆς κατὰ τοσοῦτον ἀπὸ τῶν ἐναντίων ἐκάθηραν ἔδαφος, κόμπου τὲ κενοῦ καὶ χρημάτων ἐσμοῦ καθάπαξ ἀβέβηλον συνετήρησαν, ὥστε μόνους ἐπεῖδεν ἥλιος πρώτους ἐν γῇ Κοσμᾶν τὲ καὶ Δαμιανὸν μετὰ τὸν Θεοπάτορα, πνεῦμα ταπεινὸν ἐν τοῖς ἐγκάτοις αὐτῶν ἐγκαινίσαντας.

3. Ὅθεν ἡ κατασάρκα μήτηρ ἠγάλλετο, ταύτην δὴ ἱερὰν δυάδα τῶν παίδων ἀντιφιλοτιμουμένην αὐτῇ περὶ τὴν τῶν ἀρετῶν ἐργασίαν καταμανθάνουσα· ἐξ οὗ δὴ καὶ οὐ τοῖς ὀνόμασι τούτους, ἀλλ ἀναργύρους τίς πρὸσειπὼν, Κοσμᾶν τὲ καὶ Δαμιανὸν διεσήμαινε. Ἐπηνέχθη δὲ τοῖς θαυμαστοῖς ἡ ἐπίκλησις, ἀνθῶν ἐπὶ τῶν πραγμάτων αὐτὴ συνεψηφίζετο ἡ ἀλήθεια· κοινῇ γὰρ τοῖς πᾶσι πάντα παρεῖχον τὰ καταθέλησιν.

honore, genitricis ac pædagogæ summo teneri amore, a contubernio et communi vita separari non posse. Quid ergo ? Misericordia eis pro his ac gratia effloruit præcox, et veluti gloriatio quædam ac jactantia universæ in circuitu regioni facti sunt. Rectitudine quidem animi ad omnia Domini mandata progressi, apostolicis autem charismatis ab ipso locupletati : quibus enim illorum vitam ad amussim exprimebant, turbæ passionum resistentes carnalium et ad bonum ex primo principio exercitati, eisdem cum Christi præconibus etiam retributionibus digni habiti sunt. Etenim sic diligebant moderationem et animæ in tantum a contrariis mundaverant fundum, jactantiæque inanis ac pecuniarum copiæ prorsus purum conservaverant, ut solos aspexerit sol primos super terram Cosmam et Damianum, post eum qui Deo patre gaudet, spiritum humilem in visceribus suis innovantes.

3. Unde quæ secundum carnem mater erat, exsultabat, hunc sacrum binarium filiorum æmulari suam virtutum operationem audiens ; ex quo quod non jam ipsis nominibus hos sed *gratuitos* aliquis appellans, Cosmam et Damianum significabat. Deferebatur autem admirandis juvenibus hæc denominatio, quia in operibus ipsa consentiebat veri-

Ἀκτημοσύνης δὲ πρὸς τοσαύτην ἀναβεβήκασι τὴν ἀκρώρειαν, ὥστε μὴ χιτῶνα μόνον ἀπορρίψαι τὸν δεύτερον καὶ, κατὰ τὴν ἐντολὴν, ὑποδήματος περιβολὴν, ἀλλὰ μηδὲ τῇ χειρὶ φέρειν βακτηρίαν ποτὲ καταδέξασθαι· τουναντίον δὲ μᾶλλον αὐτοὶ τοῖς ἄλλοις εἶναι ἠξίουν ἀντὶ χειρὸς, ἀντὶ βακτηρίας, ἀντὶ παντὸς σκέποντός τε καὶ θάλποντος, ἀντὶ παντὸς ὀρθοῦντός τε καὶ στηρίζοντος· τὸν ἥσυχον Ἰησοῦν, τὸν πρᾶον μιμούμενοι, ὃς οὐ τοῦ διακονηθῆναι, τοῦ δὲ διακονῆσαι χάριν ὡς ἡμᾶς καταβέβηκεν. Ὅθεν ἡ σαφὴς τοῦ τύφου μανία πολλῷ τῷ περιόντι ὑπὸ τούτων ἥττητό τε καὶ κατεπεπάτητο· φυλάσσοντες δὲ ἀκακίαν κατὰ τὸν λέγοντα, Ἑώρων ταύτας δὴ τὰς εὐθύτητας.

4. Τὴν δὲ τῶν ἀρρωστούντων ἀνάκλησιν οὐ μαθημάτων καὶ τέχνης ἐνόμιζον ἀποτέλεσμα, οὐ φαρμάκων ἐκάλουν κατόρθωμα· μόνου δὲ τοῦ κρείττονος δώρημα. Καί τοι πολλὰ μὲν Ἱπποκράτους, πολλὰ δὲ καὶ ἄλλων ποιητῶν, πλείονα δὲ τούτων ἐκμελετήσαντες καὶ Γαλήνεια· ἀλλὰ τὴν θεϊκὴν ἀσφαλεστέραν τῶν ὅλων μαθόντες δύναμιν, ὅτι μάλλιστα ταύτης ἀντείχοντο· καὶ τῷ περὶ τὸν τοῦ Θεοῦ πόθον ζέοντι πνεύματι τὸ εὐθὲς Πνεῦμα ἐν ἑαυτοῖς προσετίθεσαν· δι᾽ οὗ παντοίων νοσημάτων ἀπραγμόνως περιεγένοντο, σκορπίων τε καὶ ὄφεων ἄνωθεν ἔβαινον, καὶ πολλῷ τῆς τέχνης ἔπραττον ὑψηλότερα. Ὅσα γὰρ ἡ φύσις ἐπήρωσε, τούτων

tas : communiter enim omnibus omnia procurabant quæ voluissent. Negligendarum vero opum in tantam ascenderunt sublimitatem, ut non tunicam modo abjicerent alteram et, secundum mandatum, calceorum usum, verum etiam manu gestandum baculum non assumerent; contra vero magis ipsi aliis esse cuperent pro manu, pro baculo, pro omni re quæ tegat, quæ foveat, pro omni re quæ erigat, quæ confirmet; tranquillum Jesum, mansuetum imitati, qui non ministrari sed ministrare ad nos descendit. Unde manifesta arrogantiæ insania magno excessu ab his vincebatur et conculcabatur : servantes innocentiam juxta dicentem, *Videbant nempe has æquitates.*

4. Ægrotantium vero recreationem non doctrinarum et artis arbitrabantur effectum, nec medicinarum vocabant beneficium, sed illius qui solus majore gaudet potestate, donum. Quamquam multum quidem Hippocratem, multum quoque alios carminum scriptores, plus vero illis scripta meditabantur Galeni, sed divinam securiorem universis edocti potestatem, quam maxime illam amplectebantur; et circa Dei amorem ferventi spiritu Spiritum rectum in seipsis ponebant, per quem omnigenos morbos nullo negotio superabant et scorpiones ac serpentes calcabant et multo arte sua faciebant sublimiora. Quæ enim

ἀπεῖπεν ἡ τέχνη τὴν ἐπιχείρησιν· οἱ δὲ οὐ πηρῶν τὰ ὄμματα παρεώρων, οὐχὶ λεπρῷ τὴν κάθαρσιν ἀνεβάλλοντο, οὐ χωλῶν τοὺς πόδας παρέβλεπον· ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀοράτους δαίμονας κατεπάλαιον, τὴν κατὰ τοῦ θεϊκοῦ πλάσματος αὐτῶν ἀφαιρούμενοι δύναμιν. Διὰ ταῦτα τὸ νοσοῦν ἀεὶ πλῆθος συνέρρει καὶ πρὸς τοὺς ἀφθονωτάτους τῶν θεραπευτῶν συνέτρεχε. Καὶ δὴ καὶ πρὸσετρέφετο παρ' αὐτῶν, οὐ βρώμασι ποικίλοις καὶ παρασκευῆς τινὸς δεομένοις· οὐδὲ γὰρ τοῦτο διαφροντίδος ἦν τοῖς ἁγίοις· ὥσπερ οὖν οὐδ' ἐν τοῖς νοσήμασι τῶν τούτοις ἐπιτηδείων ἐπισκευῶν τε καὶ κράσεων· εὐχῆς δὲ μόνης, ὡς δεδήλωται, πρὸς τὴν ἴασιν.

5. Τὸν πάντα δὴ βίον ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν ὁμογενῶν διανύσαντες, καὶ φιλοξενώτατοι μὲν τῶν πώποτε γεγονότες· λιτότατοι τε καὶ ἀπέριττοι τῶν ὅσοις ἀκοῇ παρειλήφαμεν· εὐθεῖς· ἄμεμπτοι· δικαιότατοι· οἰκονόμοι τῆς δοθείσης χάριτος ἀκριβεῖς· μετὰ τὸ ταύτην ἐπὶ μακροῖς τοῖς χρόνοις ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν διανεῖμαι τῶν δεομένων· βεβιωκότες εἰρηνικῶς, πρὸς τὸν τῆς εἰρήνης ἐξεδήμησαν Κύριον. Πάντως δὲ οὐκ ἦν πρὸς Θεοῦ ἀμφοτέρους κατὰ ταυτὸν ἐκ μέσου ποιήσασθαι, καὶ τοσοῦτον σωρὸν ἀγαθῶν ἀθρόον ἀναλαβεῖν, καὶ τὸ οἰκεῖον πλάσμα ἀθυμίᾳ τοιαύτῃ περιβαλεῖν. Καὶ διατοῦτο τὸν μὲν πρότερον, τὸν δὲ μετὰ τοῦτον τὸ τῆς ζωῆς τέλος ἐκδέχεται· πλὴν τοὐναντίον ἢ κατὰ τὴν πρόοδον τῆς γενέσεως, τὰ τῆς

natura mutila produxit, his vetat ars manum adhiberi : ipsi vero nec cæcorum oculos negligebant, nec leproso purgationem differebant, nec claudorum pedes prætermittebant; sed vel ipsos invisibiles dæmones vincebant, in Dei creaturam ipsis auferentes potestatem. Propterea ægrotantium semper multitudo confluebat atque ad liberalissimos medicos concurrebat. Quin etiam nutriebatur ab ipsis, non escis variis ac præparationis cujusdam indigis : neque enim id curæ erat sanctis, quemadmodum nec in morbis congruæ iis curationes ac mixturæ, sed sola oratio, uti patuit, ad sanationem.

5. Totam igitur vitam ad beneficium proximorum impendentes, et maxime hospitales eorum qui umquam fuerant, facti, simplicissimi et sine fuco inter omnes de quibus auditu percepimus; recti, nulli culpæ obnoxii, justissimi, dispensatores datæ gratiæ accurati, postquam illam per multa tempora singulis, prout res postulabat, distribuissent indigentium, cum vixissent pacifice, ad pacis migrarunt Dominum. Omnino autem non erat Dei ambos uno eodemque tempore de medio tollere, et tantum cumulum bonorum confertim ad se recipere, et suam creaturam tanta tristitia afficere. Et hanc ob causam illum prius, hunc vero post alterum vitæ finis excepit, nisi quod contra atque

ἐκδημίας προέβησαν. Δαμιανὸς γὰρ ὁ κατὰ γέννησιν δεύτερος, οὐ νόσοις τὸ σῶμα διατακεὶς, ἀλλ' ἱδρῶσι πνευματικοῖς ἅπαν ἐκδαπανήσας αὐτὸ, πρῶτος τὴν ἐνθένδε ἐστείλατο· μετὰ βραχὺ δὲ καὶ ὁ θεῖος αὐτῷ πρὸς Χριστὸν ἐπηκολούθει Κοσμᾶς.

6. Ἀλλ' ὧδε τοῦ λόγου γενόμενος, προσθήσω τι διήγημα, ξένον μὲν ὅσον εἰς ἀκοὴν, τοῖς τρόποις δὲ τῶν ἁγίων προσεοικός. Ἔτι τῷ βίῳ περιόντες οἱ θαυμαστότατοι γυναικὶ ἀεί ποτε παρειμένῳ τῷ σώματι χρωμένῃ παραστάντες, αἴφνης ὑπὲρ ἐλπίδα τοῦτο συνέσφιγξαν, μεγίστων τε ἀναγκῶν καὶ δυσφορήτων ἀλγεινῶν διεσώσαντο. Αὕτη τῷ θαυμασίῳ τῆς εὐεργεσίας ἐκπληττομένη καὶ χαίρουσα, ἐπεὶ τὸ πρὸςένεγκεῖν τί τοῖς ἁγίοις τολμηρὸν ἐδόκει, ᾠοῖς τοὺς ἀδελφοὺς ἐδεξιοῦτο τρισίν· ἀπεπέμφθη δὲ καὶ μόνον ὀφθεῖσα. Ἡ δὲ πράως μὴ ἐνεγκοῦσα τὸ ἀπαράδεκτον, παρὰ μέρος στᾶσα τοῦ μακαρίου Δαμιανοῦ· Ἱνατί ὡς βδέλυγμα τὴν ἀθλίαν, εἶπεν, ἐμὲ νενομίκατε; ἱνατί δε ὡς ἀπο μιαρᾶς τινὸς ἐκτρέπεσθε τῆς οἰκέτιδος; Πρὸς ἐπὶ τούτοις, θερμαῖς δακρύων πηγαῖς ἐδεῖτο καὶ ἐλιτάνευεν· εἶτα τοῖς φρικωδεστάτοις τῶν ὅρκων αὐτὸν δυσωπήσασα, τὰ κομισθέντα παρασκευάζει δέξασθαι. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῷ ἀδελφῷ τὰ περὶ τῆς ἱκέτιδος ἐκοινώσατο, χαλεπῶς εἶχεν ὁ θεῖος Κοσμᾶς· ἐσχετλίαζεν· ἔστενεν· ἐπαινεῖν οὐκ εἶχεν αὐτὸν, ὡς ἐν μεγάλῳ τινὶ περιπεσόντα

in ingressu generationis, migrationis ordo processit. Damianus enim natu secundus, non morbis corpore tabescens, sed exercitiis ac laboribus spiritualibus totus consumptus, prior hinc iter ingressus est; paulo vero post divinus ipsum ad Christum secutus est Cosmas.

6. Verum cum ad hunc jam sermonis locum pervenerim, addam quamdam narrationem, insolitam quidem auditu, moribus autem sanctorum convenientem. Adhuc in vivis agentes viri maxime admirandi mulieri semper remisso corpore utenti adstiterunt repente, ac præter spem illud constrinxerunt servaruntque e maximis calamitatibus doloribusque intolerandis. Ipsa vero miraculo benefacti percussa ac lætabunda, cum pendere aliquid sanctis audax facinus videretur, ut ova tria acciperent amice fratres invitavit. Verum rejecta fuit solo visu. Illa vero mansuete haud ferens accipiendi difficultatem, a parte stans beati Damiani: *Ut quid execrandam miseram* inquit, *me æstimastis? Ut quid uti a perdita quadam declinatis serva?* Præterea calidis lacrymarum fontibus orabat ac supplicabat; deinde tremendorum juramentorum religione impellit, atque allata inducit ut recipiat. Postquam vero fratri quod circa supplicem actum fuerat, communicasset, ægre tulit divinus Cosmas; indignabatur, ingemi-

ἁπλοϊκῶς ἀτοπήματι. Πιπράσκειν ἔλεγε τὴν χάριν τοῦ Πνεύματος, ἣν προῖκα παρὰ τοῦ κρείττονος ἔλαβον· κέντροις ὀδυνηροῖς περιεπείρετο θλίψεων, τῶν τριῶν χάριν ᾠῶν. Καὶ ταῦτα, τῶν ὅρκων οὐ κατακούσας, οὐδὲ οἷς ὁ μέγας Δαμιανὸς παρεκλήθη σκοπούμενος. Καὶ διατοῦτο ἀθάνατον φέρειν τὴν λύπην καὶ μετὰ τὸν τοῦ ἀδελφοῦ θάνατον ἔκρινε· Μὴ δὲ γὰρ συνταφείη μοι τελευτῶν, εἶπεν, ὁ ἀδελφός· μηδὲ τὸ ἐκείνου σῶμα τοῦ ἐμοῦ ψαύσειε σώματος, οὗ τὴν δεξιὰν ἤκουσα πρὸς δώρων ἀνάληψιν ἐκταθεῖσαν.

7. Οὕτως ὁ χρηστὸς Κοσμᾶς ἐννοήσας, πολὺ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ συγκαταβάσεως ἥμαρτε. Κἂν οὐκ ἀφῆκεν αὐτῷ τὸ θεῖον τὰ τῆς ὀργῆς ἀθεράπευτα· ἀλλὰ δι ὀνείρων· Μὴ μάτην, ἔλεγεν, ὀργίζου τῷ ἀδελφῷ· οὐδὲ γὰρ δώρων ἕνεκεν εἴληφε τὰ προσενεχθέντα, ἀλλὰ τῷ μὴ παριδεῖν βουληθῆναι τὸ ἐμὸν ὄνομα, τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων προτεινομένης τῆς γυναικὸς, καὶ κατ' αὐτοῦ σφόδρα ἐξορκιζούσης αὐτόν. Ἐντεῦθεν ὁ μὲν τῆς ὀργῆς ὑφῆκε· κἂν οὐχὶ καὶ τοῖς παροῦσι τὴν θεῖαν ἐκείνην ἐμφάνειαν ἐξελάλησε. Δῆλον δὲ γέγονε πάντως, ἀφ' ὧν ἡ κάμηλος τὴν ἀλογίαν ὥσπερ ἀποθεμένη καὶ, τοῦτο δὴ τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν, ἀνθρωπείαν ὑπελθοῦσα φωνὴν, ὡς μικρῷ ὕστερον ὁ λόγος δηλώσειε, καὶ ταφῆς κοινωνῆσαι τοῦτον τῷ ἀδελφῷ παρηγγύησε. Τὸν γὰρ ὅλον διαδραμόντος

scebat, quo laudaret eum non habebat, quasi in magnum quoddam incidisset præ simplicitate sua crimen. Vendere dicebat gratiam Spiritus, quam gratis a potentiore accepissent; stimulis dolorosis transfigebatur afflictionum, trium gratia ovorum. Atque hæc, quia juramenta non audierat, nec ea quibus magnus Damianus flecti se siverat, attendebat. Ac propterea immortalem gerere luctum vel post fratris mortem decreverat. *Neque enim una sepultus mecum jaceat demortuus,* inquit, *frater, neque ipsius corpus meum tangat corpus, cujus dexteram audivi ad donorum acceptionem fuisse extentam.*

7. Cum sic bonus Cosmas cogitaret, multum a fratris accommodatione aberat. Quamquam haud reliquit Deus iram ejus absque medela. Sed per somnium, *Ne sine causa,* dicebat, *irascaris fratri: non enim donorum causa accepit allata, sed quia contemnere non voluit meum nomen; hoc enim præ aliis protendit mulier, et per hoc vehementer adjuravit eum.* Exhinc iram quidem dimisit, etiamsi præsentibus divinam hanc apparitionem non edixit. Manifestum tamen factum est omnino, ex quo camelus rationis privatione veluti deposita, atque (hoc quidem magnum et admirandum) humanam imitata vocem, uti paulo post sermo declarabit, etiam sepulturæ participem eum cum

βίον τοῦ μακαρίου Κοσμᾶ, ἵνα τὴν ἀνωτέραν αὖθις ἀναλάβω διήγησιν, καὶ μετα τὸ μηκέτι τὸ σῶμα ταῖς πολυημέροις νηστείαις ἀρκεῖν, τὴν ψυχὴν ἁγίων ἀγγέλων παραθέντος χερσὶν, οἱ τὸ θεῖον ἐκείνου σῶμα ἐκφοροῦντές τε καὶ διαβαστάζοντες, ἐν ἀπόροις ἦσαν ὅπουπερ αὐτὸ καταθήσουσι· τὸν χρόνον δὲ παρατείνοντες, ὑπὲρετίθοντο τὴν ταφήν.

8. Οὕτω δέ πως ἀμηχάνως ἐχόντων αὐτῶν, καὶ πράττειν μὲν ἔξω τί τῶν τῷ ἀδελφῷ δεδογμένων οὐκ ἀσφαλὲς ἡγουμένων· ἀνάξιον δὲ λογιζομένων πάλιν τοὺς ἐκ τῆς αὐτῆς μήτρας, μὴ καὶ τῆς αὐτῆς ἀξιωθῆναι ταφῆς, μικρᾶς προφάσεως ἕνεκεν, ἀψευδεῖ σημείῳ καὶ παραδοξοτάτῳ Θεὸς οὑτωσὶ τὸ ἀμφιβαλλόμενον διελύσατο. Κάμηλος γάρ τις τὸν πόδα ποτὲ συντριβεῖσα, σφραγῖδι δὲ τοῦ ἀοιδίμου Κοσμᾶ παραυτίκα τὴν θεραπείαν εὑροῦσα· καὶ γὰρ καὶ τῆς τῶν ἀλόγων θεραπείας τῷ περιόντι τῆς ἐλεημοσύνης αὐτοῖς ἔμελε· τῶν ὀρέων ὑπερφανεῖσα τηνικαῦτα ποθὲν, ἀνθρωπικῶς ἐλάλει καὶ παρὰ τῷ ἀδελφῷ τεθῆναι τοῦτον παρηγγυᾶτο. Οὕτω τελείως ἡ ἄλογος τὸ ἀμφίβολον διωρθώσατο· καὶ προνοίᾳ τῇ ἄνωθεν τὰ ὑπὲρ τοῦ πόδος ἀποδέδωκε· καὶ οὐ διέφθειρε τὴν χάριν ἀγνωμοσύνη, ἀλλ' ἐπὶ πράγματι λόγου τοῦ προσήκοντος δεομένῳ τοῖς ἰασαμένοις ἐγένετο χρήσιμος. Καὶ οἱ μὲν οὕτως ἐποίουν· ἡ δὲ πρὸς νομὰς ᾤχετο τὰς ἰδίας.

9. Οὐκ ἦν οὖν ὅστις οὐ τότε τοὺς σωτῆρας ἀνεκαλεῖτο, καὶ τὴν ἐκείνων

fratre fieri jussit. Totam enim cum percurrisset vitam beatus Cosmas, ut superiorem iterum assumam narrationem, et postquam corpus ejus quotidianis ferendis jejuniis jam non suffecisset, vitamque sanctorum angelorum tradidisset manibus, ii qui sanctum ejus corpus efferebant ac transportabant, ancipites hærebant, quo loco illud deponerent; tempus vero prorogantes, procrastinabant sepulturam.

8. Sic vero quid agerent nescientibus iis, et facere quidquam præter ea quæ uni fratrum visa fuerant haud tutum arbitrantibus, indignum rursus æstimantibus, qui ex eodem utero prodiissent, eos non et eodem dignari sepulcro, parvi prætextus ergo, haud mendaci signo eoque valde inopinato Deus hocce modo quod ambigebatur, resolvit. Camelus enim quidam pede olim contritus, signo venerabilis Cosmæ repente curationem invenerat (etenim vel brutorum sanatio excessu misericordiæ ipsis curæ erat): qui supra colles tunc alicunde apparens, humana voce locutus est et apud fratrem poni ipsum jussit. Ita brutum perfecte rem ancipitem diremit et providentia superna benefactum pedis reddidit, neque perdidit gratiam stoliditas, sed in negotio sermonis convenientis indigo, medicis factum est utile. Et illi quidem sic fecerunt; hoc vero ad pascua ivit propria.

ἀπεκλαίετο στέρησιν· οὐκ ἦν ὃς οὐ κίνδυνον τὴν τῶν ἀναργύρων ἐκδημίαν ἐτίθετο. Ἡ τῶν ἰαθέντων ἐθρήνει πληθύς· ἡ τῶν παιδαγωγουμένων ὠλόλυζε γοερῶς παρὰ νέων ὀλοφυρμός· παρ' ἀνδρῶν οἰμωγή· παρὰ γυναικῶν κωκυτὸς ἐπηγείρετο· τὴν συμφορὰν ταύτην οὐδὲ ἡλικία ἠγνώησε νήπιος· κἂν οἱ πρὸς πᾶσαν αἴτησιν ἑτοιμότατοι πρὸς Θεὸν μεταβάντες, καλοῖς τοῖς πρότερον καλὰ τὰ μετὰ θάνατον προστεθείκασι· καὶ ἀγαθοεργίας καὶ αὖθις φιλανθρώπως ἐδαψιλεύσαντο. Οὔπω γὰρ οὐδὲ ὑπο γῆν τὸ τοῦ ἀναργύρου σῶμα ἐκέκρυπτο, καί τις ἐργατικὸς ἀνὴρ καὶ ταῖς χερσὶ διαζῶν, ἐκ πόνων ὑπνώσας γεωργικῶν, ὄφιν τοῖς σπλάγχνοις ὀλέθριον εἰσεδέξατο. Ἐπεὶ οὖν δεινῶς ἐσπαράσσετο παρ' ἐκείνου, καὶ τὰ ἐντὸς ἐβιβρώσκετο, ἀσπασίως τε ἐθανάτα, τοῦ πιέζοντος κακοῦ ἀπαλλάττεσθαι μὴ δυνάμενος, ἀσιγήτοις φωναῖς τὸ ζεῦγος ἐπεκαλεῖτο τὸ ἅγιον· οἱ δὲ οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ αὐτῷ φανερῶς παραστάντες, καὶ τὸ ἐν βάθει κακὸν ἐξ ἐπιτάγματος ἐμέσαι παρασκευάσαντες, καὶ τὴν θεραπείαν ἐν βραχεῖ παρασχόμενοι, ἀφανῶς ἀπηλλάγησαν.

10. Εἶτα μετ' ου πολὺ τῶν ἐπιφανῶν γυνή τίς, ἣν ὁ ταύτης ἀνὴρ εἰς ἀποδημίαν στελλόμενος, οἷα δὴ πρὸς φυλακὴν ἀσφαλεστάτοις καὶ θερμοῖς εἰς βοήθειαν, τοῖς ἁγίοις παρακατέθετο· ἥξειν τε ὡς αὐτὸν

9. Non igitur erat qui non tunc servatores invocaret, et ipsorum deploraret privationem ; non erat qui non periculi loco gratuitorum migrationem æstimaret. Sanatorum lugebat multitudo, institutorum ejulabat flebiliter juvenum ploratus; virorum gemitus, mulierum singultus excitabatur, calamitatem hanc nec ætas ignorahat infantilis : etsi illi ad omnem petitionem promptissimi, postquam ad Deum migrassent, benefactis prioribus benefacta post mortem apposuerunt. Quin et beneficentiæ misericorditer locupletes erant. Nondum enim sub terra gratuiti corpus latebat, cum quidam vir opera, manibus victum quærens, post labores somnum capiens agrestes, serpentem visceribus perniciosum excepit. Cum itaque dire laceraretur ab eo, atque intima ejus roderentur, gratanterque mortem obiret, ut qui vexante malo liberari non posset, haud silentibus vocibus par invocabat sanctum : illi vero non in somnis sed vigilanti ipsi clara visione adstiterunt, ac malum quod in profundo latebat, ex præcepto ut evomeret effecerunt, et curatione brevi momento procurata, videri desinentes abscesserunt.

10. Deinceps non diu post illustris quædam mulier erat, quam suus vir in peregrinationem profectus, utpote ad custodiam tutissimis ac fervidis ad auxilium ferendum, sanctis hisce commiserat ;

προετρέψατο ὅτε τίς πρὸς αὐτὴν σταλῇ γράμματα παρ' ἐκείνου κομίζων καὶ δεικνύων τὸν σημαντῆρα δακτύλιον. Αὕτη δαιμονιώδει συμβουλῇ κινδυνεύουσα, ἐξ ἀφύκτων ἐρρύσθη τῶν ἀναγκῶν, τοῦ τῶν ἁγίων εὐκαίρως ὀνόματος μνημονεύουσα. Φάσμα γάρ τι δαιμόνιον, κατ' αὐτὸ τοῦτο τῷ ἀποδεδημηκότι διαφθονούμενον, ὅτι περ. τοῖς θερμοῖς εἰς ἀντίληψιν τὰ τῆς συζύγου πεπίστευκε· πρὸς ἀπάτην ὡς ἔνι σχηματισθὲν πιθανώτατα, ὁμοῦ μὲν τῶν τοῦ ἀνδρὸς ἐντολῶν, ὡς παροραθῆναι μὴ δυναμένων αὐτὴν ὑπεμίμνησκεν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἀπενεγκεῖν ὡς αὐτὸν οὐ βραδέως ἐβεβαίου τε καὶ κατώμνυεν. Ἡ δὲ ἅτε δὴ καὶ γυνὴ τὸ εὐεξαπάτητον οὖσα καὶ μηδὲ συνιδεῖν δυνηθεῖσα τὸ σκαιωρούμενον, ἐπηκολούθει τῷ φάσματι. Ὁ δὲ πρὸς ὀρωρυγμένον βαθύτατα ταύτην διωθεῖ βάραθρον, ἐν ᾧ καὶ ἔφθασεν ἂν ἐμπεσεῖν, καὶ πένθος μὲν τῷ ἀνδρὶ προξενῆσαι, τῷ δαιμονίῳ δὲ γέλωτα, εἰ μὴ οἱ τὴν παρακαταθήκην λαβόντες ἅγιοι καὶ μυρίοις αὐτὴν φυλάττοντες ὀφθαλμοῖς, ἀρρήτῳ τάχει φθάσαντες διεσώσαντο. Οὕτως ἡ ἄνθρωπος κρείττονα προσδοκίας εὑροῦσα βοήθειαν καὶ κατὰ τὸν οἶκον ἀνασωθεῖσα τὸν ἴδιον, τοῖς ἁγίοις τὰ τῆς συμφορᾶς ἀπεδίδου λυτήρια.

11. Τοσαύταις δὲ περιόντες ἐνελαμπρύνθησαν ἀρεταῖς καὶ θαύμασιν οἱ μακάριοι, ὡς μηδὲ τῷ μέτρῳ τούτων τῷ πλήθει τῶν ἄστρων

utque ad se veniret fuerat exhortatus, quando quis ad ipsam mitteretur litteras a se deferens atque ostendens signatorium annulum. Ipsa diabolica astutia in periculum incidens, ex inevitabilibus eruta est necessitatibus, horum sanctorum opportuno tempore nominis reminiscens. Spectrum enim quoddam diabolicum, ob hoc ipsum peregrinanti invidum quod illis qui tam fervidi erant ad protegendum, conjugem credidisset, in malam fraudem transfiguratum eo modo quo maxime fidem faceret, cum viri mandatorum quippe quæ sperni non possent, eam commonefecit, tum etiam se eam ad illum sine mora adducturum affirmavit, juramenti quoque fide interposita. Illa vero ut mulier videlicet falli facilis, nec perspicere valens maleficium, secuta est spectrum. Hoc vero in effossam multa profunditate ipsam propulit voraginem, in quam etiam in eo erat ut incideret, ac dolorem viro procuraret, diabolo risum, nisi qui commissum depositum acceperant sancti, quique mille ipsam custodiebant oculis, ineffabili celeritate prævenientes servassent. Sic femina majori quam expectaverat invento auxilio, ac domum salva reversa in propriam, sanctis pro calamitate quam effugerat, grati animi dona persolvit.

11. Tantis vero superstites usque resplenduerunt virtutibus et miraculis beati, ut nec metiendis illis multitudo astrorum sufficiat.

ἐξίκανεῖν. Τοιούτοις καλοῖς καὶ τοσούτοις τὴν ἡμετέραν φύσιν καὶ ζῶντες καὶ μετὰ θάνατον πεφιλοτιμήκασιν. Οὕτως τὴν τῶν ἀναργύρων φιλανθρωπίαν καὶ τὰς καθεκάστην εὐεργεσίας ἐννοουμένους θείας εὐφροσύνης ἡμέραι καὶ ἀγαλλιάσεως οὐδὲ πρὸς τὸ μέλλον ἡμᾶς ἐπιλείψουσιν· ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Κυρίῳ ἡμῶν ᾧ ἡ δόξα τε καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Talibus benefactis tantisque nostram naturam et viventes et post mortem honorare studuerunt. Sic gratuitorum misericordiam et quotidiana beneficia meditantes animo, divini gaudii dies atque exultationis neque in futurum nos destituent. In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria ac potestas in secula seculorum. Amen.

Analecta Sacra Spicilegio Solesmensi parata. Edidit Joannes Baptista Card. PITRA *Episcopus Tusculanus, S. R. E. Bibliothecarius. Tom. VIII. Nova S. Hildegardis Opera.* Typis sacri Montis Casinensis. MDCCCLXXXII. In-8° max. pp. XXIV-614.

Præclarum hoc volumen edendi Eminentissimo et doctissimo S. R. E. Bibliothecario, cui jam, præter nonnullos minoris molis libros gallice conscriptos, debemus *Juris ecclesiastici Græcorum Historiam et Monumenta,* duobus tomis comprehensa, *Spicilegii Solesmensis* tomos quatuor et primum tomum *Analectorum Sacrorum,* ansam dederunt secularia festa nuper in honorem sanctissimi Patris sui totiusque monastici ordinis in Occidente Patriarchæ celebrata. Non nisi inedita S. Hildegardis complectitur opera, inter quæ jure ab Eminentissimo Editore præcipue extolluntur *Liber vitæ meritorum* (p. 1-244) et epistolarum duplex series (p. 328-440 et p. 518-582) (1). Reliquo libro continentur S. Hildegardis *Expositiones evangeliorum* (p. 245-327), Carmina (p. 441-467) et Opuscula quædam minora (p. 468-502), denique (p. 503-517 et p. 601-607) Variæ lectiones ad opera ante edita, et præterea (p. 582-600) Guiberti Gemblacensis opuscula duo, alterum de laudibus B. Martini Turonensis, cui adnexa est narratiuncula de duplici Miraculo S. Martini ad Guibertum missa, alterum vero de laudibus S. Benedicti.

Novarum epistolarum prima, ut recte advertit eruditissimus Cardinalis (Procem. p. III), haud pœnitenda Bollandianis commentariis de S. Hildegarde (2) præbuisset subsidia. Imprimis enim comparet (p. 405-412) Vita illa sanctæ virginis a Guiberto Gemblacensi conscripta, non tamen ad finem perducta (3), quam quum nullum ejus vestigium reperire valuisset, prætermissam perperam judicavit Stiltingus (4). Neque adeo hæsisset idem vir doctus (5) in definiendo quo sermone visiones suas dictaret sancta et quam fideliter omnino hæ scripto consignatæ fuerint, si audiisset ipsam Guiberto id vehementer scire cupienti (6) diserte respondentem : „ Ea quæ scribo, „ *(Cod. Brux. 5527-5534 add.* illa) in visione video et audio, nec alia verba pono „ quam illa quæ audio, et latinis verbis non limatis ea profero quemadmodum illa „ in visione audio : quoniam sicut philosophi scribunt, scribere in hac visione non „ doceor „ (7); et in alia ad Guibertum epistola profitentem : „ Nam in cæteris (8) „ sive anterioribus scriptis meis, istud nec puellis quæ ex ore meo excipiunt, nec

(1) Ubi tamen non solum epistolæ Hildegardis vel ad Hildegardem datæ, sed et quædam (sub numeris 22, 25, 26, 27, 28, 30, 31, 32, 164 et 165) exhibentur documenta circa beatæ historiam. — (2) *Act. SS.,* tom. V Sept., p. 629 sqq. — (3) De qua cfr. infra Epistolæ Guiberti ad Philippum, archiepiscopum Coloniensem, partem quam nunc primum e codice Bruxellensi vulgamus. — (4) Tom. cit., p. 674, num. 194. — (5) Ibid., p. 634, num. 18-20. — (6) *Ed.* (quo siglo passim designamus editionem Em[i] Pitra) p. 330. — (7) Epist. II. *Ed.* p. 333. — (8) Scilicet præter visiones de S. Martino et de tribus virtutibus, quarum expositionem a Guiberto perpoliri rogaverat.

„ ipsi unice dilecto piæ memoriæ filio meo Vulmaro, qui ante te in his corrigendis „ sedulus mihi astitit, unquam concessi, quia nec ille hoc exegit, et simplicitate qua „ inspirata vel ostensa mihi proferre poteram contentus, non poliendis verborum „ ornatu, sed tantum secundum regulas grammaticæ emendandis quæ protulis- „ sem, studium apposui (1). Nec vero te, seu quempiam mea legentium, iste latini „ eloquii quem patior defectus, scandalizet.... „ (2). Quantum etiam animo exultasset Stiltingus, si in manus ejus incidisset tota illa præclara epistola secunda qua Hildegardis Guiberto rationem reddidit *de modo visitationis suæ* seu revelationum suarum.

Verum non probasset, ut opinamur, notas temporum præfixas epistolis 17, 19, 20, 23, 24, quas omnes anno 1178 illigandas censuit Eminentissimus editor, et epistolæ 26, per Guibertum, superstite adhuc Hildegarde, e Bingensi cœnobio directæ ad Bovonem, quæque scripta hic notatur anno 1180. Etenim in Vita coæva S. Hildegardis indicatur sancta virgo obiisse *octogesimo secundo ætatis suæ anno, XV Kalend. Octobris* (3); ipsa autem testante, anno 1141 *quadraginta duorum annorum* erat (4) seu *quadragesimum tertium* agebat *temporalis cursus sui annum* (5), anno vero 1158 *sexagesimum primum* (6); unde jam securissime stetisset sua sententia Stiltingus, qua sanctæ ortum anno 1098 vel prioribus mensibus anni 1099, obitum vero anno 1179 innectenda existimavit (7). Porro integrum biennium cum Hildegarde Bingiæ versatus est Guibertus ante illius mortem (8). Nullum itaque inter eos anno 1178 supponendum videtur litterarum commercium.

Bollandistarum opera usum se esse, profiteri dignatur Eminentissimus editor; quibus tamen nihil aliud eum debere agnoscendum nobis est, nisi quod, ipso rogante, epistolas 164 et 165 et Guiberti opusculum de laudibus S. Benedicti cum Bruxellensi codice 5527-5534 contulimus et ex parte exscripsimus, inscii omnino consilii quod conceperat et jam pene executus erat edendi anecdota S. Hildegardis opera et etiam quæ ad eam vel de ea scripsit Guibertus Gemblacensis. Poterat sane idem codex et alias præbere haud spernendas sive lectiones variantes, sive epistolas aut epistolarum partes, quas jam inter eximiæ ceteroquin editionis desiderata notare necesse est.

Exordium facimus ab epistola quam memoravimus ab Hildegarde ad Guibertum data *de modo revelationis suæ*, quæ secundum locum in nova serie obtinet (9). In qua diligenter cum apographo Bruxellensi collata, sequentia discrepare advertimus, unde forte in edita quædam emendare aut in codice Bruxellensi a Guiberto emendata notare licet. Nimirum :

Pag. 332, lin. 1 : *in finita* vita (*Ed.* in infinita).
„ „ lin. 13 : miraculis ita *infusi* sunt (*Ed.* confusi).
„ „ lin. 27 : venis meis nondum *confortatis visionis hujus munere*... semper *fruor* (*Ed.*... confortata visionem hanc.... semper video).
„ „ lin. 28 : *Spiritus vero meus* prout Deus *vult* (*Ed.* et anima mea prout Deus voluerit).
„ „ lin. 33 : *Ita* autem nec *corporeis* auribus (*Ed.* Ista autem nec exterioribus auribus).
„ „ lin. 35 : patiar (*Ed.* passa sim).
„ „ lin. 39 : nube quæ solem portat multo *lucidius* (*Ed.* multo et multo... lucidior).

(1) Ita cod., sed legendum videtur *apposuit*. — (2) Epist. 29, cap. 27. *Ed.* p. 432. — (3) *Act. SS.*, tom. cit., p. 696, num. 57. — (4) *Ed.* p. 502. — (5) *Ed.* p. 503. — (6) *Ed.* p. 8. — (7) *Act. SS.*, tom. cit., p. 631, num. 7. — (8) *Ed.* p. 582. — (9) *Ed.* p. 331.

Pag. 333, lin. 2 : ita *ut quoniam* illud *aliquando* viderim (*Ed.* ita quod quando illud viderim).

„ „ lin. 20 : sed *ille* tamen *semper plenus* et *inexhaustus* (*Ed.* sed illa tamen plena et inexhausta).

„ „ lin. 24 : in cod. Brux. omissa est vox *prædictæ*.

Post hanc lineam 24 hæc inserenda sunt ex codice Bruxellensi :

In visione etiam vidi quod primus liber visionum mearum Scivias diceretur, quoniam per viam viventis luminis prolatus est, non de alia doctrina. De coronis autem vidi quod omnes ecclesiastici ordines clara signa secundum cœlestem claritatem habent, virginitas vero clarum signum præter nigrum velamen et signum crucis non [1] habet. Unde et istud signum virginitatis esse vidi, scilicet ut albo velamine caput virginis tegeretur, propter candidam vestem quam in paradiso homo habebat et perdiderat, et supra caput ipsius rota tribus coloribus in unum conjunctis, quod sanctam Trinitatem designat, cui quatuor rotæ adhærent, quarum una in fronte agnum Dei habens, in dextra parte cherubyn, et in sinistra angelum, retro autem hominem, et hæc omnia ad Trinitatem pendent. Hoc datum signum Deum [2] benedicet, quia candore claritatis primum hominem vestierat. Et hæc in libro Scivias pleniter continentur. In vera itaque visione librum Scivias et alios scripsi, et in eodem opere adhuc laboro.

Ex qua parte epistolæ manifeste liquet eidem epistolæ recte omnino in codice Bruxellensi antepositam esse epistolam quæ in editione decimum quartum locum obtinet (*Ed.* p. 378) : in hac enim (*Ed.* p. 379) a Guiberto quæsita leguntur, quibus citato loco præsentis epistolæ respondet Hildegardis. — Jam ad variantes lectiones revertimur.

Pag. 333, lin. 34 : omissis in codice vocibus *ita est,* absolute legitur : dextera... bona *est* et sinistra... mala *est.*

„ „ lin. 37-39 : ita *ut et* (*Ed.* quod) si *aliquando* peccatum ex *sensu contingas* (*Ed.* gustu lambis), quoniam sic natus es *ut* (*Ed.* quod) sine peccato esse non possis, *nunquam* tamen illud *ex assensu committas*, bene *cœlestis* (*Ed.* operando tamen illud non comedat, et tunc bene volas).

Pag. 334, lin. 1 : *contemnens* (*Ed.* contemnit). Et subjungitur in codice : *sibi non parcat et a peccati opere se coerceat.*

„ „ lin. 3 : oculos *mentis* (*Ed.* cancelli).

[1] *ita cod.* — [2] *ita cod.*

Ac denique post ultimam vocem editæ, sequitur in codice :

Tu quoque, fidelis serve Dei, dominum Sygerum competenter ammone, ne a dextra in sinistram declinet. Quod si voto ipsius aliquis resistit, ipse tamen lorica fidei et galea cœlestis desiderii indutus viriliter repugnet, et iter suum perficiet. Sed et consideret quia cum primus homo voci uxoris suæ plus quam voci Dei obediret, præsumptione sua periit, quoniam illi consensit. Si autem modus tribulationis istorum tantus est, ut vires ipsorum transcendere videatur, meminerint scriptum : Fidelis Deus qui non patietur vos temptari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum temptatione proventum, ut possitis sustinere. Cujus benignæ promissionis ipse et uxor ejus alacri expectatione roborati, unanimiter[1] in unum assensum conveniant, et consilium quod utilius est, sive vir sive femina illud dederit, teneatur, atque provideant ne prima deceptio in ipsis sit, videlicet ne vir feminam accuset, aut e contra femina virum, sed omnia hæc secundum voluntatem Dei perficiant. Igneus autem Spiritus sanctus corda eorum ita accendat, ne umquam ab ipso recedant.

In Vita autem Hildegardis auctore Guiberto, quæ in prima serie epistolarum collocata est sub numm. 26 et 27, hanc duplicem lectionem variantem præcipue notandam advertimus. Nimirum pro *habitu (Ed.* p. 407, lin. 7) in codice Bruxellensi legitur *obitu*, et pro *principio* (ibid., lin. 5 a fine), *municipio*. Sed omnino huic Vitæ præmittenda erat epistolæ ad Philippum, archiepiscopum Coloniensem, statim in editione subsequentis (1), ea pars quam non solum prætermissam dolemus, sed et paucis verbis ita compendio exhibitam ut in alienum sensum detorqueatur. Quamquam enim Guibertus hic imparem se testatur conscribendæ Vitæ S. Hildegardis (quod solum indicatur in editione), tamen sese ex obedientia operi manum admovisse ait, et cur laborem suum ad finem non deduxerit, rationem reddit. Hanc itaque epistolæ partem hoc loco apponere visum est (2).

Gratum sane et, honorificum tali auctore ad opus tale incitari, sed eum tamen, qui materiæ dignitatem ingenii vel eloquii facultate compensare sufficeret. Patentem quippe et celebrem claro opere et amplo nomine personam, quam

[1] *cod.* unanimitur.

(1) *Ed.* p. 414-415. — (2) Cod. Brux. 5527-5534, fol. 130v-131v.

in Ecclesia sua diebus nostris instar lunæ plenæ illuminandis his qui in tenebris sedent et ad dirigendos pedes nostros in viam pacis Deus accendit [1], nec modio [2] parci sermonis operiri, nec interpositione nebulosæ et indecoræ descriptionis ab eorum intuitu qui in lumine ejus exultare et incedere [3] gestiunt, obscurari deceret [4]. Proinde mihi, qui non ætatis teneritudine sed ingenii hebitudine compellor dicere, Ecce nescio loqui, puer ego sum, stili officio declarationem tam illustris personæ suscipere onus magis quam honor, et pœna potius quam gloria esset; næ, subsannatione omnium dignissimus judicarer, si id quod nec viribus nec usu experientiæ valeo, inconsulte aggrederer. Nec tamen ista dicens discretionem prudentiæ vestræ in hoc dormitasse censuerim [5], quod postpositis magistris ad hoc idoneis, quorum circa vos plurimi versantur, id operis mihi, homini utique indocto et nullius momenti, imponendum putastis; sed potius arbitror vos provide et vigilanter imitari intendisse summum veræ humilitatis et disciplinæ Magistrum, qui per infirmum humanitatis et per stultum crucis suæ, quorum alterum potius [6], alterum sapientius est hominibus, stultam faciens sapientiam hujus mundi, ignobilia et contemptibilia ejus et ea quæ non sunt elegit, ut quæ sibi fortia et magna videntur esse, destruendo confunderet; et ut præcideret linguam magniloquam de sua se sapientia quasi necessaria jactare intendentium, non philosophos [7] aut oratores ad describendas seu prædicandas salutares testamentorum suorum sanctiones, sed pastores et piscatores idiotas et simplices vocavit. Sed neque illud inconsiderate mihi fecisse videmini, ut, cum ad peragenda injuncta magnitudinis vestræ mole me premendo, sicut prædixi, urgere possetis, præcepti obligatione postposita, lenis tantum obsecrationis libertatem [8] et mansuetudinem præferretis: nimirum non ignarus inexpertos et verecundos quorumdam animos coactione subrui, ammonitione erigi,

[1] *cod.* ascendit. — [2] *ita corrigendus videtur cod. pro* modo. — [3] *ita legendum videtur loco* incedere. — [4] *cod.* deesset. — [5] *ita legendum videtur loco* consueverim. — [6] *ita cod., forsan pro* fortius. — [7] *cod.* philosofos. — [8] *ita legendum videtur loco* libertate.

magisque prece quam imperio flecti. Ita cum esset lex clementiæ in lingua vestra, et sciretis nec calamum quassatum conterendum, nec linum fumigans extinguendum esse, caute usus non in dolo vel astutia, sed in benedictionibus dulcedinis, teneritudinem verecundiæ meæ præveniendo capere me temptastis, et ad id quod suadebatis, non invitum sed voluntarium pertrahere procurando [1]: scilicet ut trepidationem meam quam majestas deterrere et opprimere auctoritas posset, lenitas sublevaret et provocaret benignitas. Et revera sic mihi quodam naturæ instinctu comparari videtur, ut id in nobis efficiat libertas gratiæ, quod numquam compulsionis violentia efficeret, et hoc spontaneus moliatur affectus, aliquo tamen vel beneficio vel similitudine ipsius naturæ incitatus, quod coactus numquam animus attemptaret. Quod et vos puto satis expertus, cum [2] sæpius de eadem re inter vos ageretur, et inde formidinem meam adverteretis, numquam imperiosæ exactionis sed semper modestæ obsecrationis super hoc verbis uti voluistis: Oro vos, inquiens, et precor multum in Domino, ut quod impono suscipiatis et pro viribus quas dederit Deus, effectui mancipetis. Quis in conjunctione membrorum Christi positus, ubi ex multis personis, ordinante sapientia et caritate compaginante, unum corpus efficitur, et aliquem vel tenuem sensum habens rationis, etiamsi ab ultimo ejusdem corporis membro cum tanta aliquid devotione exigeretur, non statim perurgente pietate adquiesceret, et quod peteretur, si quo posset modo, non efficeret? Ego vero ad tam dignatissimæ humilitatis ingeminatas preces, quid non etiam cum meo gravamine facere [3] deberem? quomodo non me totum tanto precatori, licet cum detrimento mei pudoris, impenderem, cum videlicet ultimum a summo corporis Christi membro, a prælato subjectus, monachus, cujus præcipuum insigne obedientia est, ab archiepiscopo præsertim meo rogarer, sciens utique eum in eorum et consortio esse et officio, quibus summus Pontifex dicit: Qui vos

[1] *ita legendum videtur; cod.* procurabo. — [2] *sic cod.; legendum forsan* expertos. Cum. — [3] *cod.* facerem.

audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit? Hæc vox prævalens in me, reluctantem licet compulit ut voluntati vestræ cederem, dum sentirem durum esse contra stimulum tam fortis sententiæ calcitrare, ne in vobis Deum contempnere invenirer; et tam terrore ejusdem vocis coactus quam affectu quo me vestræ petitionis dulcedine vobis obligaveratis attractus, obedire tantum meditabar, et in hoc quod nec scio nec valeo totos conatus explicare, et vires præparabam effundere. Volvebam enim ne forte Dei secretis nutibus omnia disponentis intimatio esset, ut gestorum ejus potissimum digerenda series mihi imponeretur, quatinus hinc [1] mihi occasio reddendæ vicis proveniret, ut quoniam ipsa me in partes istas evocante per eam genti exteræ innotuissem, per me eadem ipsa generationi posteræ innotesceret. Sed aliter cessit quam sperabam. Et interim quidem obedire in scribendo differebam, tum propter ignaviam tum ut silendo absconderem me a conturbatione hominum et a contradictione linguarum, ne forte si illa superstite aliquid scriptorum meorum super virtutibus seu præconiis ejus erumperet, id magis adulationi applicaretur quam devotioni, et ne etiam ipsa suis forte laudibus gravaretur. Quia enim et grandævitate et duritie [2] infirmitatis ingravescente molestia vicina jam e carcere animæ ejus exemptio videbatur, expectabam ut illa de medio facta id tutius et honestius attemptarem, dum et navigationis ejus felicitas, cum ad portum prospere pervenisset, secure laudaretur, et ego jure nullo inepte contrahendi favoris cauterio denotarer. Et factum est sic. Post paucos enim menses a compede carnis absoluta carcerem evasit, et jam ut credimus in aliqua lucidarum sede mansionum quæ in domo Patris sunt meritis suis competente, ad nutum sponsi sui cui fidem castitatis integram servarat, collocata feliciter requiescit. Cumque jam ad id quod, licet scientia et eloquio impar, et vestra obedientia coactus, et multorum ad quos verbum petitionis vestræ effusum fuerat amicitia exactus, efficiendum susceperam, animum

[1] *cod.* hunc. — [2] *cod.* duutie; *legendum forsan* diutinæ.

perurgerem, et ne dubia pro certis et pro seriis frivola asserendo in cursu navigationis meæ a veritate naufragarem quam proferre intendebam narrationis seriem, a sacris virginibus quæ ei ab infantia usque ad decessum adhæserant, investigatione sollicita exigerem, ex improviso propalatur primus ejus filius qui ante me illi astiterat, non meam, quia mihi non debebatur, subripuisse, sed suam in hoc benedictionem hereditate possedisse, et quod qui hactenus sedule occultabatur, ex abdito profertur libellus vitæ ejus, ab illo simplici sermone descriptus, in sermone quo et origo ipsius et gratia quam ex utero matris divinitus perceperat, et nonnulla miracula quæ per illam Deus effecerat, edita continebantur. Et lætatus sum in his vehementer, quod viderem me et a portando fasce cui humeri forte succumberent, famulatum [1], et effectum sine labore meo, in quo utrum studium meum prosperaretur, et, si non fatigationem, saltem confusionem evaderet, nesciebam. Cumque quod stilus quo libellus ille scriptus erat humilis videretur, a toto fere filiarum ejus choro, quas quinquaginta in loco propriæ plantationis ex novo aggregatas reliquit, rogarer, ut et ea quæ in libello eodem continerentur, et si qua in voluminibus quæ ipsa ediderat ad eam specialiter pertinentia invenirem, in unum compingens, apposito transitu ejus quo possem sermonis cultu meliorarem, tandem in hoc earum instantia victus assensum præbui, et saltem quod nemo jure reprehendere posset, factitare disposui, scilicet ut rusticano labore meo operoso artifici materiam convehendo præpararem, ut cum diligens aliquis occurrisset, cujus hoc ingenio committere vellent, fieret de eadem materia sine difficultate aliquod vel sertum capiti Ecclesiæ inter cetera, nam multa gestat hujusmodi inserenda [2], vel tropheum propugnaculis ejus suspendendum, ad laudem et gloriam nominis Christi, qui in vase fictili et sexu fragili mundum et diabolum cum omnibus pompis et assultibus eorum triumphasset. Jam epistolam vobis mittendam, jam prologum captatorium et futuro, ut putabam, operi in muni-

[1] *sic.* — [2] *cod.* inserendam.

men præfigendum præscripseram, cum ecce divulgato ipsius sanctæ matris nostræ obitu et me abbate meo per obedientiam, qui me ei multorum rogatu satis invitus jam plus quam per biennium præstiterat, et amicis qui absentiam meam ægre ferebant, per dilectionem crebras dirigendo litteras revocantibus, opus idem in medio relinquere compulsus sum. Sed et in hoc gavisus sum, injuriosum videri reputans, majoris et melioris scripta propter ineptias meas iri abolitum. Quæ videlicet scripta, cum per aliquem eloquii facultate præditum quem ad hoc sacræ ejus filiæ elegerint, suppletis his quæ bonæ memoriæ primus ille ejus præpositus ante eam decedens non attigit, exculta et ad modum libri redacta fuerint, si ea vobis habere placuerit, id eis per litteras insinuabitis et devote mittentur vobis. Quoniam ergo novi vos eam vehementer dilexisse, et de gestis ejus non licuit mihi vobis satisfacere, saltem de vèrbis ipsius quæ mitto vobis, aliquam consolationem accipite, et epistolam mirabili instructione plenam, sed et visionem pulcherrimam de excellentia sancti Martini divinitus illi ostensam, quas suo quidem prolatas sensu, sed meo exaratas stilo, cuidam amico suo direxit, diligenter perlegite (1). Reverendam capitis vestri coronam usque ad annos venerabilis ætatis quæ est vita immaculata, ad munimen et decorem Ecclesiæ suæ perducere dignetur antiquus ille dierum quem Danihel propheta in visione sibi narrat monstratum, idemque ipse post finem cursus vestri sanctum ac desiderabilem vultum suum in æterna beatitudine placabilem ostendere vobis non aspernetur. Amen.

Vitam illam Hildegardis a se, dum Bingæ adhuc demoraretur, inchoatam, non autem perfectam, distinctius etiam commemorat Guibertus in prolixa epistola ad Godefridum, abbatem S. Eucharii Treviris, adhuc inedita, cujus hic ex codice Bruxellensi eam partem proferimus quæ ad rem nostram spectat, præmissis aliis fragmentis duobus, altero ex priori epistola Guiberti ad eumdem abbatem, quam ex parte edidit Martene (2), omissis tamen iis quæ tum de Hildegarde, tum de statu parthenonis Montis S. Roberti interrogat Guibertus, altero ex Godefridi responsoria, cujus rursus in sua editione (3) eam partem prætermisit Martene quæ ad duplicem interrogationem Guiberti pertinet.

(1) Hæc phrasis (Quoniam-perlegite) sola ex tota illa secunda parte epistolæ exhibetur in *Ed.* p. 415. — (2) *Ampliss. Collect.*, tom. I, p. 935, num. XVI. — Migne, P. L., tom. CCXI, p. 1304. — (3) Ibid., num. XVII.

Ex epistola Guiberti ad Godefridum, abbatem S. Eucharii (1).

Rogo etiam ut nomina patris et matris et villæ dominæ Hildegardis, si ea retinetis, mihi per litteras notificetis. Scripsi enim de illa aliquid ubi libenter ea inseruissem, si recolere potuissem.

Ex epistola Godefridi abbatis ad Guibertum (2).

Dilectionem itaque vestram super nominibus patris et matris et villæ beatæ Hildegardis volentes reddere certiorem, Vitam vobis ipsius sanctæ Hildegardis transmisimus quam ex instinctu nostro et prædecessoris nostri bonæ memoriæ Ludovici abbatis, magister Theodoricus composuit, secundum exemplar Godefridi præpositi, qui Fomario, primo ejusdem loci præposito, successit. Domna enim Gertrudis de Ocnehem juste et pie vivendo expectat beatam spem et adventum Domini, sed illi duo Gerlaci qui aliquando ipsius domus erant dispensatores, de hac vita in Christi nominis confessione decesserunt. Quorum vices et ministerium fratres de Siberch amministrant, quoniam raritate et paucitate fratres Montis S. Disibodi sunt attenuati. Rogamus igitur fraternitatem vestram et quamplurimum obsecramus ut in Vita prædictæ Hildegardis in qua plura [1] ex scitu nostro et consilio propter fastidium longæ lectionis omissa sunt, si qua inserere vel corrigere vestræ placuerit discretioni, ad nostram etiam faciatis devenire cognitionem.

Ex epistola Guiberti ad Godefridum (3).

Mandavit quoque inter hæc sancta paternitas vestra in litteris suis, quatinus beatæ memoriæ matris nostræ domnæ Hildegardis Vitam, quam simul misistis, diligenter inspice-

[1] *deest in cod., supplet. ex loco simili.*

(1) Cod. Brux., fol. 211v. — (2) Ibid., fol. 212r. — (3) Ibid., fol. 213r.

rem, et quoniam plura, ut dixistis, et scitu et consilio pro repulsu fastidii a descriptoribus ejus quæ inseri potuissent, omissa sunt, rogastis enixius ut, quoniam circa eam diu versatus fueram, si qua ex mihi notis deesse cognoscerem, oportunis, sicut ordo exigeret, locis insererem, et insuper si aliqua in ea correctione indigerent, studiose emendarem. Audivi mandatum, suscepi imperium; et utique paratissime paruissem [1], si utile vel necessarium putassem. Relegi enim seriatim et attente totum descriptionis ejusdem textum, et non habens præ memoria quid inferrem vel adderem, nec inveniens in ea quicquam superfluum quod demerem, neque aliquid inepte positum quod corrigerem, omnia ut inveni sic reliqui, ne inferior superioribus me jactanter præferre viderer. Neque æquum duxi vestimentum decenter sutum discindendo, in scissuris [2] ejus panniculos rudes inserendo, plenitudinem integræ pulchritudinis de medio tollere, nec aliorum splendide perorata, mea minus culte dicta inconsulte [3] interponendo obnubilare. Nec enim adeo arrogans sum vel inhians jactantiæ, ut infirma et impolita mea alieno velim superponere fundamento vel colorare eloquio, neque juxta vulgare proverbium plumis undelibet collectis nuditatem corniculæ meæ intendam venustare. Notum autem esse cupio vestræ discretioni, quod tamen nescio utrum sciatis, cum totiens vos sciam de me et his quæ apud eas gessi cum Pinguessibus [4] sanctimonialibus habuisse sermonem; notum, inquam, vobis facio me, cum adhuc Pinguie commorarer, prædictam ejusdem sanctæ matris Hildegardis vitam rogatu et instantia multorum et præcipue domni Philippi Coloniensis archiepiscopi qui eam plurimum venerabatur, scribere inchoasse, et ab exordio nativitatis ejus usque ad tempus illud quo de inclusione Montis Sancti Disibodi egressa ad habitationem Colliculi Beati Roberti cum sociabus suis migravit, brevi multa perstringendo perduxisse, sed post obitum illius, fratribus meis, Gemblacensibus scilicet, me cre-

[1] *cod.* paruisse. — [2] *cod.* scisuris. — [3] *cod.* inconsolte. — [4] *ita corr., prius* Pinguessebus.

bris litteris et nuntiis adeo instanter revocantibus ut ipsum etiam abbatem ad me revocandum dirigerent, opus cœptum imperfectum reliquisse. Quomodo enim ad perficiendum intenderem, cum mihi reverso non longo post imposito regiminis duarum ecclesiarum officio, alterius in immensum oppressæ debitis, alterius prorsum duobus vastatæ incendiis, in tantam insufficientiam virium mearum pondus curarum obruerit, et sollicitudo negotiorum undique incurrentium totam mentem meam absorbuerit, ut lugere magis quam legere liberet, et discurrere pro causis necessariis, non scribendo vacare, expediret. Unde accidit ut accepta et lecta quam nuper misistis descriptione ejusdem vitæ, revera vehementer gauderem et Deo gratias agerem, eo quod a doctioribus [1] diserte satis et ordinate, et melius quam a me fieri posset, tum propter rerum oblivionem tum propter imperitiam, tum maxime propter eam quæ me sibi totum vendicavit occupationem. Sed de his et de aliis de quibus visum fuerit, quod expediet tractabimus, cum ore ad os colloqui poterimus.

[1] *cod.* doctoribus. *In quo præterea supple* illud opus exaratum viderem *vel aliquid simile.*

APPENDIX

AD

CATALOGUM CODD. HAGIOG.

CIVIT. NAMURCENSIS.

Ex codice Namurc. n° 2.

DE S. NICASIO REMENSI. (Vid. supra, pag. 487, 5° et 502, 62°.) (1)

Incipit Passio sancti Nichasii episcopi cum sociis suis.

1. Beatissimi Nichasii, Remorum pontificis egregiique Christi martyris, insignem triumphum recensentibus, sanctissimæque sororis ejus Eutropiæ inviolabilem constantiam cum observantia castitatis admirantibus, hodie nobis celebria prosperantur agonia, cum ex eorum meritis ac precibus ubique fidissima gaudentes præstolamur

(1) Codex signatus n° 2 in Bibl. Civit. Namurc. nihil aliud est quam *Lectionarium* seculi XIV ad usum chori in monasterio S. Huberti. Hoc jam indicant ea quæ in descriptione hujus codicis diximus (supra, p. 485) de foliorum quibus constat magnitudine et grandioribus litteris. Jam vero plures ex Vitis SS. quas continet, eædem esse inveniuntur cum Vitis quas exhibet (et quidem magis in extenso) codex 15 ejusdem Bibl., toto certe seculo antiquior. Quum præterea uterque codex allatus fuerit ex eodem monasterio, ex his colligimus codicem 15, quamquam pro lectionario fuit antequam conficeretur codex 2, nunc tamen potius accipiendum esse ut partem collectionis alicujus Vitarum SS. totius anni: et sicut notavimus codicem Namurc. 53 complecti Vitas SS. pro mensibus maio, junio et julio (supra, p. 505, ubi delendum *et Augusto*), ita codex 15 idem præstat pro mensibus octobri, novembri et decembri. Et quoniam de aliquo sancto in divino officio legebatur modo uno tantum die modo per totam octavam, ideo etiam dispescebatur narratio de ejus gestis pro numero faciendarum lectionum; et sic ratio redditur discriminis quod inter utrumque codicem intercedit. Nam etiam in codice 15 signo ad marginem posito indicantur omittenda quædam, quæ deinde in codicem 2 translata non sunt. — Proinde documenta inedita quæ in *Appendice* nostra vulganda polliciti sumus, quoties utrique codici communia sunt, malumus ex antiquiore illo codice 15 describere, cujus textus in codice recentiori non semper accurate fuit transsumptus. Hac ratione statim edemus quæ spectant ad S. Nicasium Remensem, ad S. Nicasium Rotomagensem, ad S. Silvestrem et ad S. Beregisum abbatem.

solatia. Cum enim adhuc decertantes pro Christo haberentur in terris, felicibus mundum repleverunt suæ sanctitatis exemplis. Nihilominus et modo in cœlestibus sublimati sedibus, sua imitatione dignos quosque feliciter erudiunt, et studiose seduleque ad perfectionem salutis tendentes continuis interventionibus evidentissime protegunt, atque a periculis imminentibus, præteritis etiam et futuris ubique defendunt. Infatigabili namque gressu beatissima virgo Eutropia, ob castitatis munitionem germanum suum sanctissimum imitando et assistendo semper sequebatur, ut et a spiritualibus nequitiis aliena, Domino servaretur puritas mentis, et a corruptione carnalium delectationum roboraretur debita integritas corporis. Assidua itaque utriusque in divinis cultibus habebantur pietatis obsequia, donec gravia vel periculosa persecutionum eis supervenerunt tempora.

2. Excolebat tamen verus Dei cultor Nichasius viriliter agrum sibi divinitus commissum in populo, et seminibus debitis importune secundum sanctum apostolum vel oportune abundantiam verborum Dei ministrabat sollicitus. Sed sicut sacra et evangelica discernit auctoritas, aliud cecidit secus viam, et aliud in petrosis et aridis, et aliud in spinis; aliud vero in terram bonam, et natum fructum reddidit multiplicatum. Ex quibus tamen omnibus, licet multi sint vocati, pauci vero electi, fuerunt tamen ipsius societatis quamplurimi sequaces Christi, qui cum eis repleti Spiritu sancto præparaverunt se ad coronam martyrii. Quidnam vero ad dissipationem Galliarum divinam indignationem excitaverit, ex revelatione angelica longe ante prænoscens, sodomiticam prosperitatem redarguendo, futuram internecionem provinciæ anxius pronuntiabat, quæ fit ex saturitate et otio, iniquo scilicet animæ morbo, vel ex avaritiæ concupiscentia, quibus carnalibus desideriis humana præcordia irretita miserabiliter captivantur. Hortabatur igitur suos greges anxius de dolendo pondere peccatorum quo deprimebantur, mori paratus pro omnibus, ut iram indignationis Dei ab ipsis averteret; aut certe invictam cœlestem clementiam spiritu humilitatis et animo contrito exorabat, ne usque ad animam, etsi temporalis, non tamen gehennalis perveniret gladius; quatinus erepti per pœnitentiam et per devotam constantiam purificatis mentibus, per inenarrabilem miserationum Dei multitudinem indulgentiæ perciperent largitatem.

3. Temporibus itaque cæsarum gentilitatis fœditate idolatriam sectantium, qui persecutionem in christianæ fidei cultores, ab apostolis cœptam, usque ad Constantinum cæsarem sacro baptismate renatum extenderunt, milleformis anguis hæretica pravitate integritatem sanctæ Trinitatis et fidei christianæ commaculabat, et sic usque ad consummationem seculi simulata falsaque fraternitate filios ado-

ptionis agitans, universæ perditionis cupidus, flagellare, scindere ac dissipare ecclesiasticam unitatem, quæ est in Christo Jesu, omnigenis adinventionibus anhelabat. Post cujus Constantini, præfati cæsaris augusti, in Christo regenerationem, cessante atrocissima persecutione quæ facta est sub prædecessore ejus Diocletiano, impio principe, paulatim sancta Dei Ecclesia optata quiete potita, crescere et multiplicari, ditari et gloriari in pacificis Dei cultibus cœpit. Quam securitatem non tantum feliciter adepta, quantum ab ipsa infeliciter decepta gallica Ecclesia, instigantibus versutiis diaboli, cœpit jocundari et epulari, propriisque delectationibus voluptuari. Quibus vitiis non abhorruit veram religionem negligere, præcepta divina postponere, vanitatibus inhærere, schismatica scandala suscitare, Deumque in his omnibus non erubuit offendere.

4. Et ecce subito eisdem prosperantibus temporibus, animositas durissimarum gentium commota ; scilicet Wandalorum multitudo, iram offensionis divinæ vindicatura, ad diversas provincias properando accelerat. Quæ, subversis munitionibus multarum urbium, gladiisque interempto humani generis utroque sexu, non aliam dignitatis gloriam aut aliud aliquid temporalium commodorum desiderare cernebatur quam humanum sanguinem haurire ac fundere. Sub hoc tempestatis turbine erant gloriosissimi viri Dei et in Galliis tunc præclarissimi, sanctissimus jam supradictus Nichasius, Remorum præsul, et beatissimus Anianus, Aurelianensium pontifex, magnis prodigiis, signis atque virtutibus insignes, qui suis meritis ac precibus hanc iram indignationis Dei diu differre decertaverunt, quatinus omnibus hæresibus et pravitatibus populi extinctis, et christianam religionem ad veram Dei culturam iterum per pœnitentiam revocarent, et tantam persecutionis atque damnationis offensam ab ecclesia avocarent. Itaque instantibus studiis et continuis prædicationibus utriusque populus Dei ad pœnitentiam sive patientiam atque ad triumphum martyrii provocabatur ; ut quos prosperitas noxia ad offensionis stimulum incitaverat, devota tolerantia adversitatis non ad judicium damnationis sed ad gratiam purgationis causamque fieret salutis. Pervenerunt igitur Wandalorum acies castra metantes circa Remorum urbem ; et, universa regione depopulata, neces christianorum inibi habitantium, utpote diis suis derogantium, avidissime desiderabant, atque eos penitus interimere atque de terra delere ardentissime ambiebant.

5. Ultimo itaque subversionis die, furentibus circumquaque adversariis ac fortiter prælio concutientibus urbem, terroris tædio universa civitas perculsa ad sanctissimum Nychasium in oratione prostratum cucurrit, auxilium consolationis ab eo petens et consulens quid utilius faciendum decerneret, si aut servituti gentilium se traderent,

aut certe pro salute urbis pro viribus dimicare usque ad mortem decertarent. Quo audito, beatus Nychasius sciens ex revelatione, ut jam dictum est, propter offensionem Dei urbem penitus subvertendam, respondit eis : *Pugnare pro salute non armis sed moribus, non fiducia virium sed munimine virtutum, non tantum corpore mortali quantum spiritu proficit vitali. Indignationem quippe hanc justo Dei judicio nostris sceleribus provocatam non ignoramus. Quapropter verum esse salutis consilium non dubitemus, si compunctum ad flagella divina convertentes animum, non violenter, veluti filii iniquitatis, sed magis patienter, ut filii pietatis, ut merito filii Dei nominemur et simus, devote suscepturi mortis periculum, nosmetipsos offeramus ad præsentem veniam, ne pro reatibus perpetuam damnationem incidamus, ut nobis mors præsens non supplicium sed remedium fiat. Ecce ego paratus sum quasi pastor pro ovibus animam ponere vitamque præsentem contemnere, ut vos mereamini ex repromissione vitam æternam percipere. Instantius etiam pro inimicis nostris exorantes, eis salutem exoptemus, si forte aliquando resipiscant ab iniquitatibus suis, ut, quomodo ministri videntur esse impietatis, possint adhuc fieri cultores sectatoresque veritatis.*

6. His dictis, sanctus Nychasius cum sancta Eutropia, germana sua, plebem Dei ad coronam martyrii excitabat; ipsique agonem victoriæ suæ Domino intrepidi commendantes offerebant. Quibus dum inter triumphalia studia impietas paganorum repente irruit, beatus Nychasius virtute Spiritus sancti repletus, comitante sorore sua sancta Eutropia, cum hymnis et canticis spiritualibus ad ostium basilicæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipse in arcem sedis ipsius urbis fundaverat, occurrit. Nam antiquitus cathedra episcopalis in ecclesia quæ *ad Sanctos Apostolos* dicitur, habebatur. Mox ergo ut ferreas acies vidit, manu silentium pacifica pronuntiatione indicens, ait : *O victricia arma, et utinam in Christo, o nutibus divinis ministra fortitudo, quare contra naturam humanæ conditionis victoriam dignitatis vestræ in rabiem convertitis? Nam veri juris titulus quondam nobilium bellatorum merito sic inscriptus erat, Parcere humilibus et debellare superbos. Ecce plebs christiana humilis ac devota, Deo suo in vestris conspectibus prostrata, remissionem peccatorum in isto regenerationis suæ loco ad mortem usque obediens expectat. Cum tempus acceptabile diesque salutis adhuc vobis arridet, pœnitemini et vos pro sceleribus vestris, Deum verum agnoscentes, cujus indignatione filios miserationis ejus corripitis, dum vitam eorum cum sanguine quotidie immolatis; ne forte indignatio ipsa quæ fit filiis ad correptionem salutis, vobis fiat stipendium tartareæ damnationis. Quod si verbum veritatis respuitis, et trucidare oves meas perseverante impietate quæritis, me primum pro ipsis victimam in holocaustum sumite; divinæ majestati*

sacrificium corporis mei libate, ut pastor cum ovibus dignus promissione cœlesti mereatur inveniri. His dictis, beatus Nychasius cum beata Eutropia, sorore sua, inter gladios persecutorum in oratione prosternitur, versum hunc Daviticum Domino pia voce depromens, *Adhæsit pavimento anima mea.* Igitur sequente ictu gladiatoris capite truncato, versum quem jam mediaverat, ab ore decollati ictus ferientis non intercidit ; sed magis immortalitatis sententiam quam petiit, subsequendo impetravit, *Vivifica me,* dicens, *Domine, secundum verbum tuum.*

7. Sancta vero Eutropia videns circa se tyrannicam impietatem mitigatam, et pulchritudinem suam timens libidinibus paganorum reservatam, super eumdem interfectorem sacerdotis insiliens, magnoque clamore redarguens : *Heu,* inquit, *crudelis tyranne, magnum Dei virum indignis manibus jugulasti, et me tibi quasi fidelem famulam abutendam miseratus reservas? Divina ergo te jam jamque damnans punit sententia.* Quem ita ad necem suam provocans, saltu repentino raptis palpebris, maligni interemptoris oculos non feminea virtute sed magis divina ultione evulsit; et sic confestim gladios persequentium durissimos incurrere quam delectationibus paganorum assentire maluit. Ilico enim sacro fuso sanguine, cum germano suo sanctissimo palmam martyrii, cetera plebe eodem modo ibidem triumphante, promeruit.

8. Nam furentes illi de audacia atque constantia virginis, atque subita ultione interfectoris sancti viri Nychasii attoniti, immutata miseratione qua propter pulchritudinem ejus decreverant ei parcere, atrociter in ea grassati sunt.

9. Itaque expleta cæde martyrii et totius urbis civibus in mortem occumbentibus, terror subitaneus persecutores omnes invasit. Quasi enim dimicantes cœlestes acies in ultionem tanti sceleris, magno horribilique sonitu personante ipsa ecclesia, viderunt hostes, et exhorruerunt, et omnis virtus eorum et barbara feritas repente elanguit. Relictis itaque spoliis urbis passim per compita, per devia, per abrupta, vindictam metuentes cœlestem, irrevocabiliter aufugerunt.

(Reliquam partem, quæ non est in cod. 2, vide in Append. ex cod. 15.)

DE S. SILVESTRO. (Vid. supra, p. 487, 8° et 502, 67°.) (1)

Qui cum pervenisset ad tricesimum ætatis annum, a sancto Melchiade episcopo diaconus factus, omnem gratiam transcendebat in clero.....

(1) Quoniam pars hic edenda communis est utrique codici Namurc. 2 et 15, describimus eam ex solo codice 15, ob rationem positam in nota p. 609, supra.

... Virginum Christi ita curam susceperat, ut monasteriis earum tricesimarium instrueret victum, ne forte necessitate compulsæ ignotorum solatia quærerent, et dum corpus relevarent, animam subjugarent. Si quis autem christianorum per fidem suam heredem fecisset ecclesiam, statim jubebat omnes affines venire, omnes servos inquiri ; et tunc universam consanguinitatem ejus ex facultate ecclesiæ dimissa, prout possibile erat, honorabat, omnesque servitutis vinculo exsolvebat, ita ut demum dominationem * ecclesiæ exercerent. Dicebat enim ideo heredem fieri ecclesiam, ut omnia quæ sunt justa et amabilia, ipsa disponat, ut sit gaudium videntibus quod in defuncti bonis ecclesia heres efficitur, et ad eorum requiem tam ordinanter fieri quorum vita defunctis solatium fuisse probabatur; ut sic auxiliatorem suum in ecclesia gauderent revixisse, quem se amisisse fleverant cum obisset. De legatariis vero quid memorem? Si enim non memoratos testamento hoc ordine, ut memoravimus, requirebat, quid de his æstimandum est quos sua commendatione memorasset. Sacrilegium dicebat esse facultates in hereditate tractas, nisi prius quæ jussa sunt a testatore, fuissent ex omni parte completa.....

* ita ut post donationem *cod. 2.*

DE S. BLASIO. (Vid. supra, p. 488, 14°.)

Loco primæ phraseos num. 3, ita codex : In diebus illis, accepto mandato a Licinio imperatore Agricolaus tyrannus ut præsideret Sebastiæ civitati, accepit etiam licentiam ut in christianam gentem tyrannidem suam effunderet, et nullam juris humanitatem consideraret; sed sacrilegium atque contra regis salutem conspirationem in eis puniret. Qui in sede præsidatus evectus plausu et favore ejus prælationi annitentium, in initiis suis sævitiam suam occultat, rabiem suam nullo latratu furoris eructuat; sed primum voluptate corporis effeminatur, cura carnis, gula, luxu et omnimodo lautioris cibi apparatu resolvitur. Unde jussit capi agrestes feras, quibus dum aliarum epularum satietas fieret, gloriam dignitatis suæ et copiam mensæ suæ, utpote ex silvatica præda, commendaret...

Deinde eodem numero, lin. 7, post vult esse : Nequaquam fortuna dominum nostrum præsidem suis muneribus ostendit indignum, cujus usibus quæsita venatio sine laboriosa venatorum indagine ultro se quærentibus offert. Appropiantes vero viri illi speluncæ, invenerunt beatum Blasium terræ decumbentem. Ea enim hora corde et ore Deo confitebatur; et si qua bestiarum aliquid imbecillitatis suæ nutu vel significatione ei demonstraverat, ejus incolumitatem impetraturus orando ad Deum accesserat. Quem orantem viri illi, quamvis secretum et hominum communione destitutum, quasi cum quolibet

præsente putaverunt verba conserere eaque sine aliqua interruptione indesinenter alteri immurmurare. Sed cum unum attenderent loquentem, non esse vero alterum qui responderet, hæc res admirationi eis fuit et timori. Admirabantur enim eum sic nullo respondente verba continuare, ut nec ad momentum cessaret nec aliqua mora in ipso cursu verborum subsisteret. Timebant vero in interiori spelunca aliquos sui defensores occultasse, ut, si quis eum exinde violenter conaretur abducere, illorum custodia tutus et contemneret obsidentes et conatus eorum per cohærentes sibi vindicaret adjutores. Unde retrorsum cito recursu repulsi, et injunctæ sibi venationis obliti, timebant etiam vix superesse horam vel spatium evadendi. Et reversi...

Eodem num. 3, lin. 14, post orantem *ita :* Sed, sicut illi superius, non adverterunt illum orantem, immo quasi alicui subjecto disciplinæ mandata tradentem, vel alicui compari suo contemptum deorum vel principum persuadentem, sive pluribus in interioribus speluncæ latebris delitescentibus robur et constantiam ad repugnandum imperatori sive præsidi verbis exhortatoriis administrantem. Qui confidentes multitudine constanter eum his verbis aggrediuntur: Egredere...

DE S. GEORGIO. (Vid. supra, p. 488, 21°.)

Sanctorum martyrum laudes non sunt omittendæ, qui rosei cruoris effusione consecrantur; nec sunt tacenda præconia eorum qui inter tormenta fidem Christi constanter protestantur. Horum triumphantium gloria Christus est, quo donativum nullum præmium excellentius, nullum præconium celebrius est. His per Christum mundus succubuit, cum quidquid mundanum erat, in eorum cordibus contemptibile fuit. His terrena potentia servivit, cum de errore suo compuncta coram ipsis erubuit; vel eis salubriter prospexit, cum in errore suo indurata eos per tormenta discussit et vitæ æternæ transmisit. Ut ergo præmissum est, eorum laudes vel triumphi non sunt omittendi. Quin libris aut memoriæ cordis inscribantur, ut in lectione cognoscantur et memoria teneantur, et etiam imitatione demonstrentur et beneficiis sentiantur.

Erat igitur quidam rex paganorum, nomine Datianus, qui diabolica ambitione arreptus, omnes quas potuit provincias, suæ ditionis imperio subdidit. Unde contigit eum potestatem habere super reges, principatum super præsides, imperium super exteras nationes, regalem eminentiam super singulas dignitates; et præter deorum omnipotentiam nullum dominum a sui subjectione voluit excipere. Solos deos passus est in suæ dignitatis statu remanere; et quia eorum misericordia ipse regnaret, pari vicissitudine annuit eis, ut suo

munere ipsi honorabiles ad reverentiam omnium in sua divinitate durarent.

Quapropter execrabilia in omne regnum suum jussit accelerari jussa, ut ad venerationem deorum universus populus omni cum festinatione adveniret, quatinus fidelitatem et subjectionem quam juraverant ejus potestati, confirmarent professione unius religionis, et ipse rex securus esset fidei et timoris eorum, si astrinxisset eos fide et timore deorum suorum. Sedens pro tribunali, astante universo populo qui ex diversis civitatibus veniebat et septuaginta duobus regibus, præcepit ministris quibus hoc officium commissum fuerat, afferre diversa genera tormentorum quibus afficerentur atque damnarentur omnes qui in Christum se credere faterentur. Et cum allata fuissent, Datianus, fremens ut leo, exclamavit dicens : *Omnis qui non curvatis genibus venerabiles deos meos adoraverit prostratus, his pœnis eum faciam interire; ita ut linguam ejus, quæ in deorum meorum exprimendis convitiis vocem informat, radicitus abscidam ; oculos, qui deos meos non ut sacra numina contemplantur, sed ut monstra aspernantur, effodiam; aures, quæ in audiendis deorum meorum contumeliis patuerunt, in audiendis vero eorum præconiis obsurduerunt, membratim evellam.* Simili modo præco per plateas circuiens, emissa voce clamabat ut unusquisque in suis diversoriis deos deasque erigeret, et eis immolaret. Talibus igitur minis cuncti timore perterriti, derelinquentes Christum, immolabant idolis; et magis magisque diabolus suis argumentis insistebat, quemadmodum innocua pectora suis laqueis irretiret.

Tunc in medio eorum apparuit sanctus et verus Dei cultor Georgius, Cappadociæ regionis genere ortus, civitatis quoque suæ comitatum gerens super numerum militum multorum; qui a suis, videlicet primis civitatum suarum, summam pecuniam acceperat, quo posset a Datiano imperatore præmio et munere oblatam dignitatis infulam et consulatus adipisci gradum, eo quod suæ patriæ mitis, veridicus docibilisque rector haberetur. Qui aspiciens ex omnium provinciarum populis coram impio Datiano innumeram multitudinem astare, Dominum blasphemantem et dæmones adorantem, ambiens majorem et honestiorem dignitatem, quæ non pecunia sed sanguinis effusione comparatur, omnem pecuniam quam secum attulerat, egenis distribuit; et exuens se chlamyde terrenæ dignitatis, balteo se salutis circumcinxit et lorica fidei induit; crucis etiam vexillo protexit ; jubareque sancti Spiritus illustratus et spiritualis fluenti calice mundatus, sic erupit sub conspectu Datiani imperatoris, dicens : *Omnes dii gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit. Cæcavit autem diabolus oculos diffidentium, ut non cognoscant factorem cælorum, Dominum nostrum Jesum Christum. Nam dii tui, imperator,*

opera hominum sunt; aurea et argentea, lapidea et lignea, deorum simulacra sunt; quæ, sicut non sunt sine auctore, sic non subsistunt sine custode. Etenim a custodibus jugi vigiliarum custodia servantur, ne quo nocturno silentio subripiantur a furibus. Qui etiam dispereunt a facie Christi, et permanent in inferno cum dracone antiquo. Nos autem christiani in Deum vivum et verum credimus, et colimus qui fecit cœlum et terram et omnia quæ cœlo et [terra] continentur, quique habet potestatem in cœlo et in terra; hunc adjutorem quærimus, eumque salvatorem confitemur, viventem et regnantem in secula seculorum. Amen.....

DE FESTO S. PETRI AD VINCULA. (Vid. supra, p. 489, 29°.)

Hujus diei observantiam a ritibus gentilium mutuata est Ecclesia fidelium. In evangelicum enim piscatorem qui primus sedit præsul Romæ, transivit ab Augusto Cæsare, qui dejecto incestuoso cum copiis suis Antonio, et lactata a serpente Cleopatra, victor potitus Alexandria, victrices Urbi aquilas reportavit, et cum victoria suscipi meruit. In tantum autem opibus Alexandriæ Roma aucta est, ut duplicia quam usque ad id fuerant, possessionum aliarumque rerum venalium pretia statuerentur. Hinc sextilibus kalendis coronata solemnizabat civitas diem victoriæ quotannis; ponitque sextus mensis denominativum numeri, et ab aucta republica a Cæsare, dictus est Augustus. Quodque in gratiam tanti principis magna opimatum ambitione longa ætate senuit, et ad imperium Archadii usque permansit. Archadii autem de medio facto, Eudoxia viduatum brachio Christi imperium sustinuit. Quam cum pene nullum virtutis transiret vestigium, etiam Hierosolimam sanctæ intentionis ardore pervecta est. Ubi et pio voto faciem dedit, et optatis potiora ei gratuita Dei pietas adjecit. Namque plures romanæ majestatis reverentia cum ei fecissent diligentiam, quidam.... catenas. Erant autem hæ quibus Petrum post Pascha producendum vinxit in carcere, quas angelus vultus sui igne et verbi sui clave disjecit. Has venerabilis Eudoxia romanis opibus intulit gazas, medelæ largas curationum scias. Videns vero copioso togatæ plebis apparatu ob victorias Cæsarianas sexti mensis ornari initia, volebat ne tam superstitiosa insania lactentem christianæ Ecclesiæ violaret infantiam. Sed quia non de facile constitisset curiæ sententiam et primatum evertere industriam, egregie concepit ut eadem observantia sic staret, sed potiori nomine militarent. Nec distulit femina virtutis habitum cœlitus inspirati prodere Romanæ sedis præsuli. Replicat proinde preces, ut Cæsariani plausus vesaniam apostolica feriat sententia et interimat. Et heros quidem est jamdudum eodem adeptus voto, sed timebat rudi

Ecclesiæ, si iret contra torrentem tendere. Eudoxia autem venerabilis ad confessionem delati ab Hierosolimis thesauri pervenit, et finem oratoris fecit. Ingreditur denuo sermonem quoniam et sub Neroniana.....

EX VITA S. BEREGISI. (Vid. supra, p. 491, 42° et 496, 5°.) (1)

Num. 21....primordio sumpserat. Quia enim rustico verbo fons sub feminino genere enuntiatur, inde contigit ut hujus fontis vocabulum sub eodem genere inditum pronuntiaretur, scilicet hunc *Andainam* appellantes; hinc derivato nomine, monasterii situs Andainus est vocitatus. Quod nomen si intellectuali examinatione discutitur, quamdam mysterii gratiam in se continere videbitur. Duo namque in eo præclara huic quoque loco satis congruentia advertuntur. Primum, quod proprie latinitas habet hoc vocabulo nuncupari stragem illam fœni quæ, secantis falce incisa, ipso ordine quo dejicitur a sole exurenda relinquitur. Nonne id sub oculis omnium nostrum quotidie agitur? Videmus etiam quia, si hujus acervi pars aliqua gurgiti inhærens, solis æstu urente licet decisa minus arefacta fuerit, intra septa domus qua fœnum servandum colligitur, admitti omnino caveatur; quod autem plenius exsiccatum vel magis excoctum fuerit, jocunda alacritate festinanter domui intromissum reconditur. Hæc ergo quam congrue monachorum digne conversantium vitæ aptentur, liquido apparet. Quid enim falcem nisi verbum Dei dixerimus? Vivus est enim secundum apostolum sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. Quod dum virtute divinitatis terrigenam in cœlitem * commutat, quasi originali radice naturaliter progenitum secat. Et præcipue hoc illis contingit, quorum votum est per carnis macerationem ab voluptuoso humore ingenitæ viriditatis arefieri et inter cœlestis horrei frumenta transplantatos pullulari. Sed hoc illuminatione cœlestis lampadis et non propria fit, quia ipse dixit : Sine me nihil potestis facere. Sed necesse est, ut ne qui post excisionem asperam ad fluxa iterum et mollia se inflectant; quia hujus veri solis calore non poterunt exsiccari, si ipsi se in paludibus lenociniæ rursum patiuntur sepeliri. Igitur quia hæc solitariam vitam ducentibus vel maxime contingunt, digne hic locus illius rei vocabulum sortitur, cujus similitudinem spirituali quodammodo effectu retinens ita exercetur.

* *codd.* cœlibem.

Item hoc nomen si cum origine vel expressione græci sermonis conferatur, non minori gratia redundare videbitur. Græci enim *adon*

(1) Quoniam pars hic edenda communis est utrique codici Namurc. 2 et 15, describimus eam ex solo codice 15, ob rationem positam in nota p. 609, supra.

suavitatem dicunt. Eadem quoque lingua *nus* dicitur sensus. Quod utrumque junctum *adonnus,* id est suavitas sensus exprimitur. Nomen autem monasterii Andainus. Nonne ita sonat quasi græce dicatur *Andonus?* Qui locutionis seu conferentiæ modus non a nobis nunc rudis ponitur, sed jamdudum constat multorum auctoritate roboratus, ut apud Fulgentium *itemtalia,* veluti dicatur *thytonlia,* id est ponens germina. Et innumera alia et apud ipsum et apud alios reperiuntur hujusmodi, unde probare possumus non incongrue nos hanc consonantiam posuisse. Hoc ergo græcum *Adonnus,* id est suavitas sensus, hujus loci vocabulo quod dicitur Andainus, ut sono ita significatione congruit, scilicet quia ille locus suavitate aquarum ubertim irrigatus fecundatur. Recte enim suavitatis nomine irrigatio designatur, quia quando solum rigatur, ideo agitur ut dulcedine humoris fructus excrescat radicati germinis. Aquarum vero nomine sensus humani cordis aliquando significatur, quoniam sicut aquarum decursus immobiliter nullo in loco valet contineri, ita sensus humanus non potest immobilis ullomodo consistere. Mens namque hominis, ut beatus papa Gregorius exponit, more aquæ laxata per diversa spargitur: si autem cordis sinu circumclusa fuerit, ad superiora colligitur. Quapropter quod de irrigatione terræ animalium usui præparatæ corporaliter fit, terræ quæ ex origine Adam procreata mundum implesse videtur, rationabiliter congruit. Numquid enim ante conditoris oculos tantum valet quod tellus transitoriis* abundantia aquarum fecundatur, quantum quod terra ad imaginem sui vivificata, salubribus incrementis proficiens, bonorum actuum, hoc est fructuum, ubertate augetur? Non immerito, *etc. ut in editis (cfr. supra, p. 491).*

* *sic cod. pro* transitoria *vel* transitorie.

(De sancto Nicasio Rotomag. vid. in Append. ex cod. 15, 15°.)

Ex codice Namurc. n° 15.

DE S. PIATONE. (Vid. supra, p. 495, 1°.)

Incipit Passio sancti Piatonis martyris.

Igitur venerabilis Piaton in Beneventi finibus magna ortus fuit prosapia. Qui tempore imperatorum Diocletiani et Maximiani consociatus sanctissimis martyribus in urbe Roma, Dyonisio, Quintino, Lucio, Luciano, Albano, Crispino et Crispiniano et aliis quamplurimis, sacri martyrii palmam et in nostri Salvatoris ablutus sanguinis fonte adeptus est perennis gloriæ lauream. Igitur cum impiissimus cæsar Maximianus hoc tyrannicum edictum dedisset, ut christiani qui diis non immolarent, capitalem subirent sententiam, per omnes

provincias executores constituit proditores, ut si quis eorum christianum quolibet loco adesse cognosceret, ejus præsentiæ omnimodis nuntiaret. Erat enim... solatia *(ut ponitur tom. cit., p. 25 init. Deinde :)*

Eodem itaque tempore supradicti martyres urbe Roma pariter egressi, Gallias adierunt, Dominicæ memores jussionis, Si... in una civitate,... et ut nobis patientiæ suæ præberent exemplum, et effusio sanguinis ipsorum nobis fieret documentum virtutis. Beatissimus itaque Piaton a beato Dyonisio presbyterii sumpsit officium, et Tornacensem urbem cursu properavit intrepido. Sanctus vero Dyonisius... *(pergit codex ut tom. cit., p. 23, num. 4)*... Sanctus igitur Piaton mox ut Tornacenses penetravit fines, cœpit Christi evangelium... qui unum Deum invocantes Patrem ingenitum... Spiritum sanctum vero... crederent, et ab idolorum cultura sacri baptismatis unda emundarentur, ut cordium suorum tenebris sempiterna luce depulsis a morte perpetua eruerentur. Cumque sanctus vir die noctuque hujuscemodi verbis cunctum populum admoneret, et ejus fama sanctitatis regiones finitimas replevisset, cœperunt multi a dæmonum cultura recedere et Christum Dei Filium pro totius mundi redemptione per uterum sanctæ Virginis ad terras venisse puris pectoribus credere et confiteri. Cumque, ut supra diximus, impiissimus cæsar... *(Cfr. cum his usque ad voces :* Dum ergo, *tom. cit., p. 25 e, f)*... sævissimam persecutionis rabiem ebullisset, nuntiatum est ei... Piaton urbe Roma egressus esset... ostenderet. Quo audito, præcepit... Quem inventum ad suam audientiam præsentarent, ut gladio feriretur... accepta, cum regiones et civitates finitimas perlustrantes, beatissimum Piatonem quæsitum non invenissent, pervenit ad eos... æterni regni... rabida indignatione accensi Galliarum penetrant fines, non desistentes ab ejus insecutione, donec venerunt ad civitatem cui Tornacus nomen est : quæ a Nerone et Romanis secundo anno imperii sui fuerat fabricata ; in qua sanctum virum Piatonem populum docentem reppererunt. In quo loco caterva populorum plurima sancti viri jam erat admonitione conversa... superstitione abjecta... conversam gaudebat... una lætantis... Dum ergo sanctus vir doctrinis insisteret et populum ab errore converteret vanitatis, elevatis paululum oculis, persecutores suos eminus venire conspexit. A prædicationis tamen suæ verbo non destitit, sed salubribus... *(pergit ut tom. cit., p. 23, n. 5)*... Dominus meus... retributor esse dignatur. Vos itaque, carissimi filii... *(ibid., num. 6)*... revocare æterna; ut grex qui patris eruditione veræ fidei manus dedit, ejus etiam exemplo similem patris sustineat censuram judicii. His itaque dictis, elevatis oculis et puris manibus extensis in cœlum, dixit : Gratias tibi ago... *(ibid.)*... martyrum tuorum, Quintini... vel aliorum multorum... in eorum me numero... facere sempiternum... et in cœpta re... ut in opere divini

ministerii martyrii sui impleret cursum. Cui occurrentes impii persecutores... *(ibid.)*... directi, ilico apprehendentes sanctos Dei, socios illius coram obtutibus ejus... *(num. 7)*... effusione sui sanguinis... Piatonem persecutores cum ira... decreta contemnant? Sanctus Piaton respondit : Licet... aures idolatria surdæ... Deus ante secula et verus homo... a solo Patre... procedens ; tres personæ... humanos miserata excessus... ibi esset gratia major... *(Num. 8.)*... stimulis pungebantur... tempus invitabat... ad mortem te invitat loquacitas... Sanctus Piaton... in regenerationis sacri baptismatis unda Piaton... patet, cui solummodo secundum apostolum vivere Christus est et mori lucrum. Tunc milites... seductor es et deorum contumax comprobaris, quando et vana quæque... providere senectuti. Sanctus Piaton... nec... nec...

(Num. 9.)... Cumque ab eis victus et admodum flagellatus teneretur... imbecilla... caput ejus abscidit. Cumque sancti viri... et multitudine vulgi... in ætheris sede... et confratrum tuorum consortio perfruere beatorum. Hoc autem factum est diei hora quasi tertia, Kalendas Octobris, exultantibus cunctis fidelibus et ejus triumphum debita laude prosequentibus. Viri autem loci illius qui beatissimi viri fuerant... *(Num. 10.)*... et sanctum cadaver linteaminibus mundis obvolventes cum aromatibus, sepelierunt in monumento novo nullius hactenus funeri adaperto. In quo loco... obtinebit. Quod dum terræ sinu reconditur, cunctos in opera fossionis accinctos, cunctos in deponendo corpore incurvatos suavissimus odor aromatum perfudit, dixeruntque ad invicem : Quidnam sibi vult quod tali odore perfundimur, ut nihil nobis suavitatis deesse credamus? Quanto autem amplius loquebantur, tanto amplius ipso odore reficiebantur. Tunc prostrati in terram... clamabant dicentes... Piatone didicimus... fuerant per sanctum Piatonem... *(Num. 11)*... ægri venientes sanantur... claudi curantur... exaudiuntur vota precantium. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

DE DUOBUS EWALDIS. (Vid. supra, p. 495, 8°.)

Exordium est hujusmodi : **Incipit Passio duorum Ewaldorum presbyterorum et martyrum.**

In Germania plurimæ noscuntur esse nationes : Brittones, Angli, Saxones, Fresiones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Bructuarii. Sunt etiam alii perplures iisdem in partibus populi, paganis adhuc ritibus servientes. Ad quos venerabilis et cum omni honorificentia

nominandus famulus Christi Willibrordus, circumnavigata omni Brittannia venire disposuit, si quos forte ex illis ereptos satanæ ad Christum transferre valeret. Proposuit enim animo pluribus prodesse, id est in isto opere apostolico verbum Dei aliquibus earum quæ nondum audierant, gentibus evangelizando committere. Itaque cum illo advenisset, comitantibus cum illo viris sanctis et in hoc sancto opere valde industriis numero duodecim, in quibus ipse presbyterii gradu et merito præfulgebat, divertentes...

Finis autem: Primis sane temporibus adventus eorum in Fresiam, mox ut datam sibi a Pippino principe licentiam ibidem prædicandi Willibrordus accepit, acceleravit venire Romam, cujus sedi apostolicæ tunc Sergius papa præerat, ut cum ejus licentia et benedictione desideratum evangelizandi gentibus opus iniret, simul et beatorum apostolorum ac martyrum Christi reliquias se sperans accipere, ut dum in gente cui prædicaret, destructis idolis ecclesias construeret, haberet in promptu reliquias sanctorum quas ibi introduceret, quibusque ibidem depositis consequenter in eorum honorem quorum essent reliquiæ, singula quæque loca dedicaret. Sed et alia perplura quæ tanti temporis negotium quærebat, vel ibi discere vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cum suo voto paruisset * effectus, ad prædicandum rediit. Postquam vero per annos aliquot in Fresia cum sociis suis docuit, Pippinus favente omnium consensu misit eum Romam, postulans Sergium papam ut eidem Fresionum genti ipsum ordinaret episcopum. Quod ita ut petierat, impletum est. Ordinatus est itaque in ecclesia sanctæ martyris Ceciliæ natalis ejus die, imposito sibi a memorato papa nomine Clementis. Ac mox remisso ad sedem episcopatus sui, donavit ei Pippinus locum cathedræ episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum verbo *Wiltaburg*, id est oppidum Wiltarum, lingua autem gallica Trajectum vocatur. In quo ædificata ecclesia, reverentissimus pontifex longe lateque verbum fidei prædicans, multosque ab errore revocans, plures per illas regiones ecclesias sed et monasteria nonnulla construxit. Nam non multo post alios quoque in illis regionibus ipse constituit antistites, ex eorum fratrum numero qui vel secum vel post se illo ad prædicandum venerant, ex quibus jam aliquanti dormierunt in Domino. Ipse autem Willibrordus cognomento Clemens adhuc superest, longa jam venerabilis ætate, utpote tricesimum sextum in episcopatu habens annum, et post multiplices militiæ cœlestis agones ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans.

* *cod.* patuisset.

DE S[ta] FIDE. (Vid. supra, p. 496, 10°.)

Incipit Passio sanctæ Fidis virginis et martyris.

Igitur post venerabilem dominicæ resurrectionis triumphum atque ineffabilem ejus ad cœlorum alta nube famulante ascensum, apostolica prædicatio per quadrifidi mundi climata cœpit evolare, cultumque divinæ religionis ablatis fanatici erroris superstitionibus passim diffundere. Quæ ab utriusque sexus ad æternæ vitæ participationem præordinatis prompta sinceritate suscepta, per varias hujus idolatræ mundi contumelias difficillime æterna meruit pertingere ad præmia. Erat enim vesana gentilitas tanta obnubilata ignorantiæ caligine, ut relicto omnium conditore mutis ac fusilibus simulacrorum effigiebus cum summa veneratione studebat litare; jugeque sacrificium offerens, hujus vitæ commoda per eorum indulgentiam credebat sibi cœlitus administrata obtinere. Eos namque rectores facultatum suarum votis supplicibus advocabat, deosque immortales ac universæ mundi fabricæ dominatores cæca mentis opinione credebat. Unde serpens antiquus diabolus magno repletus gaudio, regnum suum per omne mundi spatium constituit, suoque dominio mancipavit. Scenicis ac theatralibus ludis miserorum corda illecebrose decepit, vanisque cerimoniis omne genus humanum in mortis chaos miserabiliter præcipitavit. Et ut tantæ cladem perditionis liberius in populum exerceret, principes totius mundi tanto malignitatis veneno imbuit, ut etiam ipsi membra diaboli et ministri sacrilegorum rituum penitus effecti, ab ejus fatali studio nullatenus discreparent. Hi namque veluti hostilem immanitatem urbium lapsus intentantes, redemptoris Christi nomen a suis finibus toto virium annisu expellere conabantur, sanctæque fidei optabile * sacramentum tanquam mortiferum virus omnes uno assensu, pari consilio detestabantur. Diabolicæ fraudis monstra et humanæ artis sculptilia venerantes, omniumque libidinum perniciei * libenti animo deservientes, nullomodo tantæ reverentiæ fieri volebant cultores. Salvatoris vero adventum judaico more pro nihilo ducentes, prophetarum vaticinia veluti neniarum carmina parvipendentes, ab omni salutiferæ redemptionis gratia sese reddebant extorres. Tantus enim hujus mundi amor corda gentilium inextricabilibus vinculis implicabat, ut nullam præter hanc præsentis vitæ sperarent adipisci gloriam; et ideo gregem Christi fidei opulentia ditatum, odio execrabili impugnabant miserisque calamitatibus fatigabant, perque fissuras rupium, per angusta latibula scopulorum ac per devia solitudinum furibundo spiritu insectabantur.

* *cod.* aptabile.

* *cod.* perneciei.

Sed dum hæc tam dira crudelitas in sanctos Dei passim sævius grassaretur, Diocletianus et Maximianus, viri omnis impietatis scelere imbuti, ad romani imperii regimen aspiraverunt. Qui omni versutia diabolicæ ferocitatis præditi, christiani sanguinis supra modum humanæ naturæ semper exarserunt. Qui ut suæ impietatis dignum complicem obtinerent, Dacianum quemdam, in universæ malitiæ sævitia ipsis non infimum, elegerunt, quem ad hoc nefarium opus exercendum occiduis partibus prætulerunt. Cujus tyrannide multi exterriti, urbes et vicos deseruerunt, et in præruptis montium speluncis pavitantem vitam protexerunt. Ibi rei eventum præstolantes, postea cœlesti inspiratione perfectius succensi, tormenta carnificum præoccupaverunt ad coronam præcipites.

Sicque factum est ut, peragratis Hesperiis locis, jugisque Epirorum ac Cyrræ superatis, Agennensem urbem tyrannus ille intraret, ac municipes hujus urbis ad sacrificandum idolis præmisso præcone compelleret. Ad hujus ergo tam præclaræ tamque opinatissimæ urbis mœnia dum sævissimus ille supradictus tyrannus accederet, apparitores convocavit, arisque ac delubris nefarium thymiama adolere præcepit. Denique plurimam victimam diis immolans, in exemplum omnium ipse primus ante omnes Tarpeio Jovi prima libamina dicavit; post quem sacra orgia Tymbreo Apollini accumulans, Evhoio patri sua triaterica libavit. Denique recenti mola cuncta altaria imbuens, pinguis abdomen porcæ loco thymiamatis * in odorem suavitatis cremavit, festumque carmen vitta atque infula ipse sacerdos deorum claris vocibus intonuit. Quibus peractis, omnis astans multitudo eodem studio accingitur, natuque majoribus talia vota persolventibus tota subjecta plebs hujus cerimoniæ debitum gaudet divis peragere cernuis mentibus. In hujus enim crudelissimi tyranni adventu, tota urbis multitudo attonita commovetur, fana sceleratis hostiis ornantur, mensæ deorum ac pulvinaria variis artocreis summa fartorum atque archimagirorum diligentia opipare conseruntur; similagines artocoporum labore niveum candorem retinentes præferuntur, auroque ac gemmis ponderosa vina fundunt toreumata, quæ immensis labris dodoneisque carchesiis miro opere antiquam deorum progeniem referentibus mensis coronantur. Quorum nimietate convivæ crapulati, more bachantium perstrepentes, creatorem omnium Deum falsis blasphemant subsannationibus. Quos sævus ille carnifex dignos judicat præmiis, Christique cultores funestis minatur suppliciis. Sicque per omnes vicos et plateas urbis lictores dirigens, servos Dei in unum aggregari jussit, quibus diversis tormentorum quæstionibus ad mortem cruciatis, cetera plebs metu correpta christianæ religionis dogmata velut mortifera respueret venena. Cujus edictum mox crudele prævenit et factum. Sed, ut jam præfati sumus, in

* *cod.* timiamitis.

adventu hujus nequissimi judicis omnes christiani quamvis modici metu mortis graviter perculsi, diversa latebrarum diverticula petentes, vitam suam ibi protrahebant ingratam. Quibus vero ita latentibus, sola Deo amabilis et gloriosa virgo Fides a ministris sævi tyranni inquiritur, ut ad tribunal ipsius judicis citissime protrahatur. Hæc denique gloriosissima virgo Fides, Agennensium...

DE S. VICTORE. (Vid. supra, p. 496, 14°.)

Incipit Passio sancti Victoris et sociorum ejus CCC. XXX.

1. Cum omnis homo per morsum vetiti pomi lapsus, vanæ et mortiferæ dæmonum culturæ deditus, quotidie ad interitum duceretur, pius Dominus Filium suum, quem ex se ante luciferum genuit, de cœlis in hunc mundum misit, ut per eum ipse quem ad imaginem et similitudinem suam formavit, a periculo tantæ perditionis redimeretur. Ergo hic Dei Filius hujus rei necessitate humiliatus, de utero sacræ et immaculatæ Virginis est nostra fragili carne velatus. Ætate provectus crucis sustinuit cruciatus, ut, sicut suum plasma ceciderat dulcedine letiferi victus, sic resurgeret amaritudine passionis ipsius. Igitur pro nobis est mortuus, pro nobis est sepultus ; mortuus resurrexit, nos de morte ad vitam relevavit, astantibus discipulis ad Patrem ascendit, nos secum ituros promisit. Paraclitum Spiritum, sicut prædixit, ipsis suis discipulis, ne eos orphanos relinqueret, legavit. Hujus enim Spiritus consolatione multi adplene confortati, per orbem terrarum nomen Domini cum fide diffamavere, ægros sanando, mortuos ad vitam revocando, dæmones ab obsessis corporibus expellendo, sicut ipse suis fidelibus promisit, dicens : In nomine meo ejicient dæmonia, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eos nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Insuper fide Christi roborati, omnium genus tormentorum subiere, ejusque testimonium perhibentes moriendo superavere, sicque ad æternam patriam, Deo gratias referentes, cum gaudio pervenere.

2. Igitur dum a talibus agricolis per multas regiones semen divini verbi, Christo præeunte, fructificaretur, quædam pars versus partes Orientales cecidit, quæ cœli rore bene alta fructum centuplum persolvit. Nam hujus fructus pane gens non modica adplene saturata, turpissimorum deorum diruunt profana. Concutiuntur Juppiter et Hercules, Apollo et Phæbes, Vulcanus et Neptunus, Mars et Æsculapius. Insuper ipsa meretrix Venus et Juno fraternos perpessa concubitus, et quidquid immundum aut vanum illic reperitur, pro desiderio

puri ac veri Dei a fidelibus christianis funditus diruitur. At christiana religio supra montis cacumen ab ipso Domino plantata, deque supernis imbribus irrigata, germinat, surgit et floret; crescit, extenditur et pollet; pullulat, multiplicatur et viget. Ergo quia oriens ex alto plebem suam visitavit, maxima pars Orientalis populi, despectis idolis, trinum et unum Deum tenet et colit.

3. Contigit ergo ut quidam de Galliæ partibus insidias pararent Romano imperio. Quibus Maximianus cæsar repugnare molitus, ex omni terrarum orbe militares commandat exercitus. Nam eo tempore totus mundus sub Romana degebat potestate et, velit nolit, jussiones principis ejusdem urbis exaudit. In Galliis ergo superbus hostis vehementer urget, et ne refugium necis sibi in castris acquireret, cogitur a principe exercitus, ut ab omni parte congressum maturet. Igitur ex confinibus Orientalis plagæ multi invitantur hoc nomine, licet abluti fuissent sacri baptismatis aspersione. Hi, ut quæ erant Cæsaris, Cæsari, quæ autem Dei, Deo persolvant, Romano imperio commoti, sumptis armis bellicis adventabant; sed concordes animi eorum intus fidei clypeo muniti, omnia hostis incitamenta minime dubitabant.

4. Cum his clarissimus Victor accedens, inter suos tanquam stella matutina radiabat, sed in virtute morum et actuum clarior fulgebat. Erat enim vir timens Deum, ejusque mandata semper observans, dives possessionum ac familiarum, adjutor orphanorum, refector pauperum, solamen desolatis, levamen lapsis. Qui, quia nomina sanctorum scripta sunt in cœlis, a fidelibus cunctis merito veneratur in terris. Tali nomine fit in corde dulcis, in lingua affabilis, in audiendo amabilis, in retinendo mirabilis; maxime quem Deus ad tantam palmam martyrii destinarat, merito tanto nomine Victoris pollebat. Et hoc nomine laudis utitur, qui devicto hoste victor gloriatur. Nec quisquam ceteros collegas hoc dignitatis nomine minus pollere dubites, cum fuerint omnes triumpho martyrii victores. Igitur congregato milite in confinibus Galliarum, Romanus princeps cum suis adveniens, constituit ut legati ad immolandum Marti sacrificium, qui deus belli apud ipsos paganos tenebatur, ac ceteris idolis exercitum monerent, quatinus eventus belli sibi dato responso indicarent.

5. Quod nefandum nuntium dum a portitoribus in auribus Christi militum personuit, o quanta indignatio versis vultibus in prorumpendo sermone linguas eorum coartavit? Ut tandem reversi, hæc intra se referebant, dicentes : *O quanta ignavia regis sapientis ut quos ipsi conspuimus, quos ipsis manibus eruimus, quos ipsis calcibus contrivimus, eis iterum versa vice genua flectemus, colla humiliabimus? Certe præstat optatum, ut priorum exempla sectantes propriis gladiis pro Dei Filio transverberemur.* Hoc ergo sapiens Victor ac ceteri

principes accipientes, sapienter regis nuntiis respondere : *Nos imperio Romani principis huc convenimus, et ad tuendam rempublicam in hostes ire parati sumus; sed quia trinum et unum Deum colimus, pro salute animarum nostrarum idolo Martis ac pluribus diis minime sacrificamus.* His auditis superbi nuntii ac nimio furore accensi, sanctis principibus tale reddidere responsum : *O insensati, quæ ignavia vel magica ars vos corripuit? Per omnes deos, nisi præcepta ipsa imperatoria observetis, diris tormentorum suppliciis puniemini.* Quod dum Christi milites percepissent, Dei virtute confortati taliter respondere : *Nos sani sensus sumus, neque arte magica venenati sumus; sed, ut prædiximus, quia Jesum Dei Filium credimus, vanos et mutos deos non adoramus. Non, si vinculis coarctaremur, si verberibus duris affligeremur, si in carceribus truderemur vel si ignibus cremaremur, et etiam si morti traderemur, quæ varios tyrannorum confundit cruciatus.* Ilico nuntii ad regem revertentes, quidquid invenerant, retulere.

6. Cum ergo de militibus Christi in ejus auribus personuisset, ingenti insania diu agitatus, quasi leæna perditis catulis turget, furit, dentibus stridet, et tandem proprio furore victus, legatos iterum adesse jubet, repetens ut quod ipse gluttierat, iterum evomant : *Dic, miles, dic iterum quid ipsi perditi nobis remandent.* At illi : *Optime princeps, in hostem se paratos ire, si jusseris, asserunt; sed, quia Jesum quem Judæi cruci affixerunt, colunt, deo Marti et ceteris diis immortalibus non sacrificabunt. Insuper ipsos vanos ac mutos affirmantes, se magis mortem subire velle testantur quam ipsos adorare. Quid cuncta, rex, retegemus? Ut his finem demus, quos suis manibus comminuere, quos pedibus calcavere, nunquam se eis cervices velle humiliare.* Vix isti verba finierant, et demens rex longos rugitus trahens, sic misere in clamorem prorupit : *Ah, quanta est vesania in misera plebe. Sed hoc tantum facinus in proximo fata delebunt. Ergo ne pro impunito scelere ira deorum in nobis vertatur, cito, cito meus optimus miles eat et eos omnes in ore gladii confundat.*

7. Interea sanctus miles minime cessat; alter alterum fideliter ornat et roborat. At pius Victor et ceteri principes, Dei spiritu imbuti, habuere cum eis rationem parvam sed luculentam : *O optimi viri, novimus quæ et quanta insignia apud nos per servos suos operatus sit Filius Dei summi. Audivimus enim comminutis simulacris ipsos dæmones ululare per aera, sancta admonitione prædicatoris confitentes se victos, et confusos pretiosa morte nostri redemptoris. Et quis Deo sacratus ad tam execrabilia amplius recurreret? Quis sacro baptismate lotus tam impudicis se pollueret? Quis caput chrismate unctum his humiliaret? Hic talis qui ita agit, ignes averni sibi acquirit, qui simul parati sunt dæmoni cui obedit. Nnnc, nunc accurrant in mente dæmoniaci a christicolis liberati, cæci illuminati, infirmi curati, mortui*

resuscitati. Scateat verbum Domini in cordibus, quod didicimus a sanctis præconibus : Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam. Et iterum : Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere. O fortissimi milites summi regis, istud est solamen fidelibus cunctis, istud est quod omnes electos ad amorem Dei accendit, istud est quod separat virum ab uxore, unicum a vidua matre. Statim cum sanctis monitis pretiosæ lacrimarum gemmulæ per omnium ora decurrebant, ac Dei spiritu debriati arma deponunt; et erectis sursum oculis ac manibus, toto corde, tota intentione in cœlestibus ardebant conscendere. Nam per quamdam contemplationem cœlestia secreta circumibant, atque anhelantibus fibris angelicum cœtum Deo canentem mirantes, jam mente illic aderant, et magnis vocibus clamantes cum nimia amaritudine cordis dicebant : *O quando venient qui telis guttura scindent?* Et iterum singillatim : *O mi Domine, quando videbo te? O sancta Trinitas, quando dicam tibi odas? Heu quando interero choris angelorum? Vere hactenus tædet spiritum miseræ vitæ.*

8. Talia illis cum piis lacrimis conquerentibus, milites missi a Maximiano cæsare strictis gladiis perveniunt. Quos dum sancti percipiunt, ad eos quasi puerulus ad nutricem accurrunt, gladio genua figunt, colla supponunt, sicque angelorum comite exercitu beatas animas Deo quem desiderabant, reddunt. Passi sunt autem in oppido Francorum quod ex majorum suorum sedibus Troiam sive Xantum nuncupabant. Quorum numerus cum duce suo fortissimo Christi milite Victore, fuit ccc^{ti} xxx; et a cruentis carnificibus corpora eorum in locis palustribus submersa sunt. Sed hæc ignominiosa abjectio corporum spirituum sanctorum gloriam non obscuravit, sed potius illustravit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia secula. Amen.

DE S. NICASIO ROTOMAGENSI. (Vid. supra, p. 492, 45° et 497, 15°.) (1)

Incipit Passio sanctorum Nichasii episcopi, Quirini presbyteri, Scuviculi diaconi.

1. Post gloriosam Petri apostoli passionem, ejus cathedræ successit beatissimus Clemens, ipsius apostoli prædicatione Christi gratiæ insertus, et ejus eruditione disciplinis Christi apprime expolitus. Qui sollerti vigilantia generalem totius mundi habens sollicitudinem, beatum Dionisium, Atheniensem episcopum, ad se evocatum meritorum suorum opinione, et desiderio videndi eum quem admirabilem credebat pro successione apostolicæ hereditatis, in Gallias prædicatione sua ab

(1) Cfr. supra ad pag. 619, lin. 28, et notam recole p. 609.

idolatriæ errore corrigendas misit. Cui idoneos et peritos totius ecclesiastici ordinis socios delegavit, ut in his partibus prædicationis ac sanctæ administrationis ope, facilius posset infidelia corda rebellium a suis pravitatibus refrenare. Cum quibus idem Dionisius pari voto eademque sententia prædicando, ministrando curationumque gratiam impendendo, Parisius accedens, quam ipse suo apostolatu retinuit et suo martyrio dedicavit, illos sparsim per universam Galliam, Germaniam, Aquitaniam ceterasque longe lateque provincias direxit, ut evangelium Christi prædicarent, languidos sanarent, virulentias serpentini morsus medullitus carnem humanam exurentes extinguerent.

2. Inter quos fuerunt sanctissimi viri, Nicasius a beato Clemente Romæ ordinatus episcopus, Quirinus presbyter ac Scuviculus diaconus. Qui audientes Rotomagensium metropolim, longe inferius Parisio super ripam Sequanæ sitam, nihil minus populorum ac negotiatorum commerciis opulentissimam, cunctarumque rerum exuberantia ditissimam ac per hoc omnium dæmoniorum spurcitiis idolorumque superstitionibus sordidissimam, roborati exemplo sanctissimi Dionisii, ad eam quantocius venire atque ibi idolorum culturam ad fidem Christi notitiamque veritatis revocare, Deo opitulante, voto communi decernunt. Transeuntes itaque fluvium qui vocatur Isara, venerunt in prædium cujus vocabulum est Vallis. Erat autem in eodem loco fons tam hominibus quam jumentis et pecoribus potabilis. Verum diabolus, antiquus humani generis adversator, non sibi integrum arbitratus quod animas hominum miserorum, utpote sine Deo vivo, miserabiliter absorberet, si non etiam corpora cum damno rerum temporalium indiscrete laniaret et morti perpetuæ invisibili mortem temporalem visibiliter superadjiceret, draconem immanissimum, fraudis suæ ministrum circa fontem constituit. Qui non solum homines et animalia potus necessitate accedere cupientia crudelissime enecabat, verum etiam, ut mos et nequitia draconis est, flatu suo aeris spatia inficiendo corrumpens, circumquaque importabilem pestilentiam excitabat. Cerneres undique luctum, undique formidinem, undique morbi validissimi stragem omnia populantem. Qui sanus ad hauriendum missus fuerat, sine dilatione mortuus nuntiabatur; qui vero æger domi remanserat, post diutissimas serpentini veneni vexationes febriumque et ardorum incomparabiles tortiones, deficiens moriebatur (1).

3. Jamque locus ille draconis malitia vinctus omnes advenientes deinceps mortis silentio damnaret, nisi pietatis divinæ respectus rorem misericordiæ medicabilis super eum stillasset. Nam venientes, ut præfixum est, hi tres sanctissimi viri ad eumdem locum, cœperunt hominibus illis sanctæ Trinitatis fidem constanter prædicare, atque ut relictis idolorum culturis abdicatisque diaboli fallaciis ad Deum verum per baptismi gratiam confugerent, veris exhortationibus commonere. Illi igitur aspicientes personarum ignoti habitus qualitatem, ac audientes ab omnibus seculis inexpertam eloquii novitatem, ut agrestes mente hebetati, hæsitabant utrum ut venturæ felicitatis quam ignorabant præcones audirentur, an ut deorum adversarii ac vituperatores contempti eorum judicio punirentur. Sanioris vero capitis viri, intelligentes promissam sibi misericordiam, nec immemores damni illati sibi a draconis malitia, convocatis sanctis, dixerunt eis : *Patres nostri a primis temporibus et nos usque modo in loco hoc feliciter viximus, et cum salute corporum sine malorum incursu securi permansimus. Nunc vero insidiatur nobis draco sævissimus, potum prohibens et quoscumque invadere potest occidens, insuper et flatu*

(1) Quod hic sequitur in codice 15 sub numeris 3, 4, 5, 6, 7, omittit codex 2, qui in fine etiam hujus numeri 2 omittit verba " qui vero-vexationes „ et jungit " nuntiabatur febriumque...moriebatur „ indeque e vestigio subnectit numerum 8 "Audiens„ cum duobus ultimis.

suo pestem nobis duram immittens. Si ergo Deus vester potens est nos a tantis eripere malis, et conferre prosperitatem quietis æternæ, adhibeatur nunc fides dictis, et parati sumus obedire ejus jussionibus sanctis.

4. His itaque beatus Nicasius auditis, lætus gratias retulit Deo pro jactis seminibus speratæ salutis, et vocans sub eorum conspectu sanctum Quirinum presbyterum suum, dedit ei stolam suam, dicens : *In nomine Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quem nos istis hominibus annuntiamus, vade et de stola constrictam et alligatam ad nostram præsentiam ipsam beluam adducito.* Hac sententia beatus Quirinus accepta, perrexit et invenit ipsum draconem cautissima vigilatione ripas ipsius fontis observantem. Qui videns sanctum Dei sibi obviam venientem, suspicatus sibi prædam venire, cum ipse se prædandum continuo non intelligeret, erectis squamis sparsisque jubis, ore hianti, fistulis sibilantibus, oculis scintillantibus, totum se igneum in Dei servum conatus est injicere. Sed recognoscens signum crucis ab eo editum, quo se dudum cum patre suo diabolo noverat exterminatum, omni ferocitate deposita, caput in terram cum corpore demisso, cœpit tremens angustias sui spiritus aperire. At vero sanctus Quirinus accedens et stolam magistri ipsius collo imponens, cœpit eum trahere, et vinctum ac catenatum episcopali præsentiæ exhibere.

5. Videntes autem qui cum episcopo erant et verba suæ salutis ab eo gratanter audiebant, hoc facto mirabili veluti infirmæ mentis homines conturbati sunt non modice, ac pavore nimio perterriti de solo fugæ præsidio cogitabant. Tunc episcopus pio hortatu eis a terrore sublevatis, dixit : *Nolite timere beluam, quam mox videbitis in vestro conspectu Dei nostri virtute diruptam.* Cum autem adductus esset draco, projecit eum Quirinus presbyter ante pedes sancti Nichasii episcopi. Tunc facto silentio, sanctus Nichasius dixit omnibus : *Sicut videtis hunc serpentem virtute nominis Domini Jesu Christi prostratum, ita scitote diabolum, serpentem antiquum, qui vos hactenus seduxit, victoria passionis ejus destructum et in inferni voragine perpetuo damnatum. Et sicut videbitis signo crucis præsentialiter hunc diruptum, ita armate frontes vestras eodem sanctæ crucis signo, et scitote a vobis omne argumentum diaboli effugatum.* Et facto signo crucis, ad invocationem nominis Christi diruptus est draco, ita ut nec signum aliquod malitiæ vel cadaveris ejus in eodem loco remaneret. Videntes vero jam dicti homines tam salutifera Christi mirabilia, conversi sunt ad fidem Christi, et baptizati sunt a sancto Nichasio in eodem fonte promiscui sexus circiter trecenti decem et octo. Expletis igitur his quæ ad cultum divinitatis pertinent, et confirmatis in fide Christi fidelibus, sanctus Nichasius cœptum complere cupiens iter, valedicens eis, data pace, cum sancto collegio profectus est.

6. Est autem super ripam Sequanæ rupes excelsa valde in loco quem appellant Monticas, et in rupe quædam spelunca, in qua sibi dæmon domicilium collocaverat. Erat autem prætereuntibus et maxime navigantibus ita infestus, ut neque navis onusta neque vacua ibidem omnino pertransiret absque periculo mortis, sed pœne omnes navigantes ab eodem mergerentur dæmone. Ad hunc ergo locum venientes sancti Dei, audierunt malitiam diaboli nimium prævalentem. Et commoti miseriis hominum perditorum, animarumqne deceptarum, protinus æterno numini precum longanimitate nectuntur. Completa vero oratione, accesserunt ad specum. Stans vero sanctus Nichasius cum Quirino presbytero ac Scuviculo diacono in aditu speluncæ, ait : *Adjuro te, nequissime dæmon, qui ad decipiendas animas et corpora hominum in hac rupe lates, per ineffabile nomen sanctæ et individuæ Trinitatis ac per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui te dudum cum patre tuo satana in inferni barathrum dimersum perpetua damnatione multavit, ut ab hoc loco recedens exeas, nec ultra hic cuiquam nocere præsumas, sed relictis accessibus hominum pro quibus jam Christus suum dignatus est fundere sangui-*

nem, ad ignem tibi æternaliter præparatum sine mora redeas, nec meam vocem ut hominis contemnas, sed ejus imperium metuas quem tremunt angeli, scilicet Jesu Christi, Fili Dei vivi, regnantis in secula. Ad hanc vocem cœpit dæmon fremere, speluncam concutere, et cum immenso gemitu ululatum diræ vocis emittere. Quid faceret? Quo se verteret? Per aditum recedere non audebat, quia sancti Dei ipsum intercluserant. Iutus remanere nequibat, quia jussio Omnipotentis eum acerrime exire perurgebat. Tandem malitiæ suæ adhibito ingenio, ipsam rupem ab imo specu usque ad montis summitatem scindens, et quasi putei foramen faciens quod usque nunc ad testimonium virtutis Dei sanctorumque monstratur, exiit; nec ultra comparuit. Qui vero circumquaque positi tantum miraculum vel videre vel audire potuerunt, ad fidem Christi et doctrinam exhortationibus sanctorum conversi sunt, et baptizati permanserunt in fide nominis christiani.

7. Verum quia longum est enarrare virtutes et miracula quæ per eos Dominus ad salutem credentium operari dignatus est, omissis plurimis, ad martyrii eorum gloriosum cursum nostræ inceptionis vertamus stilum. Cum fama prædicationis ac miraculorum sancti Dionisii sociorumque ejus longe lateque protenderet et populus undique relictis simulacrorum superstitionibus ad fidem Christi conflueret, cernens diabolus divinitatis cultum augmentando de die in diem proficere, suæque artis ac nequitiæ fraudes paulatim deficere, omnes conatus suos sæviendo cœpit in Dei servos convertere. Unde concitati templorum pontifices, deorum suorum injurias non ferentes, cum infidelibus simulacrorum servis dæmonumque ministris cœperunt ea quæ a sanctis Dei dicta vel gesta fuerant, verbis contradicere gladiisque impugnare. Cumque per semetipsos christianæ militiæ non valerent resistere, fidelium quippe populositas passim roborata numerum excedebat, auctorem reipublicæ ad defensionem suæ superstitionis consciscunt. Nam misso relatu ad Domitianum imperatorem, totius nequitiæ ministrum, qui secundam jam post Neronem incestissimum in christianos persecutionem accenderat, intimant exisse inter eos quosdam viros, quorum religione omnibus seculis ante inaudita deorum suorum jura spernuntur, ac doctrina execrabili actuque timido contra leges et decreta principum Romanorum replesse totam Galliam et Germaniam ceterasque provincias, annuntiantes deum novum, nostrosque despicientes deos aureos, serico et purpura renitentes, quorum propitiatione respublica melioratur et crescit, illos cum templis summo studio locatis veluti stercora terræ coæquantes.

8. Audiens ista Domitianus, facibus iræ inflammatus insaniaque correptus, in omnibus male possessus, diaboli artibus bachando misit edictum, ut ubicumque christianus fuisset inventus, aut statim sacrificaret aut ad exemplum ceterorum variis pœnis discerptus interiret. Nec suæ insaniæ sufficere decernens si hujus voti compos daretur, continuo Fescenninum Sysinnium ad delendum christianitatis nomen in partes Galliæ cum ingenti apparatu direxit. Qui ad Galliarum partes contendens, Parisius accessit, ibique reperiens sanctissimum senem Dionisium cum Rustico et Eleutherio prædicantem, diversis et nimiis tormentis laniatos, cum sacrificare nollent, pro fide nominis Domini septimo idus octobris trucidavit.

9. Publicata vero sententia proditionis christianorum, comperit etiam sanctum Nichasium episcopum cum Quirino presbytero ac Scuviculo diacono ab eo loco discessisse et in partes Rotomagensium iter arripuisse. Quos velocius prosequens, invenit eos in quodam foro quod dicitur Scannis verbum Domini populis prædicantes. Quibus Sysinnius ait: *Estisne vos illi seductores perfidi, qui cum sene illo nequissimo quem Parisius extinxi, ad evertendum populum huc venistis?* Cui sanctus Nichasius: *Consuetudinis,* inquit, *vestræ est ut semper adversus Christi famulos falsa commenta argumentetis. Quia enim ex patre diabolo estis, cujus desideria vultis facere, qui homicida fuit ab initio et in veritate non stetit, et mendacium ex*

propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus ; quia, inquam, a patre fallaci estis, non potestis veritatem ore proferre. Namque nos quos dicis seductores, non sumus, sed reductores hominum ad cognitionem creatoris sui ; neque, ut tu improperas, evertimus populum, sed convertimus eum ad viam veritatis et pacis. Sysinnius dixit: *Quia ergo convertitis populum, convertite et vosmetipsos ad culturam deorum nostrorum. Quod si nolueritis, in conspectu eorum quos decepistis, male subacti peribitis de terra.* Cui sancti martyres quasi ex uno ore respondentes dixerunt: *Ne putes, hominum stultissime, minis tuis nos terreri : quod enim minaris, diu est quod optamus ; quod implere cupis, ex multo tempore desideramus. Nos enim pro Christi nomine morientes ad vitam perpetuam transibimus, juxta quod psalmista ait : Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Tu autem nisi resipueris, cum patre tuo diabolo in inferni barathrum morte perpetua puniendus es, de qua idem propheta dixit : Mors peccatorum pessima. Et ideo quod perituros dicis nos, falsum est, quia occisi placebimus Domino in regione vivorum. Tu vero cum antiquo hoste damnatus ignem patieris æternum.* Tunc Sysinnius ira succensus, præcepit amputari capita eorum.

10. Cumque decollati fuissent, jussit corpora eorum avibus improbis canibusque ac feris voranda derelinqui. Sed omnipotens Deus jussit ea ab angelis intacta custodiri. Recedentibus vero satellitibus diaboli, nocturnoque temporis silentio accedente, erecti sancti martyres, angelis comitibus apprehensis propriorum corporum capitibus, properantes pervenerunt ad fluvium cui vocabulum est Itta, transmeatoque vado antea hominibus incognito, pervenerunt in insulam ejusdem fluminis amœnissimam. Quædam autem matrona, nomine Pientia, sanctorum monitis ad fidem Christi conversa, assumpto sanctissimorum actuum viro, nomine Daro, ex ipsorum collegio presbytero, suscepit corpora sanctorum, et sepelivit ea honorifice in eodem loco, dans ipsis sanctis suum prædium cum omni integritate, ad sanctorum memoriam excolendam. In quo loco tam ab ipsis quam et a ceteris fidelibus devotis ædificata est ecclesia in honore eorum, in qua florent beneficia ipsorum usque in præsentem diem, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

INDEX CODICUM

QUI IN HOC TOMO

ADHIBITI SUNT AUT CITATI.

PAG.

BOLLANDIANI MUSEI apographa : Ex codice cœnobii S. Petri in Valle apud Carnotum 149
— Ex ms. Bibl. Ambrosianæ Mediol. invento in advers. Card. Borrom. 260
— Ex ms. Vatic. n. 1196 . . . . 260, 263
— „ „ n. 5696 . . . . ibid.
— Ex cod. olim collegii S. J. Duaci 260
— Ex collectan. mss. Constantini Cajetani (nunc cod. 91, nn. 48, 50 in Bibl. Alexandrina Romæ) 279, 280
— Ex ms. Vallicellano tom. V 279
— (Duplex apogr.) Processus informationis de B. Odone Novariensi, alterum ex collect. Constantini Cajet. (cfr. p. 279) . . . 324
alterum transsumptum anno 1685 Talleacotii ex antiquiore apographo . . . . ibid. et 353 sq.

BONNENSIS codex (Bibl. Acad.) n. 367 93

BRUXELLENSIS (Bibl. Reg.) n. 64 (olim monast. Scot. Herbipol.) . . 112, 539
— „ „ n. 98-100. 119
— „ „ n. 380-382 (olim cœnob. Swoll. deinde Vallis S. Martini Lovan.) 93
— „ „ n. 5100-5104 (continens Martyrol. Tamlachtense) . 542
— „ „ n. 9289 (olim S. Laurent. Leod.) 104
— „ „ n. 9636-37 (olim ejusdem monasterii) . . 93, 179 (ubi mendose remittitur ad p. 89 loco 93).
— „ „ n. 18018 93
— „ „ n. 18644-52 . . . . 49, 72

CASINENSES codices nn. 101, 141, 146 . . . . . . 280, 281

COLONIENSIS (Archivi publ.) n. 163 93
— „ „ n. 164 . . . . ibid.

DUBLINENSIS (in Coll. SS. Trinitatis) *Liber Armachanus* 532

FULGERIENSIS (Bibl. municip.), i. e. *Histoire* (inedita) *de la Congr. de Savigny* cum append. in qua Vitæ *(latine)* BB. Vitalis et Gaufridi, abbatum 355

LEIDENSIS (Acad. Lugduno-Batavæ) inter mss. in-4°. Jos. Scaligeri n. 49 . 11
— „ „ „ Perizonianus in folio n. 10. 121, 192, 447, 586

LONDINENSIS (Musei Brit.) Harleianus n. 624 89
— „ „ „ n. 2800-2802. 93

MONTENSIS (Bibl. Civit.) n. 210 . . . . ibid.

PAG.

NAMURCENSIS (Seminarii) n. 21 . . . . 93, 104
— (Civitatis) n. 2 (olim monast. S. Huberti) . . . 485-492
— „ n. 12 (olim ejusd. monast.) . . . . . 493 sq.
— „ n. 15 (olim ejusd.) 494-503
— „ n. 31 . . . . 503 sq.
— „ n. 48 (olim monast. de Gardineto juxta Walcuriam) 504
— „ n. 49 (olim ejusdem) . . . . . 504 sq.
— „ n. 53 (olim monast. S. Huberti) . . . 505-520
— „ n. 73 (olim monast. de Gardineto) . . . 520-524
— „ n. 76 (olim ejusdem monast.) . . . 524-527
— „ n. 103 (olim parthenonis Wenaugiensis) . . . 527
— „ n. 159 (olim monast. de Gardineto) . . 528-530
— „ n. 160 (olim ejusdem) 530

NEAPOLITANUS (Bibl. Nat.) VIII B 45 76

NEMAUSENSIS (Bibl. publ.) S. XI 411

OXONIENSIS Laud. 415 93

PARISIENSIS (Bibl. Nat.) Cod. Armeniac. 46, C 470
— „ „ Supplem. græc. cod. 251 471
— „ „ Cod. gall. recens acquisitor. n. 4122 (i. e. apographum Vitæ B. Vitalis Saviniac. ex cod. Fulger.) . . 355
— „ „ Cod. lat. 9728, 9739, 9742, 10365, 10872. 14363 . . 471
— „ „ „ 10051 (i. e. *Neustria sancta*) . . 355, 390
— „ „ „ 12598 (olim S. Germ. Prat. 671) . . . 89
— „ „ „ 12942 (olim ejusd. monast. 953, primitus Cluniac.) 208, 209

ROMANUS Cod. Vatic. 1196 263
— „ „ 9696 . . . . ibid.
— (Bibl. Alexandrinæ) cod. 91 279

SUPRASLIENSIS 447

TREVIRENSIS 1138 (LIX) 93

VENETUS (Bibl. S. Marci) CCCLXII 193, 201

INDEX SANCTORUM

de quibus

DOCUMENTA IN HOC TOMO EDITA SUNT

VEL SALTEM IN CATALOGO NOSTRO NAMURCENSI RECENSITA.

N. B. — Sancti quorum nomine inscribuntur documenta in corpore hujus voluminis, indicantur capitalibus minoribus, v. g. AMOR.

Sancti circa quos aliquid hic editum est sive in ipso Catalogo hagiographico Namurcensi sive in ejus Appendice, designantur charactere italico, v. g. *Aichardus.*

Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo Namurcensi.

(Numeri paginas indicant.)

Abdon. 519.
Abraham mon. 528.
Aceia. 519.
Achatius et socii. 489, 514.
Achilleus. 509.
Ægidius abb. 490.
Agape. 500.
Agatha. 488.
Agnes. 487.
Aichardus (Aichadrus, *Aycadrus*) abb. 529.
Albanus. 514.
Alexander M. 506.
Alexius. 515, 529.
Ambrosius. 488.
AMOR conf. 73.
Anastasia. *Vid.* Agape.
Andeolus M. 506.
Andreas ap. 486.
Andreas M. 509.
Anianus ep. 500.
Anna M. 505.
ANSBERTUS Rotomag. 178.
Antidius. 500.
Anthimus. *Vid.* Faltonus.
Antonius abb. 493, 504, 530(bis).
Apollinaris. 517.
Augustinus Hippon. 490.

Bacchus. *Vid.* Sergius.
Barbara. 486, 501.
Barlaam. 530.
Barnabas. 512.
Bartholomæus. 490.
Basilides. 512.
Bassus. *Vid.* Faltonus.
Bathildis. 493.
Bavo. 495.
BENEDICTUS abb. 75, 488, 489, 515, 523.
Benignus M. 498.
Beregisus. 491, 496, 618.
Bertuinus. 499.
Blasius. 488, 614.
Bonifacius ep. in Italia. 509.
BONIFACIUS Moguntinus. 49.
Brendanus. 504.
Briccius ep. 492, 499.

Cæcilia. 492, 500.
Cæsarius diac. M. *Vid.* Julianus.
Callistus papa. 497.
Calocerus. 510 (*ubi* 18 Maii *loco* 19).
Cantius, Cantianus, Cantianilla. 511.
Caprasius. *Vid.* Fides.
Caraunus. 510.
CASTOR conf. 119.
Castorius. *Vid.* Quat. Coron.

Catharina. 492, 502.
Celsus. 512.
Christina. 517.
CHRISTOPHORUS. 121, 517.
Chrysanthus. 498.
Chrysogonus. *Vid.* Agape.
Claudius. *Vid.* Quat Coron.
Clemens papa. 492, 500.
Clemens Metensis. 500.
CODRATUS M. 447.
Columba. 502.
Columbanus. 500.
Conon. 510.
Cornelius papa. 490.
Corona. 510.
COSMAS M. 586.
Crispinus et Crispinianus. 498.
Crucis (Inventio S.). 506 (bis).
Cucufas. 518.
Cyprianus. *Vid.* Cornelius.
CYRICUS M. 192.
Cyrillus Ep. M. 515.

DAMIANUS M. *Vid.* Cosmas.
Daria. *Vid.* Chrysanthus.
Demetrius. 496.
Diocletianus M. *Vid.* Faltonus.
Dionysia V. M. 509.
Dionysius Paris. 491, 496.
DOMINICUS SORANUS. 279.
Donatianus. 510.
Dormientes (Septem). 514.

Edmundus archiep. 523.
Edmundus rex. 502.
Eleutherius. *Vid.* Dionysius.
Eloquius. 496.
Epimachus. 508.
Erasmus. 512.
Eucharius Trev. 501.
Eugenia. 502.
Euphrasia. 494.
Euphrosyna. 494, 529.
Eusebius mon. *Vid.* Julianus.
Eustachius. 498.
Eventius. *Vid.* Alexander M.
Ewaldi (Duo). 496, 621.

Fabius. *Vid.* Faltonus.
Faltonus Pinianus. 508.
Felicianus. *Vid.* Fides, et 512.
Felicitas. 500.
Felix ep. 518.
Felix presb. *Vid.* Julianus.
Ferreolus presb. 512.
Ferrutio diac. Ibid.
Fides V. M. 491, 496 (bis), 623.
Florentius. *Vid.* Faltonus.
Florianus. 507.
Foillanus. 492, 498.
Fortunatus diac. 515.
Frontonius. 528.

Gallus abb. 497.
GAUFRIDUS Saviniac. 390.
Gengulphus. 508.
Georgius. 488, 522, 615.
Gerardus Broniensis. 524.
Germanus Autiss. 519.
Germanus Paris. Ibid. (bis)
Gertrudis. 488.
Gervasius. 513.
Getulius. 512.
GILDUINUS conf. 149.
Gislenus. 524.
Glodesindis. 518.
Goar. 514 (bis).
Gordianus. *Vid.* Epimachus.
Gregorius papa. 488, 522.
Gregorius Spoletanus. 502.
Guillermus Bituric. 527.
Gulielmus dux. 525.

Hermagoras ep. *Vid.* Fortunatus.
Hilarion mon. 493, 504, 528.
HILDEGARDIS. 597.
Hubertus. 491, 492, 498 (bis), 503.

Irene. *Vid.* Agape.

Jacobus ap. 489.
Joannes ev. 487.
Joannes M. 514.
Josaphat. *Vid.* Barlaam.
Judas ap. 492.
Judas. *Vid.* Quiriacus.
Julianus presb. M. 498.
JULITTA M. *Vid.* Cyricus.

Kilianus. 514.

Lambertus ep. 490.
Laurentius diac. M. 490.
Leodegarius Augustod. 496.

Lucia. 487, 502.
Lucia. *Vid.* Aceia.
Ludovicus rex. 523.
Lupicinus erem. 528.
Lupus Trec. 518.

Macarius abb. 529.
Maclovius ep. 499.
Malchus mon. 493, 504. 528.
Marcellinus M. 512.
Marcus ev. 488, 522.
Margareta V. M. 489, 515.
Maria Ægypt. 494, 529.
Maria Magd. 489, 515, 516 (bis).
Maria Ogniacensis. 505.
Marina. 529.
MARTIALIS Lemovic. 411.
Martinianus. 514.
Martinus Turon. 492, 499 (bis).
Maternus Trev. 501.
Mauritius. 490.
Maurus abb. 487, 504.
Maximinus ep. 511.
Maximus. *Vid.* Faltonus.
Medardus ep. 512.
Menna M. 499.
Monon M. 497.
Mutius presb. M. 509.

Nazarius. *Vid.* Celsus.
Nereus. *Vid.* Achilleus.
Nicasius Remensis. 487, 502, 609.
Nicasius Rotomag. 492, 497, 628
Nicetius Trev. 495.
Nicolaus ep. 487, 501 (ter), 507.
Nicostratus. *Vid.* Quat. Coron.

ODO Novariensis. 323.

Pachomius abb. 493, 528.
Pancratius M. 509.
Pantaleon M. 518.
Parthenius. *Vid.* Calocerus.
PATRICIUS Hiberniæ ap. 531.
Paula Vid. 528.
PAULUS ep. Leonensis. 208.
Paulus erem. 493, 504, 528.
Paulus M. *Vid.* Joannes M.
Paulus M. 509.
Pelagia. 529.
Peregrinus. 510.
Petri (Vincula S.). 489, 617.
Petrus Alexandrinus. 501.
Petrus arch. Tarentas. 522.
Petrus M. 522.
Petrus M. *Vid.* Paulus M.
Petrus M. *Vid.* Marcellinus.
Phocas ep. M. 515.
Piaton M. 495, 619.
Pontius M. 510.
Praxedes V. 515.
Primus M. *Vid.* Fides, et 512.
Priscus M. 511.
Processus M. *Vid.* Martinianus.
Procopius M. 515.
Protasius M. *Vid.* Gervasius.
Pudentiana V. 510.

QUADRATUS M. *Vid.* Codratus.
Quatuor Coronati. 499.
Quintinus M. 492, 498.
Quiriacus sive Judas, ep. M. 505.
Quirinus presb. M. *Vid.* Nicasius Rotom.

Radegundis reg. 493.
Remaclus. 490.
Remigius Remensis. 491, 495.
Robertus abb. Molism. 522.
Rogatianus. *Vid.* Donatianus.
Romanus erem. *Vid.* Lupicinus.
Romanus mon. M. 500.
ROPHILLUS ep. Foropopil. 112.
Rufinus M. 512.
Rusticus. *Vid.* Dionysius.

Sabinus ep. M. 501.
Salvius M. Valencenis. 514.
Samson Dolensis. 518.
Saturninus Tolosanus. 501.
Scholastica. 488, 515.
Scuviculus diac. *Vid.* Nicasius Rotom.
Sebastianus. 487.
Sennen. *Vid.* Abdon.
Serapia. V. M. 519.
Sergius. *Vid.* Bacchus.
SERVATIUS Tungrensis. 85, 488, 509 (bis), 522, 527.
Severinus ep. Coloniensis. 492, 498.
Sigismundus rex M. 506.
Silvester papa. 487, 502, 613.
Simeon Stylit. 528.
Simeon Trevir. 494, 511.
Simon ap. *Vid.* Judas.
Sindulphus erem. conf. 497.

Sisinnius M. *Vid.* Faltonus.
STEPHANUS papa I. 470.
Stephanus protom. 489, 521 (bis).
Sulpicius Severus ep. 487.
Symphorianus. *Vid.* Quat. Coron.
Symphorosa M. cum filiis. 514.

Thais. 529.
Theobaldus erem. 514.
Theodardus ep. Traject. M. 490.
Theodorus dux M. 499.
Theodota. *Vid.* Agape.
Theodulus. *Vid.* Alexander M.
Theonestus ep. M. 513.
Thomas ap. 487, 521.
Thomas Cantuar. 503.
Trudo. 500.

Undecies mille Virgines. 492, 498, 524.
Urbanus papa. 510.

Valerius Trevir. *Vid.* Eucharius.
Valerius M. *Vid.* Rufinus.
Victor et socii cccxxx. 496, 625.
Victor M. *Vid.* Corona.
Victor M. Massil. 515.
Victoria V. M. 502.
VINCENTIUS archidiac. Cæsaraug. 259, 488.
Vincentius M. Aginnensis. 512.
VITALIS Saviniacensis. 355.

Walburgis. 506.
Waldetrudis. 527.
Wandregisilus. 516.
Willibrordus. 499.

Yvo Trecorensis. 523.

INDEX GENERALIS

HUJUS TOMI.

	PAG.
De *Analectorum Bollandianorum* ratione ac fine	5
Martyrologium Fuldense e codice Leidensi	9
Vita S. Bonifacii, episcopi Moguntini, auctore Willibaldo, secundum priorem, ut videtur, conscriptionem . .	49
Prologus in Vitam S. Amoris	73
Historia translationis S. Benedicti abbatis in Galliam . .	75
S. Servatii, Tungrensis episcopi, Vitæ antiquiores tres . .	85
S. Rophilli, episcopi Foropopiliensis, miracula post mortem .	112
Translatio S. Castoris presbyteri	119
S. Christophori martyris Acta græca antiqua.	121
Historia inventionis et miraculorum S. Gilduini	149
Vita S. Ansberti, archiepiscopi Rotomagensis, ab interpolationibus pura	178
SS. Cyrici et Julittæ Acta græca sincera.	192
Vita S. Pauli, episcopi Leonensis in Britannia minori, auctore Wormonoco (edente R. P. Dom. Fr. Plaine, O. S. B.) .	208
Acta S. Vincentii martyris, archidiaconi Cæsaraugustani, et relatio translationis ejusdem	259
S. Dominici Sorani vita et miracula a coævis conscripta .	279
Documenta de B. Odone Novariensi, Ordinis Carthusiani .	323
Vita BB. Vitalis et Gaufridi, primi et secundi abbatum Saviniacensium (edente E. P. Sauvage, parocho diœcesis Rotomagensis)	355
Miracula S. Martialis Lemovicensis patrata anno 1388 (edente Fr. Arbellot, canonico Lemovicensi)	411
Acta S. Codrati seu Quadrati martyris	447
Acta S. Stephani I, papæ et martyris, ex armeniaco latine edita a Paulino Martin, in Instituto catholico Parisiensi Scripturæ sacræ lectore	470

PAG.

Catalogus Codicum hagiographicorum Bibliothecæ publicæ Civitatis Namurcensis 485

Vita S. Patricii, Hibernorum apostoli, ex Libro Armachano (edente E. Hogan, S. J.) 531

Vita SS. Cosmæ et Damiani 586

Annotationes ad *Nova S. Hildegardis Opera*, edita ab Emo Card. Pitra 597

Appendix ad Catalogum Codd. hagiog. Civit. Namurcensis . 609

Index codicum qui in hoc tomo adhibiti sunt aut citati . . 633

Index Sanctorum de quibus documenta in hoc tomo edita sunt vel saltem in Catalogo nostro Namurcensi recensita 635

ADDENDA ET EMENDANDA.

In Martyrologio (VI Id. Mai.) p. 25 *lege* Teclæ *non* Tectæ.
" (Prid. Kl. Jun.) p. 27 *lege* Silvani *non* Silvan.
In Vita S. Bonifacii, p. 54, n° 7, lin. ult. *lege* progressum *non* progresum.
" p. 69, n° 36 extr. *lege* confertim *non* conlertim.
In Sermone de S. Servatio, p. 106, lin. 3 *lege* quanta *non* quanti.
Ibid. Lectiones variantes prætermissæ :
p. 104, lin. 22 (Radbodi) : *lect. var.* Rabbodi 2.
106, l. 21 extr. (posset sibi) : *lect. var.* (posset saltem (sibi) 2.
108, l. 32 (pervenirent) : *lect. var.* perveniret 2.
109, l. 23 (sub hoc capite membro) : *ita etiam prius* 2, *sed corr.* membro sub hoc capite.
110, l. 22 (improperarit) : *corr.* improperabit 2.
P. 117 (in Procemio) *lege* ea ipsa die *pro* ex ipsa.
178, lin. ult., *loco* 89 *lege* 93.
271, in nota. poni potest lectio certa ex cod. Brux. 64 : trepidus vel lentior *loco conjecturæ.*
326, 327 *ad nomen* Thadera *nota legendum esse* Jadera (*i. e.* Zara).
457, lin. 15 : οἳ *cod.*
463, l. 14 : *scribitur in cod.* ἐν ἑαυτοῖς *non* ἐμὲ αὐτοῖς.
494, 9° *post vocem* sed *adde :* in codice legitur...
" 11° *post* omissis *adde :* in codice, *et pro* filiorum *(paulo inferius) lege* foliorum ; *item* editæ *loco* edita.
505 (in Procemio) *dele* et Augusto.
510, 23° *lege* 19 Maii *loco* 18.

Bruxellis. — Typis POLLEUNIS, CEUTERICK & LEFÉBURE.